
37
29
B
12





PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ, DE INCARNATIONE VERBI DIVINI,

Quas in Scholis Sorbonicis habuit

HONORATUS TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctor, Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Professor, Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonicus.







VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXXXI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



THEOLOGIÆ CANDIDATIS
PRÆFATIO.

NON longa vos præfatione detinebo, dilectissimi Candidati: jam enim plùs æquo excrevit hujusce voluminis moles, si studiorum vestrorum ratio; minùs verò si dignitas & amplitudo mysterii, de quo agimus, attendatur. Quanta enimverò controversiarum seges ac varietas hic discutienda occurrit! Quanta Hæreticorum undequaque tumultuantium debellanda multitudo! Mysterii verò Incarnationis, quanta profunditas & altitudo, humano ingenio prorsus inaccessa!

Sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum Filium suum daret. O effusa divinæ in nos charitatis ac benevolentiæ immensitas! *In hoc apparuit charitas Dei in nobis*, ait idem sanctus Joannes, *quoniam Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Atque hoc ipsum est *magnum pietatis sacramentum, quod*, ait Sanctus Paulus, *manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu: apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria*. Manifestatum autem dicit in carne, cùm *Verbum caro factum est*: justificatum autem spiritu, cùm hujus assumptæ carnis veritatem, non tantùm stupendis ac planè divinis prodigiis, sed & ipsis etiam infirmitatibus, quæ carnis propriæ sunt, demonstravit: *Crucifixus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*.

Joan. 3. v. 16.

1. Joan. 4. v. 9.

1. ad Tim. 3. v. 16.

2. Cor. 13. v. 4

Pauca quidem hìc verba sunt, *Deus*, *Homo*; *Verbum caro factum*: sed illis summa Religionis nostræ continetur, unione nimirum naturæ utriusque divinæ ac humanæ in una Verbi persona, unde unus Christus, verus Deus & verus homo: unus

autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: unus omnino non confusione substantię, sed unitate personæ.

Atque hæc est compendiosa totius nostri Mysterii fides ac tractatio: unitas personæ; naturarum & proprietatum, quæ eas consequuntur, distinctio; *Salva proprietate utriusque naturæ, & in unam coeunte personam*, ait egregiè S. Leo Epist.
P. 480. 24. aliàs 10. c. 3. *suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.*

Tam stupendam & à sæculo absconditam unionem, animo non capit homo superbus: Judæis scandalum fuit, Gentibus verò stultitia. *Si autem hìc quæritur ratio*, ait eleganter sanctus
To. 2. p. 405. A. B. Augustinus Epistola 173. aliàs 3. ad Volus. cap. 2. *non erit mirabile*, (mysterium) *si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Obmutescant ergo tam varii atque inter se discordes Hæretici, qui Christum ita miserè lacerant ac discerpunt, ut nullam in eo partem intactam & integram reliquerint. Solidæ carnis veritatem abstulit Marcio; divinitatem, Arius; Apollinaris, animam & mentem; unitatem personæ, Nestorius; naturarum distinctionem, Eutyches: alii phantasticum, alii purum hominem dixere: alii humanis infirmitatibus planè liberum, alii ex adverso divinitatem ipsam in eo passam ac doloribus obnoxiam fuisse comminiscuntur.

Sociniani toto ferè illarum hæreseon turbido veneno hausto ac in se transfuso, Christum quidem verum hominem agnoscunt, sed purum; non Deum natura & substantia, sed nomine tantùm, gratia & adoptione: Mediatorem ac redemptorem eum appellare non recusant, sed verbi dumtaxat prædicatione, atque exemplo virtutum, non pretio sanguinis divinæ justitiæ pro salute nostra persoluto. Sic illi omne crucis pretium ac pręmium evacuant, omnemque funditus Christianam subvertunt Religionem; quas omnes Religionis fideique pestes terribilis illa ac fulminea sancti Joannis sententia perculit, *Omnis*
1. Joan 4. v. 3. *spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est, & hic est antichristus.*

Scilicet dedicatos illos ac fastidiosos homunciones offendit humilis & abjecta Christi, dum, in terris degeret, conditio Obscuratam & quasi penitus in eo extinctam divinitatis majestatem conqueruntur: qnantò consultiùs humilem illam & abjectam Christi conditionem ipsamque crucem suspicerent, & cum
Philipp. 2. v. 6. effusa gratiarum actione commendarent, quâ una stare illorum salus potest? Propter nos enim *exinanivit semetipsum, formam*

servi

servi accipiens in similitudinem hominum factus. Propter nos *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Infirmitas ergo Christi salus nostra est ac fortitudo: *Hunc proposuit Deus*, ait S. Paulus, *propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*. Et Joan. 1. cap. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi*. Rom. 3. v. 25.

Quis porrò tam cæcus ac stupidus fuerit, qui vel in ipso vitæ mortalis Christi cursu, tam splendidos non deprehendat divinitatis radios undequaque micantes? Quasi alternis vicibus divinitas humanitatem illustrabat, & humanitas objecto quasi velo temperabat divinitatem. Nascitur quidem pauper in præsepio: at natum annuntiant Angeli, Reges adorant, timet Herodes. Circumciditur communi Judæorum more: at Jesus, id est Salvator, nominatur, ac Simeon gratulatur sibi quòd Dei salutare viderit, Anna prophetat. Baptisatur à Joanne, velut homo vulgaris: at simul audita est de Cœlo vox *à magnifica gloria delapsa dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Famem & sitim patitur: at ipse infinitam penè hominum multitudinem pascit in deserto. Infirmus fuit; sed infirmos curavit, ac suscitavit mortuos. Appetitur calumniis; sed nusquam ne levissimi quidem peccati reus convictus, pudore & ignominia calumniatores atterit. Tristis est ad mortem usque; sed Angelus, qui eum confortet ac soletur, è Cœlo advolat, imò & plùs quàm duodecim Angelorum legiones in sui auxilium, si voluisset, advocasset. A militibus quidem se comprehendi permisit; at eos priùs una voce prosternit, atque humi quasi fulminatos affligit. Ligari patitur; sed abscissam Malcho auriculam restituit. Moritur; sed obscuratur Sol, Luna deficit, insolitis terra motibus concutitur, reserantur mortuorum sepulchra, & commissa sibi dudum cadavera evomunt, reviviscunt mortui. Conditur in sepulchro; sed inde tribus post diebus, ut prædixerat, triumphans ac gloriosus, neque ultrà moriturus exurgit, & ad Cœlum patriam sedem revertitur. Ecquos, quæso, fulgentiores radios emittere; quæ argumenta sui illustriora edere divinitas potuit? Hoccine est humanitatis integumento obscuratam fuisse? cùmque sese tam perspicuè, tam luculenter prodiderit, cui latere potest? Quid dico, latere? 2. Petr. 1. v. 17.

Imò vix alibi meliùs, quàm in Mysterio Incarnationis elucent ac sese magnificentiùs explicant divinæ perfectiones, omnipotentia, sapientia, bonitas, justitia, clementia & misericordia. Duas tam extremas, & à se invicem tam longè distantes natu-

ras simul in eadem persona intimo nexu conjungere sine ulla
Tm. 1. p. 143. confusione ac permixtione; ita ut, *nec inferiorem consumat glorificatio*, sancti Leonis verba sunt, Serm. 1. de Nat. cap. 2. *nec superiorem minuat assumptio: tota enim est in maiestate humilitas, tota in humilitate maiestas, nec infert unitas confusio-*
Ep. 25. al. 11. ibid. p. 488. *nem, nec dirimit proprietas unitatem.... & veritas affectionum sub moderamine deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis*; Duo, inquam, extrema adeo dissita conciliare in unitatem ejusdem personæ, hoc verè summum & inauditum esse contendo divinę potentię ac virtutis argumentum. Deum ad vilem hominis conditionem demitti, reipsa majus
To. 2. p. 513. A. quoddam est divinæ potentiæ miraculum, ait S. Gregor. Nyssenus Orat. Catechet. c. 24. quàm grandia, queque moliri: istud quippe naturæ ipsius proprium & innatum est, non aliud. Sapientię verò divinæ quanta hic solertia in concilianda simul justitia & misericordia Dei! Hęc gratiam postulat & pœnę remissionem; illa jurium suorum conservationem, ac condignam punitionem rei: ita certè ut Deus, inquit Yvo Carnotensis,
Par. 2. p. 284. col. 1. Serm. 6. *nec peccatum hominis dimittat impunitum, quia iustus est; nec insanabile, quia misericors est*. Id verò divino planè consilio & arcano assecuta est Dei sapientia: Christus sponsor noster loco nostri substitutus, pœnas divinæ justitiæ solvit ad rigorem; clementia verò ac benignitas Dei sese in hominum genus liberaliter effundit: reo parcitur, & plectitur innocens; Incarnationis Dominicæ mirum illud est ac divinum arcanum.
P. 144 *Nisi enim Christus Deus esset*, ait S. Leo *Serm.* 1. de Nat. cap. 2. *non afferret remedium; nisi esset homo, non præberet exemplum*. Hanc satisfactionem non potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo: necesse est igitur ut eam faciat Deus homo. Satisfactionis materiam hoc est pœnas & expiationis opera homo præbet; Deus pretium ac valorem impertitur: ita quamlibet severa Dei placatur justitia, oblato pro peccatis nostris proprii Filii sui sanguine, quo nullum dignius pretium esse potest; benignitas ac misericordia Dei in nos abundantiùs exercetur. Sic mirum in modum impletur quod prędixerat David,
Ps. 84. v. 11. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt*.

Atque inde tanta in Deum ipsum gloria redundavit, ut Ecclesia felicem non timeat dicere Adami culpam, quæ tantum meruit habere Redemptorem. Quin, & judice Tertulliano, Libro de resur. carnis c. 6. cùm Deus hominem ipsum primitùs
P. 328. D. effingeret, jam tùm Christum futurum cogitabat. *Quodcumque*, ait, *limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus*.

Ex

Ex his omnibus intelligitis haud dubiè, dilectissimi Candidati, quanta sit argumenti, quod hic tractamus, dignitas ac præstantia. Totius Religionis Christianę caput illud est, spei ac salutis nostrę unicum fundamentum: *Non enim aliud est sub Cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. 12. *Unus est Deus*, ait Apostolus, *unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Timoth. 2. v. 5. Ad hunc igitur fontem accedite cum fiducia, dilectissimi Candidati: *Non enim*, pergit Apostolus, *habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Hebr. 4. v. 1. & 16. Concludite cum eodem Gentium Apostolo: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Galat. 6. v. 14. Et rursum: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum & hunc crucifixum.* Prima Cor. 2. v. 2.



INDEX QUÆSTIONUM.

QUÆSTIO I. PRÆVIA. *De cognitione Myſterii Incarnationis.* 2
ARTICULUS I. *De variis nominibus, & definitione Incarnationis.* 2
Varia Incarnationis nomina. ibid.
Definitio Incarnationis. 4
ARTICULUS II. *An Myſterium Incarnationis ratione naturali demonſtrari poſſit.* 5
CONCLUSIO. *Myſterium Incarnationis, ſive ante, ſive poſt revelationem, ſola ratione naturali poſitivè demonſtrari non poteſt, ſed negativè duntaxat.* ibid.
ARTICULUS III. *An Myſterium Incarnationis cognitum fuerit Angelis, & Judaeis, & Gentilibus?* 8
PRIMA CONCLUSIO. *Angeli boni ac beati, & futurum & factum ſeu impletum agnovere Incarnationis Myſterium.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Dæmones aliquando dubii & anxii videntur fuiſſe circa Chriſti divinitatem, aliquando eam certò cognoſcere; quam reipſa certiſſimè cognoviſſent, niſi fuiſſent à Deo impediti.* 9
TERTIA CONCLUSIO. *Adamo, Patriarchis, Prophetis, aliiſque viris ſanctitate conſpicuis futurum innotuit Incarnationis Myſterium. Adimpletum illud fuiſſe Judæi cognoſcere facillimè potuiſſent, tùm ex Scripturis, tùm à majoribus derivata Traditione, tùm ex operibus ac miraculis Chriſti, niſi peccatis obcæcati veritati pervicaciùs obſtitiſſent.* 10
QUARTA CONCLUSIO. *Nonnullis è Gentilibus revelatum fuit futura Incarnationis Myſterium.* 12
ARTICULUS IV. *De variis erroribus quibus fides Myſterii Incarnationis impugnata fuit.* 13
Hæretici primi ordinis, qui Chriſti divinitatem impugnaverunt. 14
Cerinthus. ibid.
Ebion. ibid.
Nazareni. 15
Elceſai. ibid.
Carpocras. ibid.
Theodotus. 16.
Artemon. ibid.
Paulus Samoſatenus. ibid.
Hæretici ſecundi ordinis, qui humanitatem Chriſti ac veram ejus carnem oppugnaverunt. 17
Veram ac ſolidam in Chriſto carnem non admiſere, Simon Magus. ibid.
Diſcipuli Simonis, Menander, Saturninus, Baſilides. 18
Valentinus. ibid.
Carnem Chriſti veram quidem ac ſolidam, non tamen ex Maria Virgine natam ac ſumptam, ſed ex elementis coagmentatam dixere Apelliani. 19
Chriſtum anima, vel mente humana ſpoliarunt Ariani & Apollinariſtæ. 20
Unam, non duplicem in Chriſto voluntatem & operationem agnovere Monothelitæ. 21
Quo ſenſu Monothelitæ unam in Chriſto voluntatem & operationem agnoverint. ibid.
Hæretici tertii ordinis, qui circa unionem utriuſque naturæ in Chriſto erraverunt. 25
De errore Neſtorii. 26
Varii modi quibus Neſtorius unionem Verbi cum Chriſto exponebat. ibid.
Conſectaria ex modis variis quibus Neſtorius unionem Verbi cum Chriſto exponebat. 27
De errore Eutychetis. 29
Felix & Elipandus Hiſpani Epiſcopi. 32
Lutherani, Ubiquiſtæ. ibid.
QUÆSTIO II. *An poſſibile ſit & conveniens Incarnationis Myſterium.* 33
ARTICULUS I. *An poſſibile ſit Incarnationis Myſterium.* ibid.
CONCLUSIO. *Poſſibile eſt, ſeu nullam internam pugnam & repugnantiam includit Myſterium Incarnationis.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 34
Objectiones ex parte Verbi. ibid.
Objectiones ex parte naturæ humanæ. 38
Objectiones ex parte unionis. 41
ARTICULUS II *An Deo & homini congrua & conveniens fuerit Incarnatio.* 43
PRIMA CONCLUSIO. *Incarnatio Deo eſt maximè conveniens.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Incarnatio maximè conveniens fuit homini, totique Univerſo.* 46
TER-

TERTIA CONCLUSIO. *Congruum magis ac consentaneum fuit Verbum incarnari, quàm Patrem aut Spiritum sanctum.* 47
QUARTA CONCLUSIO. *Convenienter omnino Mysterium Incarnationis in plenitudine temporis fuit adimpletum.* 48
QUÆSTIO TERTIA. *De existentia Incarnationis, seu utrum Incarnationis Mysterium adimpletum in Christo fuerit.* 50
ARTICULUS I. *Utrum contra Judaos demonstrari possit jamdiu advenisse Messiam.* ibid.
CONCLUSIO. *Invictè contra Judaos demonstratur jamdiu advenisse promissum Messiam.* ib.
PRIMUM ARGUMENTUM *ex oraculo Jacobi Gen. 49.* ibid.
Primum difficultatis caput expenditur. 51
CONCLUSIO. *Vaticinium Jacobi Messiam designat, & in Christo reipsa fuit adimpletum.* ibid.
Prima pars Conclusionis probatur. ibid.
Secunda pars Conclusionis probatur. 53
Herodes alienigena. 55
Solvuntur Objectiones quibus Judai oraculum Jacobi aliò detorquere, ac eludere conantur. 60
Secundum difficultatis cap. Quid per Judam intelligendum sit? An sola hujus nominis Tribus; an universa Judaica natio? Quid per sceptrum? An sola regia & monarchica auctoritas; an suprema & independens, quacumque illa sit, regiminis potestas? 64
PRIMA CONCLUSIO. *Nomine Juda, in vaticinio Jacobi, non videtur intelligenda sola hujus nominis Tribus; neque sceptrum, seu regia & monarchica dignitas, in Tribu Juda reipsa perseveravit usque ad Messia adventum.* 65
Varia ad mox expositum argumentum referuntur ac refelluntur solutiones. 66
Prima Solutio. ibid
Refellitur. ibid
Secunda Solutio. 67
Refellitur. 69
Tertia Solutio. 70
Refellitur. ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *In vaticinio Jacobi, per sceptrum, non sola regia seu monarchica, sed qualibet suprema Reipublica administranda potestas; atque per Judam, non sola hujus nominis Tribus, sed tota Judaorum natio intelligenda est, cum aliqua tamen singulari Tribus Juda prarogativa.* 71
Solvuntur Objectiones. 72
SECUNDUM ARGUMENTUM *adventus Messia, ex prophetia Danielis cap. 9.* 74
Probatur primò, Danielis vaticinium de venturo Messia intelligendum esse. 75
CONCLUSIO. *Danielis vaticinium de Christo Messia, non de alio quocunque, intelligi debet.* ibid.
Referuntur ac confutantur distorta Judaorum expositiones, quibus Danielis vaticinium detorquent; nec ad Christum, sed ad alios referunt. 77
Prima expositio. ibid.
Refellitur prima interpretatio. 78
Secunda interpretatio. 81
Refellitur. 82
Tertia interpretatio. 83
Refellitur. ibid.
Quarta interpretatio. 84
Refellitur. ibid.
Probatur secundò, Danielis vaticinium in Christo impletum fuisse. 86
De initio & fine septuaginta hebdomadarum apud Danielem. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Hebdomades septuaginta Danielis inchoanda non videntur, aut ab Edicto Cyri, anno ipsius Regni primo; aut ab Edicto Darii Histaspis; aut ab eo quod tulit Artaxerxes, anno Regni septimo.* 88
SECUNDA CONCLUSIO. *Septuaginta hebdomades Danielis inchoanda videntur ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani.* 89
TERTIUM ARGUMENTUM *prateriti adventus Messia, ex Templi secundi gloria apud Aggaum & Malachiam Prophetas.* 92
QUARTUM ARGUMENTUM *jam prateriti adventus Messia, ex signis qua adventum ejus aut comitari, aut subsequi debuerunt.* 94
Ex parte Messia. ibid.
Signa ex parte Judaorum. 96

Ex parte Gentilium. 100
QUINTUM ARGUMENTUM *præteriti adventus Messiæ, ex testimonio Josephi L. 18. Antiquitatum cap. 4.* ibid.
CONCLUSIO. *Testimonium Josephi de Christo, nobis verum ac genuinum, nec ullas falsitatis ac suppositionis notas præferre videtur.* 101
Expenduntur & refelluntur momenta contra veritatem testimonii Josephi. 102
SEXTUM ARGUMENTUM *præteriti adventus Messiæ, ex miraculis Christi.* 104
Definitio miraculi. 105
Quæ sint in miraculo quolibet distinguenda. 106
Probatur 1. ex miraculis Christi certum & invictum colligi divinæ illius missionis ac naturæ argumentum. 107
Probatur 2. miracula quæ Hæretici vel improbi homines operantur, certa esse non posse sanæ illorum doctrinæ, vel probatæ vitæ signa & argumenta. 112
SEPTIMUM ARGUMENTUM *adventus Messiæ, ejusque divinæ missionis ac naturæ, ex comparatione seu collatione miraculorum Christi cum miraculis Moysis.* 113
ARTICULUS II. *An Christus sit ille Messias toties in veteri Testamento promissus & delineatus.* 117
CONCLUSIO. *Christus est ille Messias toties in veteri Testamento promissus & delineatus.* ibid.
Solvuntur Objectiones Judæorum adversùs Messiæ adventum. 120
ARTICULUS III. *An & quomodo adversùs Gentiles demonstrari possit advenisse Christum Messiam toties à Prophetis prænuntiatum.* 125
Solvuntur Objectiones. 128
QUÆSTIO QUARTA. *De necessitate Incarnationis.* 132
Status quæstionis. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Incarnatio Verbi necessaria non fuit ex hypothesi creationis mundi.* 134
SECUNDA CONCLUSIO. *Ex hypothesi lapsus humani generis in peccatum, necessaria nõ fuit Incarnatio necessitate absoluta & simplici, sed ex quadam dumtaxat congruitate ac decentia.* 137
TERTIA CONCLUSIO. *Ex hypothesi quòd lapsum hominem Deus reparare ac salvum facere voluerit, absoluta & extraordinaria sua potentia potuisset absque Incarnatione, & suæ justitiæ satisfacere, & hominem servare.* 140
QUARTA CONCLUSIO. *Ex potentia Dei ordinaria, & jure virtutibus temperato, seu ex legibus divinæ justitiæ, ita necessaria fuit Incarnatio Verbi, ac satisfactio per ipsum Deo persolvenda, ut sine illa homo lapsus reparari non potuisset.* 141
QUÆSTIO QUINTA. *De satisfactione & merito Christi.* 145
ARTICULUS I. *De necessitate satisfactionis Christi.* ibid.
Prænotanda. ibid.
Probatur necessitas satisfactionis Christi, ex parte Dei. 149
CONCLUSIO. *Ita necessaria fuit Christi satisfactio, ut de potentia Dei ordinaria jure ac virtutibus temperata, non potuerit homo lapsus alio pacto, quàm per condignam Christi satisfactionem, reparari.* ibid.
Probatur Conclusio ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum expositionibus vendicantur. ib
PRIMUM ARGUMENTUM, *ex natura seu justitia Dei.* ibid.
Responsio Socinianorum. 151
Refellitur Sociniana responsio. ibid.
SECUNDUM ARGUMENTUM, *ex voluntate Dei tùm in Lege tùm in Evangelio nobis revelata.* 152
Responsio Socinianorum. 153
Refellitur Sociniana Responsio. 154
Solvuntur Objectiones. 156
Probatur necessitas satisfactionis Christi ex parte hominis, qui non potuisset nec pro suo, nec pro alieno peccato, seu mortali, seu veniali, condignè Deo satisfacere. 159
PRIMA CONCLUSIO. *Homo purus, non potest Deo condignè satisfacere, pro suo vel alieno peccato mortali.* 160
SECUNDA CONCLUSIO. *Homo purus, nequidem pro veniali peccato suo, vel alieno, dignè Deo satisfacere potest.* 163
Solvuntur Objectiones. ibid.
ARTICULUS II. *De veritate satisfactionis Christi; seu, an Christus verè pro nobis Deo satisfecerit.* 169
Probatur ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum exceptionibus vindicantur. ibid.
PRIMUM EX SCRIPTURIS ARGUMENTUM. *Christus proprio suo sanguine nos redemit.* ibid.

Socinia-

Socinianorum responsio. 170
Refellitur. 171
SECUNDUM ARGUMENTUM. *Christus pro nobis, seu loco nostro, per veram substitutionem passus & mortuus est.* 173
Socinianorum responsio. 174
Refellitur. ibid.
TERTIUM ARGUMENTUM. *Christus peccata nostra portavit.* 177
Responsio Socinianorum. 178
Refellitur. 179
QUARTUM ARGUMENTUM. *Christus sacerdos sacrificium pro nobis obtulit.* 181
Responsio Sociniana. 182
Refellitur Sociniana responsio. 184
Secunda responsio refellitur. 185
Tertia responsio refellitur. 187
Solvuntur Socinianorum Objectiones. ibid.
ARTICULUS III. *De perfectione satisfactionis Christi.* 196
An satisfactio Christi ex sese perfecta fuerit; an ex sola Dei acceptantis liberalitate. 197
CONCLUSIO. *Satisfactio Christi ex sese perfecta & condigna fuit, non ex sola Dei acceptantis liberalitate.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 199
An satisfactio Christi aequivalens fuerit, imò & superabundans. 204
CONCLUSIO. *Satisfactio Christi non tantum aequivalens fuit, sed etiam superabundans.* ibid.
An satisfactio Christi fuerit ex vera justitia. 205
CONCLUSIO. *Satisfactio Christi fuit ex vera justitia.* 206
An satisfactio Christi fuerit ad strictos juris apices. 207
CONCLUSIO. *Satisfactio Christi fuit ad strictos juris apices.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 209
De merito Christi. 213
PRIMA CONCLUSIO. *Christus verè meritus est per eas ipsas actiones per quas Deo pro nobis satisfecit.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Christus meritus est à primo conceptionis instanti, usque ad extremum vitae suae mortalis spiritum.* 214
TERTIA CONCLUSIO. *Christus meruit per omnes actus amoris & dilectionis Dei, quos ex scientia infusa, non verò per eos quos ex beatifica visione eliciebat. Pariter meruit per actus obedientiae, humilitatis, Legis observantiae; uno verbo, per omnes actus virtutum moralium.* 215
QUARTA CONCLUSIO. *Christus sibi meruit gloriam corporis, nominis exaltationem, Gentium cultum & adorationem, Ecclesiae suae splendorem, firmitatem, diffusionem &c.* 216
QUINTA CONCLUSIO. *Christus ea omnia gratiae caelestis dona quae vel antecedunt vel subsequuntur justificationem, nobis abundè promeritus est.* 217
QUÆSTIO SEXTA. *De causis efficiente, finali, ac meritoria Incarnationis.* ibid.
ARTICULUS I. *De causa finali seu motiva Incarnationis. An si Adam non peccasset, Christus non venisset.* 218
CONCLUSIO. *Motivum totale & adaequatum Incarnationis Verbi divini, fuit humani generis redemptio: unde si Adam non peccasset, Christus non venisset.* 219
Solvuntur Objectiones. 220
ARTICULUS II. *De causa meritoria Incarnationis.* 229
CONCLUSIO. *Nec humanitas Christi in priori naturae instanti ad unionem, nec Christus ipse hypostaticam unionem meruit.* ibid.
Utrum Patriarchae, caeterique veteris Testamenti patres meruerint, aut mereri potuerint substantiam Incarnationis, vel aliquas duntaxat ejus circumstantias. 218
PRIMA CONCLUSIO. *Patriarchae, caeterique veteris Testamenti patres non meruerunt, nec mereri potuerunt de condigno substantiam Incarnationis.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Patriarchae, caeterique veteris Testamenti patres de congruo saltem aliquas Incarnationis circumstantias meruerunt.* ibid.
An beata Virgo meruerit esse matrem Dei. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Beata Virgo de condigno meruit illum gratiae ac sanctitatis gradum, quo posito electa est in matrem Dei.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Beata Virgo non meruit de condigno, ut fieret mater Dei.* 229
TERTIA CONCLUSIO. *Si meritum de congruo strictè & accuratè sumatur, beata Virgo suam maternitatem non meruit.* ibid.
QUARTA CONCLUSIO. *Si meritum de congruo latiori sensu accipiatur, pro eo scilicet*

cet quod habet quamdam coaptionem ad bonum ad quod ordinatur, dici non immeritò potest, B. Virginem de congruo suam meruisse maternitatem. ibid.
QUÆSTIO SEPTIMA. De quidditate seu natura Incarnationis, id est, unione duarum naturarum, divinæ & humanæ, in una Verbi persona. 230
ARTICULUS I. De veritate unionis hypostaticæ naturæ divinæ ac humanæ in una Christi persona. ibid.
Prænotanda. ibid.
Confutatur Nestoriana hæresis. 231
CONCLUSIO. Una est in Christo persona: unus est Christus: B. Virgo verè Deipara seu Dei genitrix est ac dicitur. ibid.
PRIMUM MOMENTUM, ex Scripturis. ibid.
Primum argumentum. Filius Dei homo factus est. ibid
Secundum argumentum. Una & eadem Christi persona simul homo & Deus est. 232
Tertium argumentum. Beata Virgo Deipara, seu mater Dei. ibid.
SECUNDUM MOMENTUM, ex Conciliis & publicis fidei professionibus. 233
TERTIUM MOMENTUM, ex SS. Patribus. 234
I. SS. Patres substantialem seu hypostaticam agnoscunt in Christo naturæ utriusque unionem. ibid.
II. SS. Patres unam, non duas in Christo personas; unum Christum, non duos agnoscunt ac profitentur. 235
III. SS. Patres beatam Virginem Deiparam, matrem & genitricem Dei agnoscunt. 236
QUARTUM MOMENTUM, ex Theologicis rationibus. 238
Solvuntur Objectiones Nestorianorum. 239
Utrum legitimè ac canonicè damnatus & depositus fuerit Nestorius. 248
CONCLUSIO. Nestorius legitimè ac canonicè ab Ephesina Synodo damnatus ac depositus fuit. 250
Solvuntur Objectiones. 251
Utrum Joannes Antiochenus cæterique cum ipso Orientales, non tantùm personæ, sed etiam errori Nestorii adhæserint. 256
CONCLUSIO. Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus, personæ duntaxat Nestorii, non ejus errori adhæsit. ibid.
Utrum S. Cyrillus Nestorium impugnans, in oppositum errorem lapsus fuerit. 259
CONCLUSIO. S. Cyrillus Nestorium impugnans, in oppositum Apollinaris errorem lapsus non fuit; ejusque Scripta ab omni erroris labe, qua ab Orientalibus aspersa fuerant, aliena sunt & omnino pura. ibid.
Confutatur hæresis Eutychiana. 264
CONCLUSIO. Duæ sunt in Christo post unionem distinctæ, inconfusæ ac impermixtæ naturæ, divina scilicet & humana, salvis utriusque proprietatibus. ibid.
Solvuntur Objectiones Eutychianorum. 267
ARTICULUS II. Quid sit unio hypostatica, & in quo consistat. 270
CONCLUSIO. Unio hypostatica non est quid distinctum à Verbo & humanitate, sed Verbum & humanitas seipsis formaliter absque ullo medio uniuntur. 271
Solvuntur Objectiones. 272
ARTICULUS III. De proprietatibus hypostaticæ unionis. 274
An unio hypostatica sit aliquid creatum. ibid.
An unio hypostatica sit in Christo naturalis & substantialis, an verò per gratiam. ibid.
Utrum unio hypostatica facta sit in natura, vel in persona. 275
Utrum unio hypostatica sit omnium maxima. 276
Utrum unio hypostatica perpetua sit, constans & indissolubilis. ibid.
An triduo mortis Christi Verbum unitum semper permanserit cum anima & corpore. 277
An sanguis è corpore Christi tempore Passionis ejusus, hypostaticè unitus remanserit cum Verbo divino. 279
QUÆSTIO OCTAVA. De extremis unionis, persona Verbi assumente, & humana natura assumpta. 282
ARTICULUS I. An subsistentia sit aliquid à substantia realiter distinctum. ibid.
CONCLUSIO. Subsistentia non est entitas realiter modaliter à substantia distincta, sed est ipsamet natura prout sui juris est, non alieni. 283
ARTICULUS II. An possit creata subsistentia alienam terminare naturam. 285
CONCLUSIO. Subsistentia creata non potest assumere naturam nec se perfectiorem, nec sibi æqualem, sed tantùm inferiorem. ibid.
ARTICULUS III. An natura divina præcisa à suis relationibus, immediatè ac per se possit uniri humanitati; & utrum si daretur in Deo absoluta subsistentia, posset humanitati immediatè conjungi. 286
PRIMA CONCLUSIO. Divina essentia à suis relationibus præcisa, immediatè ac per se non

non potest humana naturâ conjungi. ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Ex hypothesi impossibili quòd unica foret in Deo absoluta subsistentia seu personalitas, impossibile non esset humanam naturam à divina assumi.* ibid.
ARTICULUS IV. *An plures divinæ personæ possint eamdem assumere humanitatem, aut plures; vel una persona pluribus naturis simul uniri.* ibid.
CONCLUSIO. *Impossibile non videtur, aut plures personas divinas eamdem, vel plures naturas simul assumere; aut unam personam pluribus simul naturis conjungi.* ibid.
DE NATURA ASSUMPTA. 287
ARTICULUS I. *An Verbum divinum veram nobisque consubstantialem naturam humanam assumpserit.* 288
CONCLUSIO. *Verbum divinum veram nobisque consubstantialem humanitatem, solidum corpus, veram carnem ex Maria Virgine natam assumpsit.* ibid.
Solvuntur Objectiones veterum Hæreticorum. 292
ARTICULUS II. *An Verbum divinum humanitatem per se subsistentem, seu personam hominis assumpserit, vel saltem assumere potuerit.* 295
CONCLUSIO. *Verbum divinum non assumpsit, imò nec assumere potuit humanitatem per se subsistentem, seu personam hominis.* ibid.
ARTICULUS III. *An Verbum divinum assumpserit naturam universalem ab omnibus individuis abstractam, an singularem.* 296
CONCLUSIO. *Verbum divinum naturam singularem assumpsit, non universalem ab omnibus individuis abstractam.* ibid.
ARTICULUS IV. *Utrum angelica natura, vel etiam irrationalis, potuerit à Verbo assumi.* ib.
PRIMA CONCLUSIO. *Verbum divinum potuisset, si voluisset, naturam angelicam sibi in unitatem suppositi unire. Quare verò eam non assumpserit, non certò, sed ex conjecturis dumtaxat definiri potest.* 297
SECUNDA CONCLUSIO. *Verbum non potuit naturam irrationalem assumere.* ibid.
ARTICULUS V. *De ordine quo humanitas à Verbo assumpta fuit. An immediatè Verbum carnem assumpserit; an verò anima mediante.* 298
PRIMA CONCLUSIO. *Verbum divinum nullo instanti temporis priùs assumpsit animam quàm corpus, nec Christus priùs homo perfectus fuit, quàm hypostaticè conjunctus fuerit cum Verbo; sed eodem instanti temporis Verbum & animam & corpus humanum assumpsit.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Verbum divinum carnem assumpsit anima mediante; adeoque priùs prioritate naturæ, aut quasi naturæ, assumpta est anima, quàm caro, non ex congruentia tantùm, sed ex necessitate.* 299
QUÆSTIO NONA. *De consectariis unionis hypostaticæ.* 302
ARTICULUS I. *An sit in Christo duplex voluntas & duplex operatio, divina & humana.* ib.
CONCLUSIO. *Duplex fuit in Christo voluntas & operatio.* 303
PRIMUM ARGUMENTUM, *ex verbis Christi.* ibid.
SECUNDUM ARGUMENTUM, *ex factis Christi.* 304
TERTIUM ARGUMENTUM, *ex actionibus & passionibus Christi humanis.* ibid.
Solvuntur Objectiones Monothelitarum. 306
ARTICULUS II. *De communicatione idiomatum in Christo: an, & quæ sit admittenda.* 309
De communicatione idiomatum in concreto & respectu personæ, adversùs Nestorianos. 310
CONCLUSIO. *Admittenda est idiomatum communicatio in concreto, seu respectu ipsius personæ.* ib.
Regula observanda circa communicationem idiomatum. 311
De communicatione idiomatum in abstracto, adversùs Lutheranos. 314
An ubiquitas seu ubique præsentia corpori Christi tribuenda sit. ibid.
CONCLUSIO. *Non est admittenda communicatio idiomatum in abstracto, proprietatum naturæ divinæ respectu humanæ, multò minùs proprietatum naturæ humanæ respectu divinæ. Unde prorsus falsæ sunt istæ propositiones Lutheranorum,* Humanitas Christi est ubique, & omnipotens &c. 314
Solvuntur Objectiones. 316
ARTICULUS III. *An Christus dici possint compositus. An dici possint duæ naturæ, vel ex, aut in duabus naturis, aut ex tribus substantiis.* 318
PRIMA CONCLUSIO. *Christus compositus non est ea compositione quæ fit ex partibus incompletis propriè dictis, quæ mutuam ad se invicem habitudinem dicant ad totum constituendum.* 319
SECUNDA CONCLUSIO. *Christus non immeritò compositus dici potest, ea compositionis specie quæ fit per modum numeri, & appellari solet compositio* cum his. ibid.
QUÆSTIO DECIMA. *De carne Christi, & pertinentibus ad illam.* 321
ARTICULUS I. *An Verbum divinum veram & solidam carnem assumpserit.* ibid.
CONCLUSIO. *Verbum divinum veram, physicam & solidam carnem assumpsit, non umbrati-*

bratilem, non phantasticam aut cœlitus delapsam, quæ per Mariam Virginem, tanquam per merum canalem transierit. ibid.
ARTICULUS II. *An Verbum divinum omnes humani corporis partes, etiam sanguinem, assumpserit.* 323
CONCLUSIO. *Verbum divinum omnes humani corporis partes sibi hypostaticè conjunxit.* ibid.
ARTICULUS III. *De modo quo Verbum divinum carnem ex B. Virgine assumpsit: an illibata semper ac integra remanente ipsius virginitate.* 324
CONCLUSIO. *Verbum divinum carnem ex B. Virgine, mire prorsus ac stupendo modo, operante Spiritu Sancto, assumpsit; perpetua & inviolata permanente genitricis Mariæ, sive ante partum, sive in partu, sive post partum, virginitate.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 327
ARTICULUS IV. *An Christus specie seu forma decorus fuerit.* 329
ARTICULUS V. *An Christus humanos defectus assumpserit.* 331
CONCLUSIO. *Christus omnes humani corporis communes defectus assumpsit; non speciales, qui ex singulari causarum secundarum dispositione nascuntur.* 332
ARTICULUS VI. *An Christus doloribus verè obnoxius fuerit.* ibid.
Observanda. ibid.
CONCLUSIO. *Christus dolori, cæterisque communibus humanæ naturæ infirmitatibus obnoxius fuit; quamquam à nostris, tùm causa, tùm necessitate ac effectu, longè diversis.* 334
Solvuntur Objectiones. 336
ARTICULUS VII. *De modo quo humanitas Christi miracula operabatur.* 341
CONCLUSIO. *Probabile est humanitatem Christi physicè ad ea miracula concurrisse, quæ contactu, aut actione physica in subjecta præsentia, moraliter verò ad illa quæ in subjecta distantia peracta fuerunt.* 342
QUÆSTIO UNDECIMA. *De anima Christi, & pertinentibus ad illam.* 343
ARTICULUS I. *An verbum divinum veram animam & mentem humanam assumpserit.* ibid.
CONCLUSIO. *Verbum divinum animam & mentem humanam sibi assumpsit.* 344
Utrum anima Christi post mortem ad inferos descenderit. 346
CONCLUSIO. *Anima Christi verè in infernum descendit, hoc est inferiores ac profundiores terræ partes, ut inde Sanctos veteris Testamenti erueret ac liberaret.* 347
ARTICULUS II. *De perfectione animæ Christi quantùm ad intellectionem; seu, de Scientia Christi.* 349
CONCLUSIO. *Anima Christi statim à primo conceptionis instanti, & perfectissima humana rerum omnium scientia, & beatifica seu intuitiva Dei visione donata fuit, nec tamen Deum propriè comprehendit.* 350
Solvuntur Objectiones. 355
ARTICULUS III. *De perfectione animæ Christi quantùm ad voluntatem: seu de gratia, donis ac virtutibus animæ Christi concessis.* 363
PRIMA CONCLUSIO. *Fuit in Christo gratia unionis, seu substantialis, per quam humanitas Christi substantialiter sancta, Deoque acceptissima erat.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Præter gratiam unionis & sanctitatem substantialem, fuit in Christo gratia habitualis, & sanctitas adventitia perficiens animam in ordine ad operationes supernaturales.* 364
TERTIA CONCLUSIO. *Fuit in Christo gratia actualis, non quidem excitans, sed operans & cooperans.* 365
QUARTA CONCLUSIO. *Fuit in Christo gratia Capitis.* ibid.
QUINTA CONCLUSIO. *Fuerunt in Christo gratiæ gratis datæ.* 366
SEXTA CONCLUSIO. *Fuerunt in Christo virtutes omnes morales, sive infusæ, sive acquisitæ; detractis omnibus imperfectionibus, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis adversantur.* ibid.
SEPTIMA CONCLUSIO. *Non fuit in Christo fides, aut spes theologica.* 367
ULTIMA CONCLUSIO. *Fuere in Christo dona Spiritus sancti.* ibid.
ARTICULUS IV. *De libertate, sanctitate, ac impeccantia Christi.* ibid.
De sanctitate animæ Christi, ejusque impeccantia. An aliquod in Christo peccatum fuerit, aut esse absolutè potuerit; & quæ impeccantiæ ipsius vera causa & ratio. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Fuit in Christo sanctitas quædam naturalis ac substantialis, ex sua cum Verbo divino unione derivata.* 368
SECUNDA CONCLUSIO. *Nullum unquam fuit, nec esse potuit in Christo peccatum; ejusque impeccantia, non gratiæ tantùm, sed naturæ, vi unionis hypostaticæ, referenda est.* 369
De libertate Christi. Qua ratione conciliari illa possit cum ejus impeccantia. 373
Varii recensentur modi conciliandi libertatem Christi cum ejus impeccantia. 374

Primus

Primus modus. Christus liber non in sensu composito, sed diviso. 375
Secundus modus. Christus liber circa circumstantias, non circa substantiam praecepti. ibid.
Tertius modus. Christus verum non habuit moriendi mandatum. 376
Quartus & verisimilior modus conciliandi libertatem Christi cum imposito moriendi mandato, ejusque impeccantia. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Christus verè liber fuit, non tantùm circa circumstantias imperata mortis, sed etiam circa mortem ipsam.* 377
SECUNDA CONCLUSIO. *Libertas Christi in obeunda morte, tùm cum mandato Patris mortem imperantis, tùm cum ipsamet Christi impeccantia, in eo conciliari rectè potest, quòd moriendi mandatum absolutum non fuerit, & à libero Christi illud acceptantis consensu omnino independens, sed conditionatum, si nempe vellet Christus illud acceptare, quod reipsa volens ac lubens acceptavit.* 378
An fuerint in Christo humana natura passiones. 381
CONCLUSIO. *Fuerunt in Christo humana natura passiones, seclusis omnibus imperfectionibus qua nobis adharescunt, & ex peccato sequuntur.* 382
QUÆSTIO DUODECIMA. *De variis Christi titulis & officiis.* 383
I. *An Christus dici possit filius Dei adoptivus.* ibid.
CONCLUSIO. *Christus nulla ratione, nequidem sub expressa humanitatis restrictione, dici debet filius Dei adoptivus.* 385
Solvuntur Objectiones. 386
II. *Potestne Christus servus appellari & creatura?* 388
III. *Potestne Christus Mediator appellari; & secundùm quam naturam?* 389
PRIMA CONCLUSIO. *Christus omnibus modis mox recensitis verus Mediator est Deum inter & homines.* 390
SECUNDA CONCLUSIO. *Christus ut Deus homo, secundùm utramque naturam, divinam & humanam, Mediatoris nostri partes implevit.* ibid.
Oravitne Christus tanquam mediator? 391
Fuitne Christus verus Sacerdos? ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Christus verus est Sacerdos ac Pontifex nova Legis.* 392
SECUNDA CONCLUSIO. *Christus fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* ibid.
Sitne Homo Christus caput Ecclesia, & omnium tùm hominum, tùm Angelorum? 393
CONCLUSIO. *Christus homo est caput Ecclesia, hominum & Angelorum.* ibid.
Fueritne Christus homo Rex & Judex. 394
QUÆSTIO ULTIMA. *De adoratione Christi, Sanctorum invocatione, Reliquiarum & Imaginum cultu.* 395
Observanda. ibid.
De adoratione Christi hominis. 397
CONCLUSIO. *Humana Christi natura hypostaticè Verbo conjuncta, eadem unica cum divinitate Verbi adoratione colenda est.* 398
De cultu, invocatione & intercessione Sanctorum. 399
An sint colendi Sancti? ibid.
CONCLUSIO. *Antiquus est, rectus ac laudabilis Sanctorum cum Christo in Cœlis regnantium cultus.* 400
De invocatione & intercessione Sanctorum. 401
CONCLUSIO. *Bonum atque utile est invocare Sanctos, ut pro nobis ad Deum intercedant.* ibid.
De cultu Crucis, Reliquiarum ac Imaginum Sanctorum. 408
De Cultu Crucis. ibid.
An vera Crux Christi, vel imago ejus adoranda sit cultu latria. 409
CONCLUSIO. *Neque vera Christi Crux, neque ejus imago, adoratione latria est adoranda.* 410
De cultu sanctarum Reliquiarum. 413
CONCLUSIO. *Reliquiis Sanctorum meritò ac licitè religiosus cultus impenditur.* ibid.
De cultu Imaginum. ibid.
An imaginum usus antiquus sit in Ecclesia. 414
CONCLUSIO. *Non ità frequens, attamen fuit aliquis apud Christianos tribus primis Ecclesia saculis, Imaginum usus.* ibid.
An licitus sit Imaginum cultus, & quo cultu colenda sint. 415
PRIMA CONCLUSIO. *Licitus est Imaginum cultus, nec idololatria incusandus.* 416
SECUNDA CONCLUSIO. *Imagines Christi & Sanctorum veneranda sunt, non quidem cultu latria, aut etiam nudo ac simpliciter civili, sed religioso, non penitus absoluto, sed relativo ad exemplaria quorum imagines sunt.* 420
Solvuntur Objectiones. ibid.

NO!

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P.F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato *Prælectiones Theologicæ de Incarnatione Verbi Divini, quas in Scholis Sorbonicis habuit Honoratus Tournely*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, & buoni costumi, concedemo Licenza a Nicolò Pezzana, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 6. Giugno 1728.


{ *Gio: Francesco Morosini Kav. Ref.*

{ *Alvise Pisani Kav. Proc. Ref.*

{

Agostino Gadaldini Segr.

PRÆ-



PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ *DE* INCARNATIONE VERBI DIVINI.



Otam de Incarnatione Verbi divini Disputationem tredecim Quæstionibus absolvemus.

Prima prævia erit de cognitione Mysterii Incarnationis.

Secunda, de possibilitate illius ac convenientia.

Tertia, de existentia.

Quarta, de necessitate.

Quinta, de satisfactione ac merito Christi.

Sexta, de caussis efficiente, finali, & meritoria Incarnationis.

Septima, de natura Incarnationis, seu de unione duplicis naturæ, divinæ & humanæ, in una Verbi persona.

Octava, de extremis unionis, persona Verbi assumentis, & natura assumpta.

Nona, de pertinentibus ad unionem duplicis in Christo naturæ, duplici voluntate, operatione, idiomatum communicatione &c.

Decima, de carne Christi & pertinentibus ad illam.

Undecima, de anima Christi & pertinentibus ad illam.

Duodecima, de variis Christi officiis ac titulis.

Decima tertia, de adoratione Christi, Imaginum & Reliquiarum cultu.

QUÆSTIO I. PRÆVIA.

De cognitione Mysterii Incarnationis.

Quatuor erunt hujusce primæ Quæstionis Articuli.

Primus, de variis nominibus ac definitione Incarnationis.

Secundus, an Mysterium Incarnationis ratione naturali demonstrari possit.

Tertius, an Angelis, Judæis, aut Gentilibus notum aliquando fuerit Incarnationis Mysterium.

Quartus denique, de variis erroribus quibus Mysterium Incarnationis impugnatum fuit.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis nominibus, & definitione Incarnationis.

Mysterium Incarnationis à nobis considerari potest, vel ex parte Dei Filium suum mittentis; vel ex parte Filii qui mittitur; vel ratione nostri, seu beneficiorum quæ ex Incarnatione Verbi ad nos defluunt; vel denique ratione sui præcisè: pro varia autem illa consideratione varioque respectu, variis nominibus designari ac describi solet Incarnationis Mysterium.

Varia Incarnationis nomina.

I. Ex parte Dei.

I. Ex parte Dei mittentis Filium.

Dicitur 1. *Missio Filii*. Galat. 4. v. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. Joan. 10. v. 36. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas; quia dixi, Filius Dei sum?*

Dicitur 2. *Dei dilectio*. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.*

Dicitur 3. *Visitatio & redemptio*, Lucæ 1. v. 68. *Visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

Dicitur 4. *Oeconomia & dispensatio*, quod nomen apud Veteres, præsertim Græcos, usitatissimum est, qui generatim omnem de Deo sermonem ac disputationem partiri ac dividere solent in Theologicam, quæ de Deo ac divinis ejus perfectionibus, & æconomiam, quæ de Incarnatione seu de Christo tractat. Vox autem ista *æconomia*, tria hic significat. 1. providam ac sapientem Dei erga genus humanum administrationem, qua familiæ suæ prospiciens, Christum *dedit caput supra omnem Ecclesiam*, Ephes. 1. v. 22. 2. assumptionem naturæ humanæ à Verbo in unitate personæ, seu assumptam à Verbo humanitatem, omnesque ejus affectiones ac proprietates naturales, quæ assumptio meritò œconomia & dispensatio appellatur, quia nempe in assumpta humanitate mirè elucet Dei indulgentia ac benefica providentia, qui sese temperato divinitatis fulgore ad nos demittere dignatus est, ut nos edoceret ac salvos faceret. *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus*, ait

ait Apostolus ad Titum 2. v. 12. *erudiens nos, ut abnegantes omnem impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo*. Quam gratiam cap. 3. v. 4. idem Apostolus appellat *benignitatem & humanitatem Salvatoris*. 3. Significat accommodationem quamdam & de jure suo decessionem, quando nimirum quis ex condescensu id agit, ad quod jure non tenetur: quomodo S. Paulus, Judæorum conciliandorum causa, Timotheum circumcidit; quomodo etiam Christus ipse, qui venerat Legem non solvere sed adimplere, ex œconomia circumcidi voluit, tametsi lege circumcisionis strictò jure non teneretur. Hoc triplici vocis œconomiæ sensu postposito, Apollinaristæ tertium usurparunt, œconomiæ nomine intelligentes fictam & umbratilem Verbi divini Incarnationem; à quo scilicet non reipsa, sed specie tenus assumptam ex quadam œconomia humanitatem asserebant, quem errorem postea refellemus.

II. Ex parte Filii qui à Patre mittitur, Incarnatio

Dicitur 1. *assumptio*, seu *acceptio*, aut *apprehensio*, naturæ scilicet humanæ. Philip. 2. v. 7. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Et Heb. 2. v. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Istum loquendi modum aliquando improbavit ac rejecit S. Cyrillus, quòd erroris Nestoriani suspectus foret, maximè cùm dicebatur, Verbum assumpsisse hominem: hoc enim loquendi modo innuebatur, Verbum non tantùm naturam, sed & personam hominis assumpsisse; unde consequens erat 1. duas esse in Christo personas unione dumtaxat morali inter se conjunctas. 2. Christum non natura & substantia Deum esse, sed gratia & adoptione, in quo positus erat error Nestorii. Hac autem rejecta falsa & erronea significatione, sano & catholico sensu aliquando idem sanctus Cyrillus scripsit, à Verbo assumptum hominem fuisse, id est naturam ipsam humanam.

II. Ex parte Filii qui mittitur.

Dicitur 2. *descensus Filii, & accessus ad nos*. Joan. 6. v. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Et Epistolæ 2. v. 7. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem*.

Dicitur 3. *abbreviatio, exinanitio*. Isaiæ 10. v. 23. *Abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*. Philipp. 2. v. 7. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*.

4. Ab antiquis Græcis appellatur ἐπιφάνεια, θεοφάνεια, φανέρωσις, id est, *Dei manifestatio, & declaratio*; quia nempe per Incarnationem Deus *manifestatus est in carne*, 1. ad Timoth. 2. v. 16. Quippe cùm ab æterno lucem inaccessibilem habitasset, in plenitudine temporis sese nobis aspectabilem & tractabilem exhibuit. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ . . . . annuntiamus vobis*, ait S. Joann. cap. 1. v. 1. Epist. suæ 1.

III. Ratione nostri, ac beneficiorum quæ ex Verbo incarnato in nos defluxerunt. III. Ratione nostri.

Incarnatio dicitur 1. *habitatio*, Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. 2. *conversatio*, Baruch. 3. v. 38. *In terris visus est, & cum hominibus conversatus*. Hinc Isaiæ 7. v. 14. Christus vocatur *Emmanuel*;

id est, interprete S. Matthæo cap. 1. v. 23. *Nobiscum Deus*. 3. dicitur *anacephaleosis*, seu *recapitulatio* & *instauratio* rerum omnium: tùm quia Christus finis fuit & consummatio prophetiarum, cæremoniarum ac præceptorum Legis Mosaicæ; tùm quia *instauravit omnia sive in cælo sive in terra*. Ephes. 1. v. 10.

Dicitur denique *redemptio*. Ephes. 1. v. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.*

IV. Ratione sui. IV. Mysterium Incarnationis in se seu ratione sui consideratum, ab Antiquis dicitur *unio*, *unitio*, *unitas*, *adunatio*, naturæ scilicet divinæ cum humana in una Verbi persona. Dicitur etiam *mixtura*, *commixtio*, non ea quidem qua confunduntur ac permiscentur naturæ, ut putabat Eutyches, sed qua intimè uniuntur unione hypostatica seu personali. Dicitur etiam *inhumatio* à S. Ambrosio, *corporatio*, seu *incorporatio* à Tertulliano L. de carne Christi, à Gaudentio Serm. 23. &c. sed omnium aptissima & communi Theologorum usu comprobata nuncupatio, est *Incarnatio*, græcè *σάρκωσις*, ex his S. Joannis cap. 1. v. 14. verbis composita, *Verbum caro factum est*; non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Carnis autem nomine, per synecdochen, tota & integra intelligitur humanitas, more Scripturæ, Gen. 6. v. 12. *Omnis caro corruperat viam suam*. Lucæ 3. v. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*; id est, omnis homo: pars pro toto his in locis sumitur. Aptissimum porrò est Incarnationis nomen, ad significandam veram, intimam ac hypostaticam unionem naturæ utriusque, divinæ ac humanæ, in una Christi persona.

Definitio Incarnationis.

Ex his rectè definiri potest Incarnatio, *Unio personalis seu hypostatica naturæ divinæ ac humanæ in una Verbi divini persona, ex qua unus est Christus.*

Dicitur *unio*, id est, distinctorum conjunctio. Revera enim duplex in Christo distincta natura unitur seu conjungitur, divina scilicet cum humana.

Dicitur *personalis*, seu *hypostatica*, non moralis tantùm, non metaphorica, non ex gratia solummodo & adoptione, aut prædestinatione, sed ex vera, reali ac physica unione naturæ utriusque in una persona: eo ferè modo quo anima unitur cum corpore unione physica & reali, ex qua homo constat.

Dicitur *in una Verbi personâ, ex qua unus est Christus*. Quippe non remanet in hac unione personalitas hominis, sed à persona Verbi suppletur: unde non duæ sunt in Christo personæ, sed una; nec duo sunt Christi, sed unus, ob unitatem scilicet personæ Verbi humanitatem assumentis.

Dilucidè omnino Mysterium illud describit ac exponit Symbolum quod Athanasii nomine circumfertur, his verbis:

Necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat, qui salvus fieri velit.

Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei filius, Deus & homo est.

Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus; & homo ex substantia matris in sæculo natus.

Per-

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundùm divinitatem; minor Patre secundùm humanitatem.

Qui licèt Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.

Nihil nitidius, accuratius nihil de hocce Mysterio dici potest.

Eamdem fidem luculenter exponunt ac describunt Patres Concilii Chalcedonensis anno 451. in definitione fidei. *Sequentes igitur*, ajunt, *sanctos Patres, unum eumdemque confiteri filium & Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundùm deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundùm humanitatem*, per omnia nobis similem absque peccato: *ante sæcula quidem de Patre genitum secundùm deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundùm humanitatem, unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam concurrente: non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque filium & unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum.*

Tom. 4. Conc. p. 656. E.

Heb. 4.

Habetis in hocce duplici testimonio, Symboli Athanasiani, & Concilii Chalcedonensis, accuratè delineatam substantiam Mysterii Incarnationis, omnesque ipsius partes, quas in ipso hujus Tractationis aditu ante oculos vestros posuisse necesse fuit, dilectissimi Candidati, ut hac prælibata cognitione, quæ subinde dicturi sumus faciliùs intelligatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Mysterium Incarnationis ratione naturali demonstrari possit.

Supponimus hìc quæ in Tractatu de SS. Trinitate jam dicta sunt qu. 1. Art. 1. demonstrationem aliam esse à priori quæ fit per causas, aliam à posteriori quæ fit per effectus; rursus demonstrari aliquid posse aut positivè, aut negativè, supposita, vel non supposita Mysterii revelatione.

CONCLUSIO.

Mysterium Incarnationis, sive ante; sive post revelationem, sola ratione naturali positivè demonstrari non potest, sed negativè dumtaxat.

Prima pars probatur 1. ex Scripturis. Coloss. 1. v. 26. dicitur, *Myste-*

rium quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus. Ephes. 3. v. 8. 9. & 10. *Mihi sanctorum minimo*, ait Apostolus, *data est gratia hæc, in Gentibus evangelisare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo.* Quapropter post solemnem S. Petri in Christum Deum fidei professionem, Matth. 16. v. 17. continuò subjicit Christus: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Superfluum videtur alia plura hic referre Scripturæ testimonia, quibus constat mysteria fidei altiora esse & ab omni captu nostro remotiora, quàm ut humana Philosophia & ratione attingi possint.

Favent SS. Patres, quos sæpius eam in rem laudavimus: unus hic sufficiet S. Augustinus Epistola 137. aliàs 3. ad Volusianum cap. 2. in fine, ubi de Myste-
To. 2. p. 405. A. B. rio Christi incarnati verba faciens, *Si ratio*, inquit, *hic quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Ibidem n. 5. ex ignoratione rerum humanarum quæ quotidie oculis nostris observantur, eorum audaciam ac temeritatem reprimit, qui res divinas negant, quòd eas animo capere non possint. Quis etenim explicare satis valeat, quomodo anima unitur corpori? quomodo per sensus corporeos sensibilia objecta percipit? quomodo semen terræ commissum in segetes vel arbores crescat? *Miratur hoc* (unionem divinitatis
Ibid. p. 403. C. cum humanitate) *mens humana*, inquit S. Doctor, *& quia non capit, fortasse nec credit: seipsam primitus ingrata miretur, seipsam paululum, si potest, attollat à corpore, & ab eis rebus quas solet sentire per corpus; & videat ipsa quid sit quæ utitur corpore. Sed fortè non potest. Magni quippe est ingenii, revocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere.* Deinde n. 11. addit longè difficilius esse exponere unionem naturæ spiritualis cum corporea, animæ v. g. rationalis cum corpore, quàm unionem duarum naturarum spiritualium; quia scilicet nulla proportio est inter spiritum & materiam: atqui tamen uniri animam cum corpore, omnes fatentur;
Ibid. p. 406. A. quare igitur negant nonnulli uniri divinitatem cum humanitate in Christo? *Duarum*, inquit, *rerum incorporearum commixtio faciliùs credi debuit, quàm unius incorporeæ, & alterius corporeæ.*

Probatur 2. Theologica ratione. 1. ex natura fidei, quæ cùm ex sese obscura sit ac inevidens, sub demonstrationem cadere non potest. 2. quia demonstratio vel fit à priori per causas, vel à posteriori per effectus: atqui neque per causas, neque per effectus demonstrari potest Mysterium Incarnationis. Non per causas; vel enim efficiens est, vel formalis: efficiens ipsamet est divina voluntas & omnipotentia, cujus nulla reddi ratio potest; *In talibus etenim rebus*, ait S. Augustinus mox laudatus, *tota ratio facti est voluntas facientis.* Causa verò formalis est ipsamet unio personalis Verbi cum humanitate, de qua quærimus, an possit demonstrari. Neque etiam per effectus naturales demonstratio hæc fieri potest; nulli etenim sunt qui necessariam habeant cum
To. 1. p. 480. hoc Mysterio connexionem; nulli ex quibus ostendi possit, *salva proprietate utriusque naturæ, & in unam coeunte personam, susceptam esse à majestate humi-*

humilitatem, à virtute infirmitatem, ab æternitate mortalitatem, verba sunt S. Leonis Epistola 24. aliàs 10. cap. 3. Revera quidem nonnullis ex rebus naturalibus similitudinibus ac exemplis unionem illam utcunque exponere ac illustrare conantur SS. Ecclesiæ Doctores; at quantùm ista distent à nostro Mysterio, ac disparata sint, facilè quilibet intelligere potest.

Secunda pars Conclusionis facilè ostenditur: Illud etenim negativè demonstrari dicitur, quod non probatur impossibile, & à momentis seu argumentis quibus impugnatur, vindicatur: atqui tale est Incarnationis mysterium; quod enim verum est, nunquam potest demonstrari esse falsum.

Dices: Mysterium Incarnationis est evidenter credibile; ergo & evidenter possibile: quod enim evidenter impossibile, evidenter quoque incredibile est; ergo à contrario, quod est evidenter credibile evidenter quoque est possibile.

Resp. nego conseq. Ex alio quippe capite repetitur evidens rei alicujus credibilitas, & ejus possibilitas: hæc ab intimis rei principiis, quæ concipiuntur non repugnare; illa verò ab externis testimoniis, quæ consensum mentis necessariò exprimunt. Tot porrò sunt splendida testimonia seu motiva quibus mysteria fidei nostræ evidenter credibilia fiunt, ut nemo sanus iis reluctari possit: quia tamen intima horumce mysteriorum principia obscurissima sunt, & ab omni captu nostro remotissima, nobis ex solo naturæ lumine vera & possibilia non innotescunt, sed superiori lumine fidei opus est, quo mens elevata & illustrata ea credit, quæ non intelligit.

Instabis 1. Homo solo naturæ lumine cognoscit Deum omnia posse, atque naturam humanam sua propria spoliari posse subsistentia seu personalitate; ergo cognoscere potest divinam naturam conjungi posse cum humana, unione quadam intima & personali, qua ferè ratione anima humana unitur corpori.

Resp. 1. sola quidem duce ratione nos generàtim ac confusè cognoscere Deum omnia posse, at non idcirco distinctè cognoscimus omnem & quemlibet divinæ omnipotentiæ terminum etiam in rebus naturalibus, quantò minùs in supernaturalibus, quarum ne ideam quidem ac notionem ex natura habere possumus? multa enim nobis mortalibus impossibilia videri possunt, quæ tamen impossibilia non sunt; atque necesse est fateri cum Augustino, *Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.*

II. Stando in solo naturæ lumine, non cognoscimus naturam humanam sua propria subsistentia spoliari posse, eamque ab alia superiori suppleri. Quare? quia subsistentia à natura ipsa non distinguitur; atque naturam sua subsistentia spoliari posse, idem videtur esse, (si una audiatur humana Philosophia) ac naturam semetipsa posse spoliari, seu simul esse & non esse, quod repugnant. Ideam quidem istam ac notionem fides corrigit & emendat, quæ docet in Mysterio Trinitatis naturam seu essentiam Patris Filio totam communicari, non communicata propria subsistentia seu personalitate Patris: in Mysterio pariter Incarnationis, perfectam esse in Christo hominis naturam, sine subsistentia seu personalitate propria hominis. Verùm humana ratio sibi relicta nihil tale cogitare unquam ac suspicari potest; neque exemplum unionis animæ cum corpore, omni ex parte hic aptum videtur. In hoc enim maximè deficit, quòd anima & corpus duæ sint partes incompletæ ad hominem con-

ftituendum ordinatæ, ex quarum unione una resultat hominis & persona & natura: in Christo autem non una, sed duæ etiam post unionem remanent impermixtæ ac inconfusæ naturæ, divina scilicet & humana, cum suis integris proprietatibus. Hoc exemplo unionis animæ cum corpore abutebantur Eutychiani, ut ostenderent unam in Christo post unionem naturam esse, quemadmodum & personam. Unionem porrò illam animæ spiritualis cum corpore materiali, ex intimo quidem sensu experimur omnes; at nemo hactenus fuit animo tam acuto & perspicaci, qui clarè ac nitidè unionem illam physicam & intimam explicare potuerit: naturæ arcanum est humano ingenio prorsus impervium & inaccessum.

Instabis 2. Naturaliter cognosci potest, summum & infinitum bonum sui diffusivum esse modo præstantissimo: at non alius est perfectior modus quo seipsum diffundat ac communicet, quàm per intimam sui cum humanitate conjunctionem.

Resp. Naturaliter quidem cognoscimus Deum esse summum & infinitum bonum, cujus proprium est ut se diffundat modo perfectissimo, qui nobis possibilis videtur ac naturæ humanæ proportionatus: at unio illa intima & personalis divinitatis cum humanitate, sola ratione duce, nec possibilis nobis videtur, nec humanitati nostræ proportionata.

ARTICULUS III.

An Mysterium Incarnationis cognitum fuerit Angelis, Judæis, & Gentilibus?

MYsterium Incarnationis spectari potest, vel ut futurum ac promissum; vel ut factum & impletum. Rursus Angeli vel boni sunt ac beati, vel mali ac reprobi, qui dæmones vulgò appellantur.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli boni ac beati, & futurum & factum seu impletum agnovere Incarnationis Mysterium.

Probatur ex Scriptura. Hebr. 1. v. 6. *Cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quomodo verò Filium Dei adorassent, nisi cognovissent? Gabriel ad Mariam missus est ut ipsi annuntiaret nasciturum ex ea filium: *Ecce*, inquit apud S. Lucam cap. 1. v. 31. *concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.*

Postea recenter natum Angeli festis acclamationibus celebrant, apud eumdem S. Lucam cap. 2. v. 10. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Et Matth. 4. v. 11. *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Denique S. Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 16. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus &c.*

Dices:

Dices : Ex Apostolo Eph. 3. Angeli nonnisi ex prædicatione Apostolorum Christum certò cognovere. Postquam enim declaravit S.Paulus v. 8. *sibi omnium Sanctorum minimo datam esse gratiam hanc, in Gentibus evangelisare investigabiles divitias Christi*; v.10.ait: *ut innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei*. Ad quem locum S. Joann. Chrysostomus Orat. 4. de incomprehensibili Dei natura, & Hom. 1. in Evangelium S. Joannis, Theophilactus, Oecumenius, Theodoretus in eumdem locum, & S. Gregorius Nyssenus Hom. 8. ad Canticum Canticorum, docent Angelis ex prædicatione Apostolorum primùm innotuisse Incarnationis Mysterium, quod priùs ipsis incognitum fuerat. Inde est quòd ipsimet Angeli Psalm. 23. v. 8. 9. & 10. inducuntur ex anxietate sciscitantes in Ascensione Christi, *Quis est iste Rex gloriæ?* & apud Isaiam cap. 63. v. 1. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Quæ verba expendentes SS. Justinus Dial. cum Tryphone, Ambrosius L. de Mysteriis c. 7. & L. 4. de fide c. 1. Hieronymus ad caput 63. Isaiæ, affirmant anxios circa divinitatem Christi Angelos fuisse, nec priùs de illa certiores esse factos, quàm cùm Christus à mortuis suscitatus in Cœlum spectantibus discipulis se recepit.

Resp. dist. ant. Angeli nonnisi ex prædicatione Apostolorum Christum agnovere plena & perfecta cognitione, & quantùm ad omnes redemptionis humanæ effectus, quos usu ipso & experientia compertos habuere, concedo; simpliciter & absolutè non cognovere, nego. Ita respondet S.Thomas Commentario in caput 3. ad Ephesios. *Quòd beati Angeli*, inquit, *qui immediatè Verbum conspiciunt, quod est speculum sine macula, in quo relucent omnia, à viatoribus doceantur, dici non debet, nec conveniens videtur. Dicendum est ergo, quòd innotuit Angelis per Ecclesiam primò per Apostolos prædicantes, non quòd Angeli hoc didicerint ab eis, sed in eis.* T. 8. p. 416. col. 1. B. C.

Citatis locis ex Psal. 23. & Isaiæ 63. non anxietas & dubitatio, sed admiratio exprimitur.

SECUNDA CONLUSIO.

Dæmones aliquando dubii & anxii videntur fuisse circa Christi divinitatem, aliquando eam certò cognoscere; quam reipsa certissimè cognovissent, nisi fuissent à Deo impediti.

Probatur prima pars, quia Matth. 4. v. 3. dæmon sollicitè vias omnes explorat quibus Christum certò cognoscere possit: *Si filius Dei es*, dicebat ad Christum, *dic ut lapides isti panes fiant*. Et 1. Corinth. 2. v. 8. de Sapientia incarnata dicitur, *quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixißent*. Nomine *principum*, nonnulli è SS. Patribus dæmones ipsos intelligunt, qui principes sunt hujus sæculi: quo sensu dicebat Christus Joan. 12. v. 31. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Videntur ergo dæmones aliquando Christum certò non agnovisse. Ita sentiunt plerique è SS. Patribus.

S. Ignatius Martyr in Epistola ad Ephesios n. 19. ait Christum ex Virgine nasci voluisse, *ut partus ejus diabolo celaretur*. T. 1. pa. 1408. B.

S. Ambrosius in caput 9. S. Lucæ, asserit non permisisse Christum ut discipu-

ſcipuli clarè & apertè declararent quis ipſe foret, nempe ut mundi principem falleret.

T.7.p. 234. S. Auguſtinus Lib. 9. de Civit. Dei c. 21. docet Chriſtum malis Angelis tantum innotuiſſe, quantùm voluit; & tantum voluiſſe, quantùm oportuit.

T.1.p. 273. Conſilium Dei in occultando Myſterio Incarnationis iſtud fuiſſe docet S. Leo Sermone 11. de Paſſione cap. 3. nempe *ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis abſolveret, & ſævienti diabolo potentiam ſuæ majeſtatis occuluit, & infirmitatem noſtræ humilitatis objecit. Si enim crudelis & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſcere potuiſſet, Judæorum animos potius temperare, quàm injuſtis odiis ſtuduiſſet accendere, ne omnium captivorum amitteret ſervitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem.*

Secunda Concluſionis pars, nempe dæmones interdum videri Chriſtum agnoviſſe, patet ex c. 1. S. Marci v. 24. ubi ſpiritus immundus dicit ad Chriſtum, *Quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? Scio quis ſis, ſanctus Dei.* Et v. 24. *Dæmonia multa ejiciebat,* (Chriſtus) *& non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum,* ſive tantummodo ex conjectura, ſive ex certa cognitione.

Tertia pars probatur: Namque facillimè potuiſſent Angeli naturali ſua perſpicacia, ex miraculis quæ Chriſtus operabatur ut probaret ſe Meſſiam eſſe, Dei Filium ac verum cum ipſo Deum, inferre illum reipſa talem eſſe, cùm impoſſibile ſit Deum miracula operari in confirmationem ac teſtimonium erroris. Dicendum igitur impeditos illos à Deo fuiſſe, ne omni ſua uterentur ingenita perſpicacia. Ita occulta ſua providentia Deus diſpoſuerat ad fines ſibi perſpectos.

TERTIA CONCLUSIO.

Adamo, Patriarchis, Prophetis, aliiſque viris ſanctitate conſpicuis futurum innotuit Incarnationis Myſterium. Adimpletum illud fuiſſe Judæi cognoſcere facillimè potuiſſent, tùm ex Scripturis, tùm à majoribus derivata traditione, tùm ex operibus ac miraculis Chriſti, niſi peccatis obcæcati veritati pervicaciùs obſtitiſſent.

1 Tim. 3. v. 16. Venturi aliquando Meſſiæ revelatio ac cognitio, vel ab ipſo mundi exordio quaſi per gradus nonnullis conceſſa fuit, donec tandem in plenitudine temporis omnibus Deus *manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, creditus eſt in mundo, aſſumptus eſt in gloria.*

I. Adamus adhuc innocens ex illo ſopore ſeu ecſtaſi expergefactus, in qua ex coſta ejus formata eſt Eva Gen. 2. v. 23. in hæc verba erumpit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea . . . . Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Quæ verba poſtquam retulit S. Paulus Epheſ. 5. v. 32. addit: *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia.* Citatis igitur verbis, jam tum ab Adamo, interprete S. Paulo, prænuntiatum fuit myſterium ſeu ſacramentum Incarnationis. Unde bellè Tertullianus L. de Reſurrectione carnis cap. 6. agens de formatione hominis, *Recogita,* inquit, *totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, providentia, & ipſa imprimis adfectione,* quæ

quæ lineamenta ducebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. S. Augustinus Libro 9. de Gen. ad litteram cap. 19. citata Geneseos verba prophetico spiritu ab Adamo prolata esse affirmat, *ut hinc intelligeremus*, inquit, *propter ecstasim, quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitus tanquam Prophetam dicere potuisse.* T.3.pa. 1.p.256, E.F.

At, inquies, si Adamus futurum prænovit Incarnationis Mysterium, ergo suæ culpæ, ad quam eluendam unicè destinatus est Messias, præscius fuit. Nego consequentiam. Hoc unum sequitur, Adamum scilicet confusè ac generatim tunc agnovisse venturum aliquando Messiam, ignorato illius adventus fine; neque enim Prophetæ omnes mysteriorum, quæ prænuntiabant, causas, omnesque circumstantias semper agnoverunt: at post lapsum suum paulò distinctiùs intellexit Adamus venturum Messiam culpæ reparatorem. Istud indicant verba Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius; ipsa conteret caput tuum*; seu, ut habet textus Hebræus apud 70. Interpretes, & legitur in Editione Samaritana, & apud SS. Irenæum, Cyprianum, Hieronymum, *ipse conteret*: referendo ad Christum, qui futurus erat semen mulieris secundum carnem, & à quo serpentis caput, hoc est dæmonis imperium atterendum erat penitusque abolendum.

II. Abrahamo longè clariùs promissus est Messias, ex cujus semine nasciturus prædicitur Gen. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Cùm verò duæ gentes seu populi ex Abrahamo oriundi essent, Ismaelitarum nempe & Israelitarum, declarat Deus ex qua gente nasciturus esset Messias, ex semine scilicet Isaac, Gen. 26. v. 4. Tandem clarissimè determinando tempus, familiam, dignitatem, circumstantias, Messiæ promissio ac revelatio facta est, vaticinante Jacob Gen. 49. v. 10. his verbis, *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.*

Et certè cùm fides implicita in mediatorem omni tempore necessaria fuerit ad salutem, necesse prorsus est in eum credidisse, quotquot in ve teri Lege sanctitatis laude floruere, ac æternam salutem sunt assecuti. *Hunc*, ait Eusebius L. 1. Hist. c. 2. *quotquot à prima humani generis origine justitiæ ac religionis laude maximè floruerunt, ut magnus ille Dei famulus Moses, ut qui antè illum vixit Abraham & ejus filii, & quicumque postea viri justi ac Prophetæ extiterunt, omnes puris mentis oculis contemplati agnoverunt, eidemque tanquam Dei filio, debitum cultum exhibuerunt.* P.6.B.

III. Judæos facilè potuisse jam natum ac præsentem Messiam agnoscere, demonstratur, tùm ex Scripturis ac prophetiis cum eventu ipso collatis, ad quas Christus eos remittit: *Scrutamini Scripturas*, inquiebat Joan. 5. v. 39. *illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et verò tota Lex vetus instar pædagogi, ut loquitur S. Paulus Galat. 3. v. 24. Judæos ad Christum quasi manu ducebat. Tùm ex recepta & à suis majoribus derivata traditione, qua constabat multa veteris Instrumenti vaticinia de Christo Deo in carne venturo esse interpretanda; neque alio consilio ea & Christus ipse & Apostoli protulere. Matth. 22. v. 42. 43. 44. *Quid vobis videtur de Christo?* interrogabat Judæos Christus, *Cujus filius est? Dicunt ei, David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit* Ps.109.

Domi-

Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? S. Paulus Hebr. 1. v. 5. ista quoque Psalmi 2. *Filius meus es tu &c.* de Christo dicta exponit. *Cui enim*, ait, *dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terre, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ad hæc & alia hujuscemodi benè multa si attendere seriò voluissent Judæi, facilè haud dubiè Christum verum Messiam ac Deum in iis deprehendissent, perinde ac in stupendis prodigiis quæ Christus iis spectantibus operebatur. Unde Christus Joan. 10. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est & ego in Pater.* Et cap. 5. v. 36. dixerat, *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Verùm sua eos malitia excæcaverat: *Cùm tanta signa fecisset coram eis*, ait S. Joan. cap. 12. v. 37. *non credebant in eum; ut sermo Isaie Prophetæ impleretur .... Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.*

2. Reg. 7. Ps. 96. Isaja 53.

QUARTA CONCLUSIO.

Nonnullis è Gentilibus revelatum fuit futuræ Incarnationis Mysterium.

Illustre hujus revelationis ac cognitionis exemplum habemus in sancto viro Job, qui ex Idumæis ortus erat. *Scio*, inquit cap. 19. v. 25. *quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.*

Et Balaam Numer. 24. v. 17. Christum his prædixit verbis, *Orietur stella ex Jacob.*

Ita docent S. Augustinus ac Richardus Victorinus. S. Augustinus L. 18. de Civitate Dei c. 47. *Non incongruè*, ait, *creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc Mysterium revelatum est, & qui hoc etiam prædicere impulsi sunt.* Addit ibidem sanctus Doctor, *multos inter gentes pertinuisse ad civitatem spiritalem Jerusalem: Quod nemini*, inquit, *concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.*

T. 7. p. 530. C. Ibid. F.

Richardus Victorinus L. de Incarnatione Verbi c. 8. exponens ista verba, *Ecce veniet desideratus cunctis gentibus*, sic loquitur: *Non dicit desiderandus, sed desideratus; ut intelligas in omni gente aliquos aliquando ejus desiderio flagrasse. Erat igitur adventus ejus à multis gentilium precognitus, & ardenter desideratus. Ad hanc tamen cognitionem & per intervalla temporum ascenderant. Nam primo quidam eorum divinitus illuminati, & naturali ratione edocti intelligebant quantis tenebris totum penè genus humanum involutum erat.*

P. 275. col. 2.

Accedit & testimonium magni illius apud Sinenses Philosophorum principis Confucii, qui annis quinquaginta supra quingentos ortum Christi antecef-

teceſſit, quem tamen prævidiſſe videtur in eo ſecundo Libro quem latinè reddidit Proſper Intorcetta Siculus è Societate Jeſu, ubi Philoſophus ille Principem ad virtutem adhortans dicit: *Legibus cœli ac terræ facta ejus conſentiunt; neque vereri debet, ut cùm Sanctus ille expectatus advenerit, idem tum virtuti ejus ac dum regnaret, bonos habeatur.* Hæc profectò, ſi de vero Meſſia intelligantur, ut intelligi haud dubiè poſſunt, ex Hebræorum oraculis, quæ ad Sinas uſque tunc temporis pervaſerant, hauſta fuiſſe dubitare nemo poteſt.

Percrebuiſſe apud Gentiles nonnullos hanc de venturo Meſſia opinionem, inde non immeritò colligere poſſumus, quòd circa ipſummet tempus, quo reipſa expectabatur, in multis eventum habuiſſe creditum fuerit, ſicut in Svetonio, Joſepho, Cornelio Tacito legere eſt. Vide Propoſitionem ſeptimam n. 32. Libri Demonſtrationis Evangelicæ Illuſtriſſ. Huetii.

Mitto probationem quam ex oraculis Sybillarum nonnulli ducunt: etſi enim non ignorem à multis ex antiquis SS. Patribus ea commendata plurimùm fuiſſe, & in probationem adducta contra Gentiles, non tamen indubitatæ fidei videntur, & ſupra exceptionem omnem, quòd à Chriſtianis nonnullis pia quadam fraude conficta fuiſſe ſuſpicio eſſe poſſit: apertiora quippe & clariora hæc oracula videntur, quàm ut à Gentilibus edi potuerint. Unde S. Auguſtinus Lib. citato 18. de Civitate Dei cap. 47. ait: *Quæcumque aliorum prophetiæ de Dei per Chriſtum Jeſum gratia proferuntur, poſſunt putari à Chriſtianis eſſe conficta. Ideo nihil eſt firmius ad convincendos quoslibet alienos.... quàm ut divina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Judæorum ſcripta ſunt Codicibus.* T. 7. p. 530. F. G.

Fatendum quidem eſt, ſummo apud Gentiles in pretio fuiſſe nonnulla Sybyllarum oracula; verùm merè prophana illa fuere, quibus ſubinde Chriſtiani ſtudio vendicandæ noſtræ adversùs Gentiles Religionis, plura de Chriſto clara & expreſſa inſeruere.

Quamquam illorum oraculorum fidem & auctoritatem non multi faciat Tullius. Libro enim 2. de Divinatione ſic loquitur: *Hæc callidè, qui illa compoſuit, perfecit, ut quodcumque accidiſſet prædictum videretur, & hominum & temporum definitione ſublata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, ut iidem verſus aliàs in aliam rem poſſe accommodari viderentur.* Et poſtea: *Quamobrem Sybillam quidem ſepoſitam & conditam habeamus, ut id quod proditum eſt à majoribus injuſſu Senatus ne legantur quidem Libri, valeantque ad deponendas potius, quàm ad ſuſcipiendas Religiones.*

ARTICULUS QUARTUS.

De variis erroribus quibus fides Myſterii Incarnationis impugnata fuit.

ERror hæreticorum de Chriſto, ait S. Auguſtinus L. 1. quæſtionum Evangeliorum q. 45. *tribus generibus terminatur: aut enim de divinitate ejus, aut de humanitate, aut de utroque falluntur.* T. 3. par. 2. p. 248. D.

Ad tres igitur ordines revocamus Hæreticos omnes quotquot adversùs Incarnationis Myſterium inſurrexerunt.

I. ad eos qui Chriſti divinitatem

II. ad.

II. ad eos qui ejusdem humanitatem

III. ad eos qui utriusque unionem impugnavere.

Hos errores summatim recenset ac perstringit S. Leo Serm. 8. de Nativitate Domini n. 4. & 5. fusiori verò stylo prosequitur Petavius toto L. 1. de Incarnatione.

T. 1. p. 170. & 171.

Heretici primi ordinis, qui Christi divinitatem impugnaverunt.

De Hæreticis qui Verbo divino ipsique Christo divinam detraxere naturam, jam egimus ubi de erroribus circa Trinitatem. Pauca hìc de iis, qui Christum purum hominem dixere, retexemus.

Tractat. de Trinitate p. 55. & seq.

Ex Judæis ad Christianam Religionem recenter conversis fluxisse primùm videtur error iste: cùm enim illi nondum antiquis suis præjudiciis ac inveterata apud suos opinione, qua putabant Messiam Regem temporalem ac præpotentem futurum esse, liberi essent ac expediti, Christum pauperem, abjectum & humilem, merum hominem esse arbitrati sunt. Ex iis orti sunt.

Cerinthus.

Primo sæculo Cerinthus dicebat Christum ex Josepho & Maria communi cæterorum hominum more genitum fuisse. Distinguebat in ipso quasi duas personas, Jesum, & Christum: in Jesum adultum ajebat descendisse Christum seu Spiritum sanctum sub specie columbæ, qua die baptisatus fuit; at postquam passus est Jesus, Christum sursum revolasse, tum resurrexisse Jesum. Ita sanctus Irenæus L. 1. adv. hæreses cap. 25. Theodoretus L. 2. hæretic. fab. cap. 3. sanctus Epiphanius L. 1. Tomi 2. adversùs hæreses, hæresi 28. At S. Augustinus & Philastrius referunt Cerinthum affirmasse non resurrexisse Christum, sed aliquando à mortuis excitandum.

S. Irenæus L. 3. adversùs hæreses cap. 3. & post ipsum Eusebius L. 3. Hist. c. 28. narrant, quosdam ex Polycarpo audivisse, Joannem Apostolum, cùm Ephesi in balneo Cerinthum animadvertisset, in hæc verba prorupisse, *Fugiamus, ne balneum corruat, in quo Cerinthus est veritatis inimicus.* Narrat S. Hieronymus L. de Script. Eccl. Joannem ab Asiæ Episcopis rogatum, adversùs Cerinthum suum Evangelium conscripsisse, quod ab ipsa Verbi & Christi divinitate orditur.

Eusebi. pa. 100. D.

Ebion.

Eodem sæculo caput extulit Ebion discipulus Cerinthi: ab ipso dicti sunt ac propagati Ebionitæ, seu Ebionæi, id est, juxta vim nominis, pauperes seu mendici, sive quia omni sensu ac ratione destituti, de Christo tanquam puro ac vulgari homine, *humiliter admodum & abjectè sentiebant*, ut ait Eusebius L. 3. Hist. cap. 27. & ante ipsum Origenes L. 4. de principiis, apud Valesium in notis ad locum Eusebii mox laudatum, quam nominis interpretationem Ebionæis meritò convenire ostendit S. Epiphanius hæresi 30. pag. 141. Sive quia tunc extitit homo quidam hæreticus cui reipsa nomen erat Ebion: ita conjicit idem S. Epiphanius, tametsi non sine infausto

Euseb. pag. 99. B.

præ-

præsagio sic appellatus fuerit, *Quia*, inquit sanctus Doctor, *revera Hæreticus ille, mente, spe, factisque mendicus erat, utpote qui Christum merum hominem esse affirmaret.*

Scriptor Historiæ Criticæ novi Testamenti Tomo 1. cap. 8. cònjicit eos Christianos qui Judaicos ritus simul cum Evangelio miscebant, à Judæis in contemptum & irrisionem Religionis Christianæ dictos esse *Ebionæos*, id est pauperes & mendicos; quòd nempe nonnisi viles & abjecti de plebe homines illam tunc temporis amplectebantur. Eusebius citato L. 3. c. 27. observat ab illis Ebionitis qui Christum purum ac vulgarem hominem fuisse contendebant, alios ejusdem nominis exortos esse, *qui absurdam priorum sententiam refugientes, Christum quidem ex Virgine, & ex Spiritu sancto genitum esse non negabant: sed nihilominus cùm Christum utpote Deum Verbum ac sapientiam Patris ante omnia substitisse minimè faterentur, proinde in eamdem cum prioribus impietatem delapsi sunt.* Simon. Euseb. pag. 99. B.

Nazareni.

Nazareni, seu Nazaræi, *Christum tanquam hominem justum honorant*, ait Theodoretus L. 2. hæretic. fabul. c. 2. & Evangelio utuntur quod secundùm Petrum dicitur. Sanctus Epiphanius hæresi 29. affirmare non audet, an Nazaræi Christum ut purum dumtaxat hominem agnoverint. Nazaræi dicti sunt, quia originem & ortum ducebant ab illis primis Christianis, qui communi nomine Nazareni, à Christo Nazareno, dicebantur. T. 4. p. 219. B.

Elcesæi.

Sub Imperio Trajani, ineunte secundo sæculo, orti sunt Elcesæi auctore Elkai seu Elcesai pseudopropheta, qui ad factionem Ossenorum unam ex Judaicis se adjunxit, teste S. Epiphanio hæresi 19. Ex multis fabulis novam ille sectam conflavit: Christum vocabat quidem magnum Regem; sed nomine tenus dumtaxat eum confessus, ut purum ac simplicem hominem agnoscebat. *Ex diversis hæresibus*, ait Theodoretus Lib. 2. hæretic. fabul. c. 7. *fabulas mutuati Elcesai errorem suum concinnarunt. Ac de universorum quidem principio nobiscum sentiunt. Unum enim dicunt Ingenitum, & hunc rerum omnium creatorem vocant. Christum verò non unum esse dicunt, sed alium supra, & alium infra: & hunc olim in multis habitasse, postea verò descendisse. Jesum autem aliquando ex Deo esse dicit, aliàs spiritum vocat, interdum Virginem illum matrem habuisse . . . . Et hunc rursus transmigrare, & in alia ire corpora dicit, diversisque modis unoquoque tempore ostendi.* Hæc Theodoretus. Ibid. p. 221. D.

Carpocras.

Imperante Adriano, Carpocras genere Alexandrinus, ex quo dicti Carpocratiani, hæresim suam disseminavit, teste Theodoreto L. 1. hæret. fabul. cap. 5. Dicebat *Jesum Dominum ex Joseph & Maria cæterorum hominum more natum esse, & virtute insignem fuisse, ut qui puram haberet animam, pristinæque cum Ingenito conversationis memorem.* Ibid. p. 196. B.

Simo-

Simonis magi discipulus ille fuit, ac nefandæ Gnosticorum sectæ parens. Vide S. Irenæum L. 1. cap. 4. Eusebium L. 4. cap. 7. S. Epiphanium hæresi 27.

Theodotus.

Severo imperante, Theodotus quidam patria Bysantinus, arte Coriarius, Ebionitarum hæresim renovavit. Cùm in persecutione fidem ejurasset, pudore suffusus, ut crimen elevaret, respondit se injuriam Deo non intulisse, sed Christo, quem purum hominem esse arbitrabatur. Ille primus ob hanc doctrinam seu potius insaniam, *à Victore tunc temporis Episco-*
Euseb. pa. 196. B. *po ab Ecclesiæ communione remotus est*, ait Eusebius L. 5. Hist. cap. 28. Alium Theodotum argentarium ibidem ejusdem erroris socium appellat Historicus. Vide Theodor. Lib. 2. hæret. fabul. c. 5.

Artemon.

Eusebius citato mox Lib. 5. Hist. c. 28. Artemonis mentionem facit, cujus errorem ab antiquo Scriptore edito Libro confutatum fuisse narrat.
P. 195. C. D. *Sectæ illius principes*, ait Auctor ille, *vetustissimam illam esse hæresim jactabant .... Affirmant enim priscos quidem omnes, & ipsos Apostolos, ea quæ ab ipsis nunc dicuntur, & accepisse & docuisse; ac prædicationis veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus à Petro Romanæ Urbis Episcopus fuit, à Zephirini autem temporibus qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem.*

Quod quidem Hæreticorum figmentum egregiè ibidem explodit Scriptor ille, auctoritate illorum qui pro veritatis defensione scripserant, Justi-
P. 196. A. ni, Miltiadis, Tatiani, Clementis, Irenæi, Melitonis, & *aliorum quamplurimorum, in quorum omnium Libris*, ait, *Christi divinitas adstruitur*. Quæ fuerint illorum Hæreticorum artes, qui doli, describit ibidem ex eodem
P. 197. B. auctore Historicus: *Sacras*, inquit, *Scripturas audacter adulteraverunt; primitivæ autem fidei regulam rejecerunt: Christum ipsum denique ignoraverunt, non inquirentes quid sacræ doceant Scripturæ, sed cujusmodi syllogismorum figura ad confirmandam impietatem suam reperiatur, assiduè meditantes. Quòd si quis aliquem Scripturæ locum eis objiciat, examinant utrum connexum an disiunctum syllogismi genus ex eo confici possit.* Ad vivum expressam hìc habemus Socinianorum nostrorum imaginem.

Paulus Samosatenus.

Anno circiter 262. Valeriano & Gallieno Imperatoribus, non Aureliano ac Probo, ut ait S. Ephiphan. hæresi 65. Paulus Samosatensis, ab urbe unde ortus erat sic dictus, Episcopus Antiochenus, impiam Artemonis & aliorum contra Christum hæresim renovavit ac diffudit latiùs. Perditos ipsius mores non dissimulant Episcopi Concilii secundi Antiocheni adversùs illum congregati, in celebri Epistola quam ad Dionysium Romanæ Urbis Episcopum, & ad Maximum Alexandrinum scripsere. Hanc refert Eusebius L. 7. Hist. cap. 30. De perversa verò & impia ejus doctrina hæc habent ibidem:

dem: *Filium Dei è cœlo descendisse, nobiscum confiteri renuit... dicit Jesum Christum è terra ortum fuisse.... prodito atque ejurato Religionis nostræ mysterio, ad exsecrandam hæresim Artemæ transgressus est*. Artemas autem ille, Theodoti, de quo antea, impietatem adoptavit, & quodammodo superavit. *Eufeb. p. 281. B. p. 282. B.*

Duo adversùs Paulum Samosatenum coacta sunt Antiochiæ Concilia, primum anno 264. sedente Romæ Dionysio; alterum anno 270. cui interfuere Episcopi octoginta, *à quibus auctor ille nefariæ apud Antiochiam hæreseos Paulus, convictus & ab omnibus manifestissimè deprehensus falsi dogmatis reus, ab universa quæ sub cœlo est Ecclesia Catholica eliminatus est*, ait Eusebius L. 7. c. 29. *p. 272. D.*

Hæretici secundi ordinis, qui humanitatem Christi ac veram ejus carnem oppugnarunt.

Illos humanitatis ac carnis Christi hostes generatim assignat S. Joannes Epist. 1. cap. 4. v. 1. 2. & 3. *Multi*, ait, *pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; omnis autem spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est*. Jesum autem solvunt, qui veram in eo fuisse carnem negant.

Non uno autem modo veteres Hæretici Christum diviserunt.

Alii, non veram ac solidam in eo carnem agnovere, sed fictam, umbratilem, phantasticam.

Alii, veram quidem ac solidam carnem Christi dixere, sed ex Maria Virgine non genitam, non sumptam.

Alii, anima humana, aut mente Christum spoliarunt.

Alii denique, unicam in ipso voluntatem, non duas admisere.

Veram ac solidam in Christo carnem non admisere Simon magus.

Simon magus Getthis oriundus vico Samariæ, paulò post Christi mortem ita deliravit, ut diceret se omnem esse Trinitatis personam, *qui Judæis tanquam Filius apparuit, in Samaria autem quasi Pater descendit, in reliquis verò Gentibus quasi Spiritus sanctus adventavit*. Ita refert sanctus Irenæus L. 1. adversùs hæreses cap. 23. aliàs 20. Rem paulò aliter narrat S. Augustinus L. de hæresibus cap. 1. nempe dixisse Simonem, *se in monte Sina Legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis; tempore Tiberii in Filii persona putativè apparuisse; postea se in linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos venisse*. Cùm ille suis præstigiis & arte magica in sublime elatus, Neronem ac populum Romanum deluderet, beati Petri oratione præcipiti lapsu prostratus, confractis cruribus miserè expiravit. Ita referunt Arnobius L. 2. adversùs Gentes, SS. Cyrillus Hierosolym. Catechesi 6. Epiphanius hæresi 21. n. 5. Augustinus L. de hæresibus cap. 1. & alii apud Baronium, ad an. Ch. 68. n. 16. & sequentibus. Hujusce Simonis lapsus historiam Valesius in suis ad caput 15. Libri 2. Hist. Eccl. Eusebii Observationibus suspectam habet, propter silentium Veterum, Justini, Irenæi, & Eusebii. *Pa. 99. n. 1. T. 8. p. 5. not. B.*

Discipuli Simonis.

Menander, Saturninus, Basilides.

Pa. 97. *Simonis magi successor Menander,* ait Eusebius L. 3. cap. 26. *diabolicæ pravitatis alterum telum priore illo nequaquam inferius semetipse ac mores suos præstitit. Hic quoque Samarites, ad summam magicarum artium peritiam perinde ac magister progressus, pluribus adhuc & absurdioribus figmentis exuberavit. Nam seipsum quidem servatorem esse asserebat, ad hominum salutem*
Ib. D. *ex ævis quibusdam invisibilibus ab alto destinatum.* Hæc Eusebius ex Irenæo & Justino: additque, *hoc fuisse diabolicę calliditatis commentum, ut per maleficos homines Christianorum nomen falsò sibi vindicantes, magnum illud Religionis nostræ sacramentum magicæ artis infamia aspergeret, & Ecclesiastica dogmata de animorum immortalitate, ac de mortuorum resurrectione ludibrio exponere omnibus modis conaretur.*

Ex Menandro, qui Simonis successor fuit, pergit Eusebius L. 4. cap. 7. *exorta venenata quędam bestia bilinguis ac biceps, duarum hæreseon inter se discrepantium duces constituit, Saturninum domo Antiochenum, & Basilidem Alexandrinum. Quorum ille quidem in Syria, hic verò apud Ægyptum impiæ doctrinæ Scholas condidit. Et Saturninum quidem eadem ferè cum Menandro ementitum esse declarat Irenæus; Basilidem verò specie arcanorum quorumdam, portentosas fabulas commentum, opinionis impiæ machimenta in immensum exten-*
P. 119. C. *disse.* His Carpocratem ibidem adjungit Eusebius Gnosticorum sectæ parentem.

In eo errabant illi cum magistro suo Simone, quòd Christum non putatent veram ac solidam ex beata Virgine carnem sumpsisse. *Christum,* ait Tertullianus L. de Præscript. hæreticorum cap. 46. *in substantia corporis non*
P. 219. D. *fuisse, & phantasmate tantùm quasi passum fuisse: resurrectionem carnis nullo modo futuram esse* dicebant. Basilides asserebat Christum specie tenus mortalibus apparuisse, carnem veram non assumpsisse, verè passum non fuisse, sed ejus loco Simonem Cyrenæum, cui cùm Judæi crucem Christi imposuissent, hunc Jesus in suam commutavit figuram, & ejus vicissim induit effigiem, in qua quidem pati & mori visus est, sed verè nec passus nec mortuus: unde negabant pro Christo moriendum, qui pro nobis mortuus non esset.

Illos omnes integro Libro qui est de carne Christi, egregiè confutavit idem Tertullianus, & capite 5. festivè irridendo carpit, quòd Christum menda-
P. 310. D. cem inducerent. *Maluit,* inquit, *crede, nasci, quàm ex aliqua parte mentiri, & quidem in semetipsum; ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem &c.*

Valentinus.

P. 222. B. Vir fuit summæ fatuitatis, in excogitandis putidissimis figmentis feracissimus. Inter cætera docebat, ait Tertullianus, L. de Præscriptionibus cap. 49. *Christum in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de ca-*

de cælo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. De Valentini figmentis lege S. Irenæum L. 1. c. 1. Tertullianum integro adversùs Valentinianos Libro, S. Epiphanium hæresi 31. Theodoretum L. 1. c. 7. hæretic. fabularum.

Ex Valentino tanquam ex infausta radice pullularunt alii quàm plures Hæretici, Secundiani, à Secundo; Marcosiani, à Marco; Colarbosiani, à Colarboso nuncupati. Infaustam aliorum plurimorum Hæreticorum propaginem ex Hegesippo evolvit Eusebius L. 4. Hist. cap. 22. quorum *primus Thebuthis*, ait, *indignè ferens quòd minimè creatus esset Episcopus, eam* (Ecclesiam) *occultè vitiare est aggressus. Fuit hic è septem illis sectis in Judaico populo proseminatis, ex quibus fuit etiam Simon, à quo Simoniani fluxerunt, & Cleobius, à quo Cleobiani; & Dositheus, à quo Dositheani; & Gortheus, à quo Gortheni, & Masbotheus, à quo Masbothei sunt cognominati. Ex his etiam manarunt Menandriani, & Marcionitæ, & Carpocratiani, & Valentiniani, & Basilidiani, & Saturniliani, aliique qui seorsum singuli proprias opiniones induxerunt. Ex iis orti sunt Pseudochristi, Pseudoprophetæ, Pseudoapostoli, qui adulterinam invehentes doctrinam adversùs Deum & adversùs Christum ejus, unitatem Ecclesiæ disciderunt.* Eusebr. p. 142. D.

Ad eamdem Phantasiastarum impietatem declinarunt Heracleonitæ, apud S. Epiphanium, ab Heracleone; Ophitæ, qui serpentem, à quo decepta est Eva, venerabantur; Cerdo, teste Tertulliano L. de Præscript. cap. 51. Marcion, ex eodem L. de carne Christi cap. 1. & 3. Manes seu Manichæus, ex S. Augustino L. de hæresibus cap. 46. Horum omnium vestigia prementes hodierni Anabaptistæ, inficiantur Christum ex substantia B. Virginis carnem & sanguinem sumpsisse.

Carnem Christi veram quidem ac solidam, non tamen ex Maria Virgine natam ac sumptam, sed ex elementis coagmentatam dixere.

Apelliani, ab Apelle ita dicti, de quo Eusebius L. 5. Hist. cap. 13. *Ex illorum* (Marcionitarum) *grege Apelles quidem sanctioris vitæ cultum & senectutem præseferens, unum fatetur esse principium: Prophetarum autem oracula ex adversario spiritu profecta esse dicit, Virginis cujusdam dæmoniacæ nomine Philumenæ responsis inductus ..... Asserebat ille, non esse omnino examinandam fidem; sed unumquemque in eo quod semel imbibisset, perstare oportere ... Rem verò omnium obscurissimam esse statuebat, quæstionem de Deo.* Cùm urgeretur ut exponeret qua ratione demonstrare posset unicum esse principium, *se quidem nescire profitebatur; sed tamen moveri atque impelli ut ita sentiret.* Hæc Eusebius ex Rhodone Tatiani discipulo commemorat. Euseb. p. 177. B. Ibid. D. Ibid. p. 178. A.

De eodem Apelle loquitur Tertullianus L. de Præscriptionibus cap. 51. *Post hos*, inquit, *sequitur Apelles, discipulus Marcionis ... Hic introducit unum Deum infinitis superioribus partibus: hunc potestates multas, angelosque fecisse; propterea & aliam virtutem quam dicit, Dominum dicit, sed Angelum ponit.... Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet, sed eo quod è superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem & aeream contexuisse. Hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu* Tertul. p. 223. A.

suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, & sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in cœlo spiritum tantùm reddidisse. Hæc ille delirans somniabat. Eò recidit quod ex Valentino paulò antè retulimus, *Christum in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem vel mutuantem.*

P. 222. B.

Accedit & Cerdon quidam, à quo Cerdoniani, de quo Tertull. L. de Præscript. cap. 51: *Christum in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronuntiat, nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex Virgine natum, sed omnino nec natum.* His & Marcionem ejusdem impietatis socium adjungit ibidem Tertullianus.

Ibid. D.

Christum anima, vel mente humana spoliarunt

Ariani. *Arius*, ait S. Athanasius L. 2. contra Apollinarium, De salutari adventu Christi, *carnem solam, ad occultationem divinitatis confitetur; vice autem interioris nostri hominis, id est, animæ, Verbum, ait, in carne extitisse; passionem & ab inferis resurrectionem divinitati adscribere ausus.* Et libro 1. jam dixerat: *Frustra Ariani argutiis utuntur, dum Salvatorem, carnem solam assumpsisse statuunt, ac passionis sensum, ad impassibilem deitatem impiè referunt.* Hoc ipsum de Arianis tradunt S. Epiphan. hæresi 69. num. 49. & 50. S. Augustinus de hæresibus cap. 49. Theodoretus Lib. 5. hæretic. fabul. cap. 11.

T. 1. p. 942. C.

Ibid. p. 535. B.

Idem figmentum data opera & ex professo amplexi sunt Apollinaristæ, ab Apollinari Laodiceno nuncupati. Primò quidem crudè & absque ulla restrictione, humanam animam Christo detraxere; tùm velut quadam pœnitentia ducti, animam quidem concessere, sed mente destitutam. *Initio quidem dicebant*, ait Socrates L. 2. Hist. cap. 46. *hominem absque anima à Deo Verbo assumptum esse in dispensatione Incarnationis. Postea verò tanquam pœnitentia ducti ac pristinum emendantes errorem, adjecerunt animam quidem assumptam esse, sedque mentem non haberet: Deum autem Verbum mentis loco esse in homine assumpto.*

P. 261. D.

Apollinaristarum errores recenset S. Athanasius L. 1. contra Apollinarium his verbis: *Isti aut mutationem Verbi comminiscuntur, aut passionis dispensationem meram esse phantasiam suspicantur; atque interdum increatam cœlestemque Christi carnem, aliquando deitati ajunt esse consubstantialem. Deinde, inquiunt, vice interioris, qui in nobis est, hominis, mentem cœlestem inesse Christo.... Assumpsit corpus absque mente, ut ipse mens in illo esset, expers omnino peccati, cùm ratione divinitatis, tùm ratione carnis, quæ absque mente sit.* Ajebant etiam Apollinaristæ, corpus & animam esse exteriorem hominem, & hæc fatebantur inesse Christo; sed mentem humanam Christo denegabant, Verbo vices ejus ac locum supplente. Paulò post recenset idem sanctus Doctor varias ac secum pugnantes Apollinaristarum sententias.

T. 1. p. 922. A.

Ib. p. 939. B. C.

In alio quoque capite circa Incarnationem graviter peccabat Apollinaris, nempe humanitatem Christi divinitati consubstantialem esse; ex quo funditus Incarnationis Mysterium convellitur. Ita mox laudatus sanctus Athanasius, & sanctus Epiphanius, tùm in synopsi hæresis 77. tùm ipsa hæresi.

resi 77. Denique & in eo non minùs aberrabat, quòd vellet carnem Christi non ex Maria Virgine natam fuisse, sed ex Cœlo delapsam, quam Christus in Cœlo semper habuit. Ita S. Gregorius Nazianzenus Orat. 46. S. Ambrosius L. de Incarnatione c. 6. &c. Vide S. Augustinum de hæresibus c. 44. S. Epiphanium hæresi 77. Theodoretum L. 4. hæretic. fabul. c. 8.

Unam, non duplicem in Christo voluntatem & operationem agnovere

Monothelitæ inter hostes humanitatis Christi meritò computandi, qui naturali proprietate eam spoliarunt. Exortus est error ille circa annum Christi 629. aut 630. auctore Athanasio Patriarcha Eutychianorum qui in Syria & Armenia versabantur, Jacobitæ vulgò dicti, à Jacobo quodam Syro.

Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, datis ad Honorium S. Pontificem Litteris, refert Cyrum Alexandrinum convocata sua Synodo novem doctrinæ articulos proposuisse, ut faciliùs Hæretici, quorum instructioni & ad saniorem doctrinam reversioni jam diu allaborabat, adduci possent, inter quos articulos septimus erat, *Christum divina & humana operari una Dei virili operatione*. Tum pacis conciliandæ prætextu, Cyrus, Sergius, & alii dixere omnino silendum an duæ vel una sit in Christo Domino voluntas & operatio; ni fieret, vix ad unitatem doctrinæ Hæreticos adduci posse. Dolum ac fraudem subodoratus Sophronius, tunc quidem adhuc tantùm Monachus, postea verò Jerosolymorum Antistes, Cyro strenuè pro viribus obstitit, ratus sub illo silentii obtentu, errori disseminando latissimam viam aperiri, quod infeliciter eventus ipse postea comprobavit: multi etenim extitere qui aperta fronte errorem propugnarunt, jam dictus Cyrus Alexandrinus, Theodorus Pharanites, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Patriarchæ Constantinopolitani; quin & Honorium ipsum S.P. (quamquam immeritò) erroris socium multi adjungunt. Gratia & auctoritate, qua plurimùm apud Imperatores valebant, fulti, errorem audaciùs tuebantur. Sergius Heraclio, ut *Ecthesim* seu fidei expositionem; Paulus verò Constanti, ut *Typum* seu Edictum promulgaret, ad silentium servandum, auctores fuere. To. 6. Conc. p. 953.

Monothelitarum error surculus quidam est Eutychianæ hæreseos, quæ duplicem in Christo post unionem, naturam permiscebat & confundebat.

Non ita facile videtur exponere, quo sensu illi, admissa duplici in Christo natura inconfusa & impermixta, (si eam verè ac sincerè admiserunt) voluerint unam dumtaxat esse illius voluntatem & operationem, quam *Dei-virilem* appellabant. Eorum sensum juvat hìc ex illorum Scriptis expiscari.

Quo sensu Monothelitæ unam in Christo voluntatem & operationem agnoverint.

Macharius Antiochenus Patriarcha pertinacissimus erroris Monothelitarum defensor, rogatus Actione 8. Synodi VI. ut suam aperiret fidem ac sententiam, respondit: *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, nec si membratim incidar, & mittar in mare.* To. 6. Conc. p. 752. C. Ibid. p. 740. B.

Et paulò antè dixerat: *Non dico duas voluntates, aut duas operationes*



Domini nostri Christi, sed unam voluntatem, & Dei-virilem operationem.

Verùm difficultas est non levis, quid voluntatis & operationis vocibus intellexerit, quod ut assequamur, nonnulla sunt observanda.

Observandum I. cum S. Joanne Damasceno L. de duabus Christi voluntatibus paulò post medium, voluntatis nomen ambiguum esse, ac tribus modi sumi posse. 1. pro facultate volitiva. 2. pro volitione, id est actione voluntatis. 3. pro objecto volitionis, quæ tria distinguenda sunt. *Quemadmodum enim*, ait S. Joannes Damasc. *aliud est aspectus; aliud, aspicere; aliud, quiddam ac certo modo aspicere; aliud, quod aspectui subjicitur . . . Aspectus enim est ipsa vis animæ qua videmus.... aspicere autem, est uti ipsa videndi facultate . . . . Quod autem sub aspectum cadit, est res visioni subjecta.* Ita aliud est voluntas, aliud velle, aliud quod cadit sub voluntatem, seu res volita. *Voluntas, est ipsa facultas qua volumus, quam creator naturæ animæ indidit; hoc est volendi potestas. Velle autem est ea vi, qua volumus, reipsa uti & appetere . . . . Res ipsa quam volumus . . . . est res voluntati subjecta.*

Edit. recent. T. 2. p. 540 A.

Ibid. B.

Observandum II. ex SS. Patribus qui cum Monothelitis propiùs congressi sunt, aliam esse ac dici voluntatem naturalem, aliam verò personalem. Voluntas naturalis dicitur, tùm ipsa vis à natura insita qua volumus; tùm etiam volitio illa qua simpliciter volumus: at verò voluntas personalis dicitur volitio illa qua hoc vel illud, hoc vel isto modo volumus. Ita S. Maximus in disputatione cum Pyrrho, non longè ab initio. *Non est*, inquit, *idem volentis voluntas, & quod ille vult. Quemadmodum neque videntis vis cernendi, & quod cernitur. Illa enim inest ei substantialiter; hoc autem extra est*. Et paulò post.... *Non idem est velle, & sic ac tali modo velle: sicut nec videre, & aliquo modo videre. Velle namque, sicut & videre, naturæ est; cunctisque inest quæ ejusdem generis sunt ac naturæ: sic autem & tali modo velle, sicut etiam sic & tali modo videre... modus est usus voluntatis ac visus, inestque solùm utenti*. Eadem planè observat S. Joan. Damascenus Libro jam citato de duabus Christi voluntatibus: *Facultas*, inquit, *qua volumus, ad naturam pertinet, necnon velle simpliciter. Omnis enim homo potentiam habet, qua velit: vultque omnis homo; hoc est, voluntate utitur. Etenim homo est animal præditum facultate volendi. Res autem illa quam volumus, nedum naturæ est, sed & arbitrii & personæ. Non enim quivis hominum eadem ratione vult, vel unum aliquid. Quapropter velle sic; benè aut malè: aut velle aliquid; hoc vel illud, non est naturæ, sed arbitrii ac personæ*. Istud verò diligenter observandum ad omnem æquivocationem & ambiguitatem, unde fluxit Hæreticorum error, declinandam: *Namque*, ut ait ibidem sanctus Doctor, *sicut origo erroris* Nestorianorum & Eutychianorum fuit, quòd non satis personam & naturam distinguerent, *sic*, inquit, *& Monothelitis, eo quòd nescirent quid inter voluntatem naturalem, & personalem, sive arbitrariam, discriminis interesset, hoc in causa fuit, ut unam in Christo dicerent voluntatem.*

T. 2. p. 162.

T. 1. p. 540. E.

Ibid. p. 539. B.

Observandum III. nomen operationis, ut & voluntatis, ambiguum esse. Operatio quippe sumitur 1. pro ipsa vi seu facultate agendi. 2. pro ipso agere, id est actione. 3. pro eo quod agitur, id est pro opere quod ex actione consurgit. Ita sanctus Joannes Damascenus Libro cui titulus est, *Quòd ad imaginem Dei facti sumus*, non procul ab initio.

Obser-

Observandum IV. ex eodem S. Doctore ibidem, quòd sicut voluntas alia dicitur naturalis, alia personalis; ita & operatio alia naturalis, alia verò personalis dicitur. Naturalis, est ipsamet vis agendi & agere simpliciter; personalis verò est hæc aut ista operatio, hoc vel illo modo facta.

Observandum ultimò, apud SS. Patres voluntatem naturalem & operationem semper distingui: quia vis agendi & ipsum agere latiùs patent, quàm vis volendi & ipsum velle, quia vis agendi & ipsum agere ad omnes spectat tùm corporis tùm animi facultates; at verò facultas volendi & velle ad solum pertinent appetitum rationalem.

Cùm ergo Monothelitæ asserebant unam esse, non duas in Christo voluntates & operationes, uno ex his modis intelligebant: vel omnino destructam seu absorptam à divinitate humanam seu naturalem voluntatem & operationem, quomodo absorptam putabant post unionem humanam in Christo naturam; quapropter unam voluntatem & operationem, hypostaticam appellabant, quòd ab una esset Christi volentis aut operantis persona: vel ex duplici voluntate, divina & humana, unam quamdam compositam quam dicebant *Dei-virilem*: vel humanam voluntatem merè passivè se habere, nempe tanquam instrumentum quo divinitas utebatur; unde propriè actio humanitatis non erat, sed passio; vel denique unam dicebant voluntatem, γνωμικὴν, id est ex sententia seu deliberatione, quòd existimarent Christum cæterorum hominum more debuisse deliberare ac ponderare rationes, quibus ad hoc potius quàm illud operandum determinaretur. His observationibus præmissis. T. 2. p. 171.

Dico 1. in eo errasse Monothelitas, quòd unicam eamque personalem & hypostaticam voluntatem agnoscerent, quam etiam γνωμικὴν (seu ex sententia) appellabant. Patet ex sancto Maximo Disput. cum Pyrrho, ubi varias enumerans vocis hujus γνώμη interpretationes, hoc unum tanquam certum supponit, hac voce Pyrrhum ejusque socios, non intelligere naturalem, sed personalem dumtaxat seu hypostaticam voluntatem, quam dicebant unam, quia una est Christi volentis persona seu hypostasis. Inde est quod S. Joannes Damascenus L. de duabus Christi voluntatibus, sanctus Maximus Disput. cum Pyrrho, & alii, quotquot Monothelitas oppugnarunt, in eo toti sunt ut ostendant, non unam dumtaxat hypostaticam, sed duas naturales esse in Christo voluntates: *Naturales*, ait S. Damasc. *non personales voluntates atque operationes esse dicimus*.

Dico 2. inter Monothelitas eos, qui cum Eutychianis unam in Christo post unionem naturam esse sentiebant, consequenter unam quoque voluntatem & operationem admisisse: at multi erant inter illos Hæreticos, qui cùm duplicem in Christo naturam inconfusam & impermixtam agnoscerent, duplicem negabant voluntatem. Ita Macharius Antiochenus in sua fidei professione quæ refertur in VI. Synodo Oecumenica Actione 8. ait: *Nusquam propter unitionem differentia naturarum evanescit. Salvatur autem magis proprietas utriusque naturæ in una persona, unaque substantia Unitum quippe esse carni secundùm subsistentiam confitentes Verbum, unum illum adoramus... in duabus naturis inconfusè & indivisè cognoscendum*. Hic ipse tamen Macharius declarat, futurum ut vellet potius *membratim discerpi aut projici in mare*, quàm duas naturales voluntates, aut duas operationes in Christo profiteri. To. 6. Conc. p. 745. C. Ibid. p. 752. C.

Et Cyrus ipse Alexandrinus articulo *6.* suæ satisfactionis, nonne ait, *unum esse Christum ex duabus naturis, deitate & humanitate, unum Filium, unam Dei Verbi naturam incarnatam, inconfusè, inconvertibiliter, immutabiliter?* Et tamen ibidem articulo 7. duas voluntates & operationes rejicit. Quomodo hæc duo illi conciliarent, facile dictu non est.

Ibid. p. 953. E.

Dico igitur 3. Monothelitas propriè dictos hoc sensu unicam in Christo personalem voluntatem sive operationem propugnasse, quòd, in eorum mente, sola divina hypostasis sive natura divina, tanquam superior ac domina, volebat & operabatur; humanitas verò, utpote inferior ac imperio divinitatis subdita, organum seu instrumentum dumtaxat foret passivè se habens, quo utebatur Verbum, ut & divina & humana vellet & operaretur. Sensum hunc declarant

Theodorus Pharanites in quodam Sermone cujus fragmentum refertur in Concilio Lateranensi sub Martino I. Secretario seu Sess. 3. *Oportet igitur*, inquiebat, *ita sapere & dicere nos omnis, quæ in Incarnatione salvatoris Christi dicuntur esse, unam scire operationem esse, hujus autem opificem & creatorem Deum Verbum; organum verò humanitatem consistere. Ergo quæque velut de Deo aut humanè de ipso dicuntur, omnia una operatio est Verbi divinitatis.*

Tom. 6. Conc. p. 166. D. E.

Monothelitæ apud S. Maximum, referente Euthymio Panopliæ titulo 18. sic argumentantur. Quemadmodum instrumenti & ejus quod movet una est operatio, sic divinitatis & humanitatis una itidem est operatio. Rursus, Ubi est unus operans, ibi una est operatio: sed in Christo est unus operans, nempe Verbum; ergo &c.

To. 19. Bib. PP. p. 191. & seq.

Pyrrhus in Disputatione cum sancto Maximo, *Non*, inquit, *ut humanam tollamus, unam operationem dicimus: sed quòd ea ratione qua distinguitur contra divinam operationem, passio dicitur.*

Tom. 2. Oper S. Maximi p. 193.

Macharius in Confessione fidei lecta Actione 8. sextæ Synodi, sic habet: *Carnis quidem est pati, non separatæ videlicet à divinitate, quamvis non divinitatis fuit pati; ipsius autem Dei operatio, quamvis per humanitatem ejus, hoc est, totam nostram conspersionem hanc adimpleverit una & singulari voluntate divina .... Impossibile enim est, in uno eodemque Christo Deo nostro duas simul, & ad invicem contrarias seu similes existere voluntates: salutaris verò à Deo instructorum Patrum doctrina manifestè instruit, quia nunquam intellectualiter animata Domini caro, divisè atque ex proprio appetitu contra nutum uniti sibi subsistantialiter Dei Verbi naturalem sui fecisset motionem: sed quando, & quantam, & qualem idem Deus Verbum volebat, & ut clariùs dicatur, quemadmodum nostrum corpus regitur & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima nostra, ita & in Domino Christo tota humana ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper & in omnibus mota Deo mobilis erat....Operatur verè divinitas per corpus, quod circa eam est, omnium salutem, ut corporis quidem sint passiones, Dei verò operatio.*

To. 6. Conc. p. 748. A. B.

Hæc postrema verba totidem syllabis legere est apud ipsum Sergium, in Epistola ad Honorium quæ lecta est in sexta Synodo Actione 12. ex quibus manifestè declaratur, Monothelitas non existimasse penitus in Christo extinctam & absorptam esse humanam naturam; sed tantùm eam quasi sopitam, otiosam & inertem ex sese activè ad operationem non concurrere, sed passivè dum-

To. 6. Conc. p. 925. A.

vè dumtaxat se habere tanquam merum organum seu divinitatis instrumentum.

Ad fraudem verò simplicibus faciendam, aliquando duas vel unam in Christo voluntatem & operationem promiscuè dicebant Monothelitæ; isto nimirum sensu, quòd ex duabus voluntatibus una composita resultaret, sicut ex duabus naturis una composita natura. Ita Pyrrhus in Disputatione clarè admodum ac distinctè ait: *Probatum est esse in Christo naturales voluntates ; fieri autem potest , ut sicut ex duabus naturis unum quidpiam compositum dicimus , sic ex duabus naturalibus voluntatibus unam aliquam dicamus : ut & qui duas dicunt voluntates , ob naturalem in Christo naturarum distinctionem ; & qui unam dicunt , ob summam unionem .* Unde tota videri poterat de nomine controversia, sicut aliquando insinuat ipse Pyrrhus. Verùm non ita est: unam enim revera, non duplicem voluntatem & operationem illi admittebant, ex duabus conflatam & compositam. *T.2.Op. S. Maximi p. 161.*

Dices: Monothelitæ, Sergius inprimis, asserebant omnem divinam & omnem humanam operationem unius esse Christi; ergo duplicem agnoscebant operationem.

Resp. Sergium & alios humanam hoc sensu vocasse operationem, quòd Verbum operabatur per humanitatem; non quòd ipsa operaretur humanitas.

Instabis: Non infrequenter SS. Patres humanitatem dixere organum seu instrumentum esse divinitatis. Ita S. Athanasius Orat. 4. contra Arianos, & S. Cyrillus L. de Incarnatione Verbi; non ergo redarguendi Monothelitæ, quòd idem dixerint.

Resp. SS. Patres dixisse quidem humanitatem esse instrumentum divinitatis conjunctum & animatum, quod suam haberet propriam operationem: Monothelitæ verò contendebant instrumentum esse separatum & inanime, quod passivè tantùm se haberet.

Instabis 2. Non aliter humanitatem à Verbo moveri asserebant Monothelitæ, quàm moveatur corpus ab anima: ita Sergius antea citatus. Atqui humanitatem Christi à divinitate moveri, sicut corpus ab anima, expressa est sententia S. Cyrilli adversùs Antropomorphitas; ergo ea ex parte culpandi non sunt Monothelitæ.

Resp. nego maj. Ea quippe similitudine utebantur dumtaxat ad fucum rudioribus faciendum, ut humanitatem à divinitate moveri aliquatenus declararent; non verò ut duplicem divinitatis & humanitatis operationem demonstrarent, sicut duplicem operationem corporis & animæ probat sanctus Cyrillus loco citato. *Nemo*, inquit, *dixerit solius animæ esse opera , tametsi illa incitet ac moveat corpus ad opus, sed utriusque ; ita quoque sentiendum est de Christo.* *To. 6. p. 392. D.*

Hæretici tertii ordinis, qui circa unionem utriusque naturæ in Christo erraverunt.

Duplex hìc error occurrit extremè oppositus; Nestorii, & Eutychetis. Iste unam in Christo naturam post unionem, ille verò duplicem admisit personam unione dumtaxat morali conjunctam.

De

De errore Nestorii.

Nestorius Episcopus Constantinopolitanus in locum Sisinnii creatus anno 427. jam diu animo præconceptam hæresim cœpit evomere. Totum erroris ac impietatis suæ virus in eo veluti collectum abscondebat, quòd beatam Virginem non *Θεοτόκον*, *Deiparam*, se *Christiparam* affirmaret, ex quo sequebatur 1. Christum non esse verum ac substantialiter Deum, sed tantùm per gratiam, adoptionem, & assistentem dumtaxat seu inhabitantem tanquam in templo divinitatem. 2. moralem esse, non physicam & hypostaticam in Christo unionem divinitatis cum humanitate. 3. non unam in Christo personam esse, sed duas; non unum, sed duos Christos; adeoque Verbum humanitatem sibi uniendo, perfectum tùm natura tùm persona hominem assumpsisse, qui primùm in utero B. Virginis formatus est, tùm ad unionem cum Verbo assumptus. Ita colligimus ex Symbolo Nestoriano quod Charisius Presbyter Patribus Ephesinis obtulit, ac refertur Actione 6. Conc. Ephesini. *Confitemur*, ajunt eo in Symbolo Nestoriani, *Verbum hominem secundùm naturam perfectum ex humana carne & anima rationali consistentem assumpsisse . . . . . quem secundùm nostram naturam, nobisque similem hominem existentem, Spiritus sancti virtute in utero Virginis formatum . . . . inexplicabili quodam modo sibi conjunxit.* Ut verò publicam invidiam ac offensionem declinarent, dolosè profitebantur in eodem Symbolo, se non duos Filios nec duos Christos inducere: *Neque*, inquiebant, *duos Filios aut duos Dominos inducimus, quandoquidem unus tantùm est per essentiam Filius, nempe Deus Verbum, Filius Patris unigenitus, cui conjunctus est hic & deitatis comparticeps, consors etiam est appellationis & honoris Filii, &c.* Non alio igitur sensu negabant duos esse Filios duosque Dominos, quàm quòd unione tantùm morali & extrinseca Filio Dei junctus foret filius hominis. Hoc ipsum expresse significat S. Cyrillus, in Commonitorio quod Possidonio dedit cùm Romam mitteretur, quod publici juris fecit Balusius Tom. 1. novæ Collectionis Conciliorum pag. 378.

Tom. 3. Conc. p. 678. C. D.

Ibid. E.

Extitit inter Novatores Calvinistas quidam tam perditæ mentis, ut Nestorium ab errore vendicare tentaverit, quem tanquam verè Orthodoxum ac Catholicum exhibet; sanctum verò Cyrillum aliosque Ephesinos Patres velut hæreticos traducit, à quibus injustè depositum Nestorium, ac mirè divexatum fuisse asseverat. Multis ex ipsomet Nestorio relatis testimoniis errorem ipsius apertè demonstravimus Tom. 2. de Ecclesia pag. 503. & sequentibus, ad quem locum lectorem remittere nos cogit studium brevitatis, multitudo ac varietas controversiarum, quas expendendas & dissolvendas hìc habemus.

Variis porrò modis errorem suum Nestorius explicabat.

Varii modi quibus Nestorius unionem Verbi cum Christo exponebat.

I. Ajebat Verbum in homine Christo habitasse, tanquam in suo templo, juxta illud Joann. 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Propterea observabat Isaiæ 7. cautè scriptum esse, *Vocabitur nomen ejus*

Emma-

Emmanuel; ideft, non vocabitur Deus, fed nobifcum Deus, id-eft, in nobis habitans, dicente S. Joanne cap. 1. *Et habitavit in nobis*. Adversùs illum habitationis & unionis modum S. Cyrillus undecimum edidit Anathematifmum.

II. Unionem illam Verbi cum humanitate moralem effe dumtaxat, feu affectus, dilectionis & concordiæ. Addebat & Theodorus fimilitudinem quæ refertur in V. Synodo Can. 12. *talem nimirum factam effe unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro & muliere: Erunt duo in carne una*. Sicut ergo vir & mulier duæ perfonæ funt, & tamen dicuntur una caro; ita etiam Filius Dei & filius hominis duæ funt perfonæ, & tamen dici poffunt unus Chriftus propter conjunctionem fpiritualem. Huic explicationis modo S. Cyrillus quartum opponit Anathematifmum. *Tom. 5. Conc. p. 575. C. D.*

III. Unitum dicebat Verbum cum humanitate fecundùm operationem, quia Chriftus homo erat inftrumentum quo Verbum utebatur in illis admirandis operibus quæ à Chrifto facta funt. Huic explicationi opponitur feptimus Anathematifmus S. Cyrilli.

IV. Unitum ajebat fecundùm participationem, quia Verbum illi homini impertivit nomen & dignitatem fuam, ut nimirum Deus & Dei Filius vocaretur, & ab omnibus creaturis adoraretur, non propter fe, fed propter eum à quo affumptus fuerat; eo modo quo imagines Sanctorum nominibus eorum interdum appellantur, & propter eos etiam cultu religiofo honorantur. Adversùs modum illum unionis editus eft tertius Anathematifmus.

Ex his porrò modis quibus Neftorius unionem Verbi cum Chrifto exponebat: ifta confectaria funt.

Confectaria ex modis variis quibus Neftorius unionem Verbi cum Christo exponebat.

Primum, reipfa Neftorium non agnoviffe veram & propriè dictam Verbi Incarnationem. Simulant, ajebat S. Cyrillus in expofitione Anathematifmi quinti, fe Incarnationis vocem admittere; at incarnatum revera non putant, utpote qui non phyficam nec hypoftaticam, fed moralem dumtaxat & accidentalem admitterent inter utramque naturam unionem. Unde nomen ἑνώσεως, id eft, *unitionis*, repudiabat Neftorius; utebatur verò nomine συναφείας, id-eft, *conjunctionis*, ut ait S. Cyrillus in Dial. *Quòd unus fit Chriftus*, ante medium. Cùm enim ille à Catholicis urgeretur, eo quòd Chriftus in Scripturis & Deus & homo diceretur, quòd unus effet Chriftus, quòd idem Chriftus & Deus & homo adoraretur, folita Hæreticorum verfutia ad varios conjunctionis accidentalis modos confugiebat, ut exponeret Chriftum modò Deum, modò hominem appellari, atque unica adoratione poffe adorari. *Primũ Conjectariũ. Neftorius veram nõ agnovit Verbi Incarnatioñe.*

Secundum Confectarium eft, Chriftum natura & fubftantia Deum non effe, fed gratia, adoptione, ac fpeciali divinitatis affiftentia: eum purum ac fimplicem hominum primò creatum effe, tùm ad altiorem dignitatem provectum, ac Deum dictum, qua ferè ratione Moyfes dictus eft Pharaonis Deus. Hanc fuiffe Neftorii & fequacium ejus fententiam, oftendunt. *Secundum. Chriftum verè ac fubftãtia Deũ non effe.*

Sym-

Symbolum Nestorianum, de quo paulò antè.

To.5.p. 2.p.54. A. S. Cyrillus L. de recta fide ad Theodosium Imperatorem, *Illorum*, inquit, *institutum & scopus, qui diversa ab his sentiunt, est persuadere eum qui ex muliere natus est, hominem esse unum quempiam, qui ob suæ personæ cum Dei Verbo connexionem insigni prædestinatione electus sit: quique sensim & per incrementa, ut dixi, & tanquam per propriam, hoc-est, humanam virtutem, ad eam tandem dignitatem pervenerit, ut divinis honoribus potiretur.* Idem colligitur ex Anathematismo septimo S. Cyrilli.

To.2.p. 980. Cassianus L. 2. de Incarn. cap. 6. *Sed dicas forsitan*, (Nestorium alloquitur) *gratiam hanc Domini Jesu Christi, de qua Apostolus scribit, non cum ipso natam, sed postea ei illapsu divinitatis infusam: quia & homo ipse à te Dominus Jesus Christus, quem solitarium dicis, non cum Deo natus, sed postea à Deo dicatur assumptus; ac per hoc totum, homini illi gratiam, quando & divinitatem datam.*

Bibl. PP. T. 2.p.254. E. Vincentius Lyrinensis Commonit. 1. cap. 17. ait dici posse, juxta Nestorii sententiam, *quòd cùm Christus homo communis primùm & solitarius natus sit, & necdum Dei Verbo personæ unitate sociatus, postea in eum assumentis Verbi persona descenderit.*

Denique, ut alios plures sileamus, Liberatus in Breviario cap. 2. ubi ait hanc esse de Nestorio multorum sententiam, quòd *Christum purum hominem* Tom.5. Conc.p. 741.C. *tradiderit conceptum atque formatum, & postea in Deum provectum, id-est, hominem Deificatum.* Istud verò confirmat ex Epitome Chronicorum Lucentii. *Lucentius*, inquit, *opponit & dicit, Felice & Tauro Consulibus, Nestorius Constantinopolitanus Episcopus novum Ecclesiis molitur errorem in-* Ibid. *ducere, prædicans Christum hominem tantùm, non etiam Deum natum; eique divinitatem esse pro merito.*

Tertiù. Duas esse in Christo personas. Tertium, quod ex Nestorii explicatione sequitur, istud est, duas esse in Christo personas, unam hominis, alteram Dei; adeoque & duos Filios, duosque Christos esse: quod etsi versipellis ille ac subdolus aliquando verbo tenus negaret, reipsa tamen admittebat, nec poterat non admittere, nisi per crassam ac supinam contradictionem; siquidem hominem perfectum jam formatum ac natum, tum ad dignitatem Dei promotum fuisse contendebat. *Nestorius*, ait Vincentius Lyrinensis, *contrario Apollinari morbo, dum sese duas* Bibliot. PP. T. 7. pag. 254.D. *in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit de repentè personas, & inaudito scelere duos vult esse Filios Dei, duos Christos; unum Deum, alterum hominem; unum qui ex patre, alterum qui sit generatus ex matre.* Idem refert Leontius Lib. 1. de Sectis. Idem & S. Cyrillus Epistola ad Clericos suos Constantinopolim constitutos: *Quoniam*, inquit, *propositum illis est duos* Coll. Conc. Balluz. p.542. *Filios & duos Christos introducere, unum quidem specialiter hominem, alterum verò propriè Deum, in personis tantùm faciunt vel sentiunt unitatem, Deum Dei Verbum nolentes propriè & substantialiter unitum homini, hominem factum, hominem suscepisse. Propterea & tergiversantur, & excusationes, sicut scriptum est, fingunt in peccatis.*

Quartù. Virginem Deiparam non esse. Quartum Consectarium erat, beatam Virginem Dei matrem nec esse nec dici posse, sed Christi dumtaxat genitricem: quamquam visus est aliquando Nestorius, se non alia de causa vocem Θεοτόκον refugere, quàm quòd timeret ne fortè B. Virgo tanquam Dea haberetur. Fallebat dolosus ille: noverat enim

enim nunquam hujusmodi figmentum in mentem Catholicorum venisse: noverat ex unione dumtaxat morali, quam solam ille admittebat inter Verbum & hominem in Christo, necessariò sequi, B. Virginem non Dei, sed tantùm hominis matrem dici posse, non Θεοτόκον, sed Χριστοτόκον.

Quintum denique Consectarium erat, utriusque naturæ divinæ & humanæ proprietates in Christo non posse de se invicem prædicari, nec consequenter dici posse Verbum esse natum, passum, mortuum; hominem (demonstrando Christum) esse Deum, &c. *Bimestrem vel trimestrem dicere non oportet Deum*, inquiebat ille. Quintũ. Nullam esse idiomatum cõmunicationem.

Non ignoramus insidioso ac planè subdolo sensu Nestorium aliquando, ut mox dictum est, non recusasse B. Virginem *Deiparam* dicere, quatenus scilicet hominem genuit Deo conjunctum, templum quidem Dei, at non Deum ex unione personali & hypostatica. Pariter Christum Deum appellare non recusabat, non quidem sensu Catholico, propter substantialem unionem; sed quia humanitas Christi nusquam fuit sine Verbo, unione saltem morali, qua fit ut Deus sit quidem hominis, & homo Dei, sed non Deus homo, nec homo Deus: unum pariter Christum, & unam in ipso personam agnoscere se fingebat; verùm quo sensu? Isto, quòd ex duabus personis una tantùm coaluisset morali nexu & voluntatum consensione. Nestorius errorem suum callidè dissimulabat.

Hunc suum perversum sensum mirâ calliditate ac versutia, ut Hæretici solent, occultabat ac dissimulabat Nestorius. *Ad tegendam imposturam*, ait Synodus Ephesina in Relatione ad Imperatorem, *usque adeò callidus fuit, ut quidam quoque sanctissimi Episcopi, occultato errore ab eo decepti sint, eique sese adjunxerint, qui actis illius subscripserint; qui tamen postea quàm dilucidè quid sentiret, essent percontati, illumque suas blasphemiam retegentem comperissent, ab eo descriverunt, ac sanctæ Synodo se adjunxerunt*. Et Cælestinus S. P. ipsum alloquens Nestorium, (prima parte Conc. Ephes. cap. 18.) *Deprehensus es*, ajebant, *quòd multiloquio labebaris, dum vera involvis obscuris; rursusque utraque confundens, vel confiteris negata vel niteris negare confessa*. Tom. 3. Conc. p. 747. B. Ibid. p. 355. A.

Commune ferè istud vitium fuit omnium Hæreticorum, ut sensa sua obscuris & ambiguis verbis ad fraudem involverent; & quod de Valentinianis dicebat Tertullianus L. adversus ipsos cap. 1. de omnibus Hæreticis dictum puta: *Nihil magis curant, quàm occultare quod prædicant: si tamen prædicant quod occultant. Custodiæ officium, conscientiæ officium est; confusio prædicatur, dum religio adseveratur*. P. 250. A.

Romæ primùm, tùm Ephesi ann. 431. damnatus ac depositus est Nestorius. Quæ porrò ad Historiam Nestorianismi pertinent, quoniam styli prolixioris foret hic referre, ea prætermittimus. Legatur Historia gallicè eam in rem scripta, quæ Parisiis prodiit ann. 1698.

De errore Eutychetis.

Eutyches Presbyter & Archimandrita, id est, Abbas seu Præfectus celeberrimi Monasterii Constantinopolitani, in errorem Nestoriano extremè oppositum lapsus est. Nestorius unam personam, Eutyches unam in Christo post unionem seu Incarnationem, naturam esse docuit; nec putabat aliter posse defendi, contra Nestorium, esse unum Christum, non duos.

Ad

Ad Flavianum Constantinopolitanum Patriarcham & ad Synodum ab ipso coactam delatus, cùm à Patribus de fide interrogaretur, & urgeretur ut suam aperiret mentem, tandem post multos flexus, quibus coluber ille se involvere conabatur, dixit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem verò, unam naturam confiteor*. Quo verò sensu duas ante, unam verò post unitionem naturam in Christo intellexerit, nunquam, ut declararet, potuit adduci. *Ego*, inquiebat, *non veni disputare, sed veni satisfacere sanctitati vestræ quomodo sapiam*. Nihil amplius ab ipso potuit Synodus obtinere. In errore pervicax à gradu suo dejicitur, damnatur, in exilium ab Imperatore amandatur: ejus occasione convocatum est anno 451. Concilium œcumenicum Chalcedonense, cui adfuere Episcopi 630. à quo iterùm damnatus fuit hæresiarcha.

Tom.4. Conc.p. 226.E. Ibid. p. 223.C.

Incertum planè est 1. quo sensu docuerit Eutyches, duas ante adunationem in Christo fuisse naturas: an scilicet natura humana Incarnationem præcesserit aliqua duratione temporis, an saltem prioritate naturæ.

2. quid senserit circa originem Christi; quid de illius corpore.

3. Incertum quo sensu docuerit, post adunationem unam esse in Christo naturam; an voluerit ex duabus naturis permixtis productam esse seu compositam unicam naturam à duabus distinctam; an verò unam ex duabus in alteram conversam.

4. utrum existimaverit, divinam naturam in humanam, aut è contra, humanam in divinam esse conversam, à qua tota fuit absorpta; quomodo gutta mellis mari permixta, tota absorpta & in mare conversa dicitur.

5. denique, quo temporis puncto illam naturarum adunationem factam existimaverit.

Dico igitur 1. tametsi omninò certum & exploratum non sit, quam prioritatem Eutyches admiserit ante adunationem, an temporis, an naturæ tantùm, S. Leo Ep. 25. aliàs 11. ad Julianum Coensem, non longè à fine, *Arbitror*, inquit, *eum talia loquentem*, (nempe ante adunationem duas esse naturas) *hoc habere persuasum, quòd anima quam Salvator assumpsit, priùs in Cœlis sit commorata, quàm de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet*. Qui error in Origene proscriptus jam fuerat.

To.1.p. 487.

Quid verò de carne Christi senserit Eutyches ante adunationem naturarum, an è Cœlo delapsam, an ex Maria Virgine natam existimaverit, non minor est difficultas. Gennadius L. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 2. Theodorus Presbyter Rhaitensis L. de Incarnatione Domini, Flavianus in Ep. ad S. Leonem, quæ legitur inter Epistolas S. Leonis post octavam cap. 3. Vigilius L. 3. contra Eutychem, Bellarminus de Incarnatione L. 3. cap. 2. asserunt Eutychem hac in parte errorem Valentini & Apollinaris renovasse; hoc est, Christi carnem non esse ejusdem cum nostra naturæ; nec veram, sed phantasticam, aut saltem è Cœlo delapsam, non verò ex Maria Virgine natam & productam.

Attamen huic errori repugnat publica fidei professio Eutychis, quæ refertur Actione prima Concilii Chalcedonensis, ubi anathema dicit, *Manichæo, Valentino, Apollinari & Nestorio, omnibusque hæreticis usque ad Simonem magum; & eis qui dicunt Domini nostri Jesu Christi carnem de Cœlo descendisse*. Quomodo porrò conciliari ista possunt cum testimoniis mox indicatis?

Tom.4. Conc.p. 135.E.

Diceu-

Dicendum, vel auctores mox laudatos errorem illum ex principiis Eutychis ratiocinando dumtaxat intulisse; vel Eutychem secum parum concordem fuisse, quod Hæreticis familiare est; vel eum non satis animo statim conceptam ac præformatam habuisse hæresim suam, cujus sinus omnes ac consectaria minùs perspicax non satis introspexit.

Dico 2. verisimilius esse, Eutychem post adunationem naturarum eo sensu unicam naturam admisisse, quòd natura humana in divinam tota conversa fuisset.

Patet 1. ex Theodoreto Dial. 2. ubi cùm Orthodoxus quærit ab Eraniste, id-est, Eutychiano, quomodo diceret *unicam naturam post unitionem* . . . *utrum ex ambabus unam esse factam, vel altera manente, alteram sublatam*; Eranistes respondet: *Ego dico divinitatem mansisse, humanitatem verò ab-hac esse absorptam, ut si in mare mellis gutta fundatur; nam illa gutta statim evanescit.* (To. 4 p. 76. D. Ibid p. 77. A. B.)

Patet 2. quia Eutychiani dicebant divinitatem passam fuisse, cruci affixam, sepulchro conditam. Ita Theodoretus Lib. 4. hæret. fabul. in Eutyche. Unde Trisagio, *Deus sanctus, Deus fortis, Deus immortalis*, addebant & istam clausulam, *Qui passus es pro nobis*. Atqui si ex duabus naturis una fuisset conflata, non divinitas, sed una tertia natura diceretur passa & cruci affixa. (Ibid. p. 246. D.)

Patet 3. quia nimis absurda est illa sententia quæ ex divinitate & humanitate permixtis docet unam conflatam esse naturam. Ita S. Thomas Lib. 4. contra gentes. (T. 14. p. 652. co. 1.)

Dico 3. post adunationem naturarum, in mente Eutychis corpus Christi verum ac reale non extitisse, sed phantasticum dumtaxat & umbratile. Ratio aperta est: quia in sententia Eutychis, natura illa unica quæ remansit post adunationem, dici non debet ex duabus conflata seu composita; ergo dicendum est, vel humanam tantùm, vel divinam superstitem fuisse. Atqui ex mox dictis, humana non remansit, sed tota fuit à divinitate absorpta; ergo sola natura divina remansit, unde prorsus consequens est, ait S. Thomas L. 4. contra Gentes c. 35. ut id quod videbatur in eo humanum, fuerit phantasticum. Confirmat S. Leo Ep. 25. aliàs 11. ad Julianum Episcopum Coensem, ubi de Eutyche sic loquitur: *Dei Filium sic de utero Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit*. Idem repetit Ep. 30. aliàs 18. ad Pulcheriam Augustam. Item in Enotico Zenonis damnantur, *qui introducunt Christum suscepisse carnem imaginariam*. (Ib. col. 2. To. 1. p. 486. Brevi. Lib. T. 3. Conc. 768.)

Dico denique, de tempore adunationis, juxta mentem Eutychis, nihil certi statui posse; utrum nempe adunatio illa facta fuerit in Cœlo, ita ut Verbum divinum & animam & corpus ibi assumpserit, deinde per beatam Virginem, tanquam per canalem transmeaverit: an verò facta fuerit in utero materno, & quando facta illa fuerit. Eranistes apud Theod. Dial. 2. eam in ipso conceptu factam asserit; postea verò convictus Orthodoxi rationibus, non nisi post Resurrectionem, vel etiam Ascensionem factam esse definivit. (To. 4. p. 7. & seq.)

Post damnatum in Concilio Chalcedonensi, anno 451. Eutychem, plures Eutychianæ impietatis subinde pullularunt sectæ. Petrus Cnaphæus Antiochenus Episcopus, cùm anathema dixisset Chalcedonensi Concilio, ac Trisagio

istam

istam adjecisset clausulam, *Qui passus es pro nobis, miserere nobis*, Theopaschitarum errori ac sectæ nomen & ortum dedit; eo quòd existimarent illi, divinitatem carni factam consubstantialem, verè passam fuisse, imò & Trinitatem totam passam esse, quæ à divinitate ipsa distincta non est. Cùm verò Petrus Moggus Sedem Alexandrinam invasisset, & Chalcedonensi Synodo anathema dicere cunctaretur, scissi sunt ab eo Eutychiani hujus Urbis ac Regionis: inde *Acephali* dicti sunt, inter quos Severus Monachus Corrupticolarum, Julianus Halicarnensis Incorrupticolarum novam sectam peperit, quòd illi corruptibilem Christi carnem fuisse, utpote veram carnem; hi incorruptibilem, utpote unius jam cum Verbo naturæ profiterentur. Communis illorum Acephalorum error fuisse videtur, ex duabus naturis, divina & humana, in Christo conjunctis, unam conflatam fuisse.

Felix & Elipandus Hispani Episcopi.

Elipandus Urgelitanus, Felix Toletanus, in Hispania Episcopi, regnante in Galliis Carolo Magno, sedente Summo Pontifice Adriano, circa Christum errorem suum disseminarunt. Dicebant Christum non esse Dei Filium proprium & naturalem, sed adoptivum dumtaxat, & per gratiam: unde consequens istud fluebat, Christum verè ac natura Deum non esse, sed tantùm Deum nuncupari, qui Baptismo indiguit, ut ejus beneficio in Dei Filium adoptaretur. Proscriptus error ille fuit in Conciliis Forojuliensi an. 791. Ratisbonensi an. 792. & Francofordiensi an. 794.

Lutherani, Ubiquistæ.

Bellarminus L. 3. de Christo cap. 1. ait duo esse hoc tempore genera errantium circa Incarnationem. *Aliqui enim*, pergit, *apertè ac directè oppugnant hoc Mysterium; alii obscurè & quasi obliquè.*

To. 1. p. 146.

Ad primum genus pertinent Anabaptistæ & Suvenckfeldiani: Anabaptistæ disertè docent Christum non habuisse veram carnem ex Virgine assumptam.

Ad secundum genus pertinent hoc tempore Lutherani, qui duo docent, ex quibus sequitur eos vel esse Eutychianos, vel Nestorianos, vel monstrum ex utraque hæresi temperatum. 1. Dicunt Christi carnem habere attributa divinitatis, ac præcipuè omnipræsentiam. 2. Docent hypostaticam unionem consistere in ista communicatione attributorum divinorum ipsi carni & divinitati: & siquidem volunt ista attributa conjungi essentialiter humanitati, jam illa fiet unum cum divinitate, quæ est hæresis Eutychiana; si verò conjungi volunt accidentaliter, tum distinctæ erunt personæ Dei & hominis, & una erit in alia per inhabitationem & per accidens, quod est apertè Nestorianum.

Hæc Bellarminus. Tum exponit errorem, qui Ubiquistarum dicitur, cujus primum auctorem ait fuisse Jacobum Fabrum Stapulensem, qui ita scripsit in in cap. 12. prioris ad Corinthios, *Corpus Christi, id-est, assumpta humanitas cælum implet & terram: est enim ubicumque Verbum Dei, quia Verbum caro factum est; quare Verbum nusquam est sine carne.* Et in cap. 14. Joan. *Cùm*

Bellar. ib. C.

Filius,

Filius, inquit, *sit in Patre & in omnibus sanctis qui sunt in cœlo & in terra; an etiam corporaliter sit? Quidni? Sed absque modo, nisi dicas divino & incomprehensibili modo, qui non tam modus, quàm non modus dici debet*. Jacobum Fabrum sequutus est imprimis Lutherus, qui, referente ibidem Bellarmino, tres modos distinguit quibus res aliqua in loco esse dicitur.

Primum localiter, id est circumscriptivè: atque hoc modo non vult Lutherus carnem Christi esse ubique.

Secundum, spiritualiter, seu per penetrationem; & hoc dicit convenire corpori glorioso: sed neque hoc modo asserit carnem Christi esse ubique.

Tertium, cœlestem & divinum per unionem hypostaticam; & hoc modo tribuit carni Christi ubiquitatem. Lege Bellarminum loco citato.

Atque hæc de variis circa Incarnationem Verbi erroribus dicta sufficiant. Ad Mysterium ipsum jam propiùs accedendum.

QUÆSTIO SECUNDA.

An possibile sit & conveniens Incarnationis Mysterium.

Duo hæc in idem ferè recidunt: quippè si positivè inconveniens foret, hoc est indecens ac minùs consentaneum Mysterium Incarnationis, eo ipso Deo foret impossibile. *In Deo enim*, ut docet S. Anselmus, *vel minimum inconveniens sequitur impossibilitas*. Si autem nihil Deo indecens, nihil planè indignum contineat istud Mysterium, haud dubiè possibile est. Duobus igitur distinctis Articulis de possibilitate & de convenientia Incarnationis disputabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

An possibile sit Incarnationis Mysterium.

Impossibile visum est Gentilibus, quibus crux Christi stultitia; Judæis, quibus scandalum fuit; Socinianis, qui quæcumque possunt, huic Mysterio contradictionis ac implicantiæ argumenta excogitant & opponunt.

CONCLUSIO.

Possibile est, seu nullam internam pugnam ac repugnantiam includit Mysterium Incarnationis.

Probatur 1. ea ipsa ratione qua usus est Angelus Gabriel, cùm Mysterium istud beatæ Virgini nuntiavit cap. 1. S. Lucæ v. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

2. Quod revera impletum fuit, haud dubiè possibile est: atqui impletum fuisse Mysterium Incarnationis paulò post evidentissimè demonstraturi sumus.

3. Denique, illud possibile dici debet, quod nulla ratione implicat: atqui Mysterium Incarnationis nulla implicare ratione, mox patebit ex solutione earum objectionum quibus possibilitas illius oppugnatur.

Solvuntur Objectiones.

Quotquot adversùs possibilitatem Mysterii Incarnationis excogitatę sunt causæ ac rationes, repetuntur aut ex parte Verbi divini, aut ex parte humanitatis, aut denique ex parte nexus seu unionis utriusque.

Objectiones ex parte Verbi.

Objicies 1. Conciliari non potest Verbi divini immutabilitas cum ejus Incarnatione; ergo impossibilis est illa Incarnatio.

Antecedens probatur: Quia ille verè & intrinsecè mutatur, qui verè ac intrinsecè incipit uniri humanitati, cui unitus antea non erat: atqui Verbum divinum, si carnem verè assumeret, verè ac intrinsecè uniri inciperet cum humanitate, cui antea unitum non erat.

Major propositio certa videtur. Namque toties fit mutatio, quoties nova supervenit intrinseca denominatio; atqui si Verbum incarnatur, nova ipsi supervenit intrinseca denominatio, qua dicitur intrinsecè conjunctum cum humanitate.

Et verò ipsa humanitas Verbo copulata non alia de causa & ratione mutatur, quàm quòd incipiat intimè uniri cum persona Verbi, cum qua antea unita non erat; ergo pari ratione Verbum, quod incipit uniri cum humanitate, & quidem unione intima & personali, incipit quoque mutari.

Minor propositio certissima est: Verbum quippe per Incarnationem intimè unitur cum humanitate, ac fit intrinsecè homo, qualis non erat ante unionem.

Neque est quòd reponas, Verbum divinum in Incarnatione terminum dumtaxat esse, quia humanitatem terminat, perficit ac complet, non autem esse subjectum, quod aliquid à quo perficiatur, in se recipiat, unde omnem respuit mutationem. Namque esto ita sit, Verbum terminet dumtaxat ac perficiat humanitatem: at saltem terminus ille intrinsecus est ac formalis, novus, seu de novo accedens; ergo semper istud firmum ac ratum erit, Verbum de novo incipere terminare intrinsecè eam naturam, quam antea intrinsecè non terminabat; ac consequenter illud mutationi obnoxium fuisse.

Resp. nego antecedens.

Ad probat. dist. maj. Ille verè & intrinsecè mutatur qui incipit verè & intrinsecè uniri humanitati, tanquam subjectum vel unionis, vel humanitatis à qua perficitur, concedo: tanquam terminus qui humanitatem ultimò complet, terminat ac perficit, nego. Distinguo pariter minorem. Atqui Verbum divinum incipit uniri intrinsecè humanitati, tanquam terminus perficiens humanitatem, concedo: tanquam subjectum quod perficiatur, nego. Itaque in omni mutatione, id quod mutatur subjectum dicitur, quod transit vel à non esse ad esse, vel ab uno statu ad alium, novam aliquam rem aut interiùs aut exteriùs recipiens: ita mutatus dicitur Adam, cùm de

de novo creatus fuit; mutatus, cùm ejus corpori infusa est anima; mutatus, cùm Deo largiente tot donis naturæ & gratiæ instructus fuit. Mutatio igitur unicè cadit in subjectum quod formam aliquam seu perfectionem novam acquirit, non in rem ipsam seu formam aut perfectionem, quæ de novo accedit. *Ita*, inquit S. Augustinus Lib. 83. quæstionum qu. 73. *cùm sapientia homini accidit, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit*. Porrò cùm Verbum carnem sibi assumpsit, nec humanitatis, nec unionis subjectum dicitur; nihil ipsi ab humanitate accessit, unde perficeretur; nihil de nativis perfectionibus ipsi deperiit: *Homo*, ait idem S. Augustinus Ep. 137. aliàs 3. ad Volus. cap. 3. *Deo quidem accessit, non Deus à se recessit*. Deo nihil de novo accidere potest, qui omnem quæ potest excogitari, perfectionem in se continet. Verbum ergo in Incarnatione subjectum non est, sed terminus dumtaxat, qui naturam humanam ultimò complet, terminat ac perficit, mira illa unione personali & hypostatica, per quam homo Deus quidem efficitur, & Deus homo: at perficitur homo, & in melius commutatur; non perficitur Deus, nec mutatur. *Non mutatum est Verbum susceptione hominis*, ait S. Augustinus L. 83. Quæstionum qu. 73. *sicut nec membra veste induta mutantur*.

To. 6. p. 64. F.

To. 2. p. 405. F.

To. 6. p. 65. D.

At, inquies, nonne Verbum de novo incipit terminare intrinsecè humanitatem quam antea non terminabat? Fateor: sed idcircò mutatum dici non potest. Quare? quia nec ullam ex iis quas semper habuit, perfectionem amisit, nec ullam novam acquisivit: quidquid enim perfectionis homo habet, totum illud eminentiori modo Deus in se continet, à quo tanquam à fonte homo accepit.

Instabis I. Qui incipit verè ac substantialiter homo esse, qualis antea non erat, ille profectò novi aliquid in se recipit, ac proinde mutatur; atqui Verbum in plenitudine temporis verè ac substantialiter incœpit homo esse, *Verbum caro factum est*. Joan. 1. v. 14. Ergo, &c.

Resp. dist. maj. Qui incipit verè ac substantialiter homo esse, tanquam subjectum quod in se vel unionem, vel humanitatem, aut formam aliquam recipiat unde perficiatur, ille novi aliquid recipit ac mutatur, concedo: qui incipit verè ac substantialiter esse homo, tanquam terminus dumtaxat, seu complementum humanitatis, quam ut persona perficit ac ultimò terminat, nego. Sicut enim, ex Augustino mox laudato, cùm homo fit sapiens, non mutatur sapientia quæ homini accedit, sed mutatur homo qui eam recipit; ita non mutatus est Deus quando carnem assumpsit, sed mutata est humanitas quam assumpsit: quia nempè Verbum divinum, nec unionem, nec humanitatem, nec aliquam formam unde perficiatur, tanquam subjectum in se recipit, sed tantùm ut persona humanam naturam perficit, terminat & complet, complemento (ut ajunt) personæ, ad summam seu divinam perfectionem humanitatem evehens, nullam ab ipsa mutuans perfectionem: in Christo enim *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Coloss. 2. v. 9.

Instabis 2. Unio hypostatica in Christo extrema æqualiter conjungit unione intima & interna, atque in utroque extremo æqualiter recipitur, unde fit ut Deus sit homo, & homo Deus; ergo sicut humanitas ex illa unione quam recipit, internè mutatur, ita & divinitas.

Confirmatur exemplo corporis & animæ, quæ æquali nexu inde copulantur inter se ad unum hominem efficiendum, & mutationi æqualiter subjacent.

Resp. 1. unionem, propriè loquendo, in extremis quæ uniuntur, non recipi: quia, ut fert communior Philosophorum sententia, ab extremis unitis revera non distinguitur.

2. Dato quòd unio sit aliquid ab extremis unitis distinctum, dist. ant. Unio hypostatica in Christo extrema æqualiter conjungit, quantùm ad intimam nexus firmitatem, concedo: quantùm ad modum unionis, nego. Ex parte quippè Verbi unio nullam divinitati affert aut detrahit perfectionem; ex altera verò parte, humanitas summam ac planè divinam ex unione cum Verbo perfectionem participat.

3. Unio illa intima & intrinseca dicitur, non isto quidem sensu, quòd sit in ipsa Dei natura recepta, sed quòd non sit tantùm moralis per affectum & concordiam, qualis est inter amicos; nec accidentalis, externa, & per meram assistentiam, qualis aliquando fuit inter Angelos & corpora ab illis assumpta, qualis est specialis Dei in Templo, in Sanctis, &c. præsentia, sed quòd sit physica, substantialis & hypostatica, cujus beneficio natura humana in unum idemque suppositum cum divina copulatur, atque mutua & reciproca sit proprietatum utriusque naturæ Deum inter & hominem societas & communicatio.

Exemplum verò unionis corporis & animæ omni ex parte hìc aptum & accommodatum non est: corpus enim & anima partes sunt incompletæ hominis, quæ mutuam ad sese ex natura inclinationem habent, sese mutuò complent ac perficiunt, unamque totalem & integram componunt hominis naturam: at divinitas & humanitas in Christo non sunt partes incompletæ, neque naturalem habent ad sese invicem inclinationem, neque ex illarum unione unica & totalis exurgit natura; sed in una eademque persona Christi duæ naturæ remanent inconfusæ ac impermixtæ, & divina humanam, non humana divinam perficit. Mirum igitur non est, quòd mutationis aliquid corpori & animæ accedat, quando inter se uniuntur ac sese mutuò perficiunt.

Instabis 3. Qui incipit esse quod antea non erat, ille desinit esse quod erat antea, ac consequenter mutatur: atqui Deus incipit esse homo, qualis non erat antea; ergo desinit esse quod erat, ac consequenter mutatur. Porrò Deus non potest desinere esse quod erat, nec mutari; ergo impossibilis est Incarnatio, qua posita Deus desineret esse quod erat, ac mutationi foret obnoxius.

Resp. dist. maj. Qui incipit esse quod non erat antea, per sui in rem alteram conversionem, ac novæ cujuspiam formæ acquisitionem, ille desinit esse quod erat antea, & mutatur, concedo: qui incipit esse quod non erat, per solam terminationem qua naturam humanam complet ac perficit, à qua nullatenus ipse perficitur, nego. Porrò cùm Verbum est caro factum, non conversa est divinitas in carnem, sed assumpta duntaxat caro in unitatem personæ cum Verbo: *Homo*, ait S. Augustinus jam laudatus, *Deo quidem accessit, non Deus à se recessit. Unus est Christus*, ait Symbolum Athanasianum, *non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in*

in Deum; unus omninò, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Neque etiam, ex jam dictis, ulla Verbo divino ex Incarnatione nova forma aut nova perfectio accessit; nihil quippè novi accedere Deo potest, qui omnia in se bona continet, à quo in homines per quamdam participationem derivantur.

Instabis 4. Nova determinatio intrinseca supponit novam formam intrinsecam: v.g. cùm homo dicitur doctus, supponitur in ipso nova doctrinæ accessio: atqui Verbo divino nova supervenit intrinseca denominatio, nempè hominis, verè quippè ac intrinsecè homo est; ergo nova ipsi accessit intrinseca forma, humanitas scilicet in ipsa divina natura recepta.

Resp. dist. maj. Supponit novam formam intrinsecam aut receptam tanquam in subjecto, aut saltem unitam & terminatam à persona superiori ac longè nobiliori, concedo: supponit novam formam intrinsecam semper receptam, à qua persona terminans aliquid perfectionis mutuetur, nego. Porrò, ut jam non semel dictum est, humanitas in Verbo tanquam in subjecto non recipitur, sed cum Verbo hypostaticè unitur, ex qua unione summa & planè divina resultat in humanitate perfectio, nulla in divinitate.

Instabis 5. Divinitas & humanitas partes sunt unius & ejusdem suppositi, quod Christum vocamus, & æqualiter ad illud componendum concurrunt; ergo sicut una pars, nempè humanitas, mutatur, ita & altera, nempè divinitas.

Resp. 1. Nonnisi impropriè divinitatem & humanitatem partes appellari suppositi, quod Christus est; partes enim seorsim sumptæ incompletæ sunt, ac sese mutuò complent & perficiunt. Porrò in Incarnatione sola humanitas perfectior evadit, non divinitas.

2. Falsò asseritur utramque naturam æqualiter concurrere ad componendum Christi suppositum: Verbum enim ut persona divina complet ac perficit humanitatem in ratione personæ, humanitas verò completur ac perficitur; unde nonnisi impropriè partes appellari possunt: atque tota mutatio cadit in naturam humanam quæ perficitur, ac ultimò completur & terminatur, non verò in Verbum ipsum quod perficit, complet & ultimò terminat humanitatem.

Instabis 6. Si divinitas & humanitas dicendæ non sunt propriè partes componentes Christum, ergo sunt duæ naturæ integræ; unde sequitur Christum quoddam esse aggregatum per accidens. Quid enim vocamus aggregatum per accidens, nisi illud quod ex pluribus entibus integris coalescit?

Resp. nego sequelam antecedentis. Aggregatum quippè per accidens illud dicimus, quod constat ex pluribus entibus integris, non tantùm in ratione naturæ, sed etiam in ratione suppositi seu individualitatis, quomodo domum, lapidum molem, &c. vocamus aggregatum per accidens. Porrò licèt duæ naturæ in Christo perfectæ & integræ sint in ratione naturæ, non sunt tamen duo supposita, non duæ personæ, sed una, eaque divina, quæ locum & vices humanæ personalitatis abundè supplet ac compensat.

Instabis 7. Quod per se subsistit non potest alteri communicari, subsistentia enim ultimum est substantiæ complementum: atqui Verbum divinum, utpotè persona divina, per se subsistit; ergo non potuit naturæ humanæ, eam assumendo, communicari.

Resp. absolutè falsam esse majorem propositionem: siquidem natura

divina per se subsistit in Patre divino, & tamen eadem prorsus natura seu substantia divina Filio communicatur, non communicata ipsi personalitate seu subsistentia Patris.

At, inquies, natura divina & subsistentia divina non distinguuntur; ergo una communicata, altera quoque communicari debet; ergo non potest fieri unio in subsistentia Verbi, quin simul fiat in natura Verbi. Atqui unio in natura fieri non potest, aliàs ex unione una fieret natura per conversionem unius in alteram, quod certè implicat ac repugnat.

Resp. dist. ant. Natura & subsistentia divina non distinguuntur realiter, concedo: virtualiter nego. Porrò ex dictis, ubi de Trinitate, sufficit distinctio virtualis inter essentiam & subsistentiam, ut Pater divinus v.g. Filio suam communicet naturam, non communicata sua paternitate, seu personali subsistentia: eadem igitur virtualis distinctio hìc sufficit, ut Verbum divinum naturam humanam terminet per subsistentiam suam seu personalitatem, non verò per suam naturam quam communem habet cum Patre & Spiritu sancto. Quod ergo per se subsistit non potest alteri communicari tanquam supposito, concedo: subsistentia enim est ultimum naturæ complementum reddens eam alteri incommunicabilem tanquam supposito; non potest alteri communicari ut naturæ, nego. Porrò Verbum divinum non personam, sed naturam dumtaxat humanam sibi copulavit in unitatem personæ.

Instabis 8. Ex unione naturæ divinæ & humanæ in una Verbi persona istud saltem consequens foret, Verbum divinum localiter moveri ad motum humanitatis cum qua nexu tam intimo copulatur.

Resp. nego sequelam antecedentis, quia Verbum ex sua immensitate ubique est, tametsi humanitas illi unita ubique non sit, sed tantùm ubi illi intimè est præsens.

Objicies 2. Si Verbum incarnaretur, Pater quoque & Spiritus sanctus incarnati dicendi forent, tùm quia unam habent & indivisam naturam & essentiam: tùm quia, juxta communem effatum, opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, & ad tres personas pertinent. Atqui Incarnatio est opus ad extra; ergo &c.

Resp. dist. ant. Si unio, in qua posita est Incarnatio, facta sit in natura divina, in qua tres personæ sunt quid unum, concedo: si facta sit in persona, qua parte sunt distinctæ, atque inter sese mutuò opponuntur, nego. Porrò, ex jam dictis, unio facta est non in natura, sed in persona Verbi, quæ naturam humanam perficit ac ultimò terminat. Inde patet responsio ad primum. Ad secundum, disting. Incarnatio quatenus est naturæ humanæ creatio, conservatio &c. est à tota Trinitate, concedo: quatenus est formalis unio cum aliqua persona, nego. Incarnatio igitur in his quæ externa sunt & causam efficientem postulant, est à tribus personis efficienter; sed formaliter est solius Verbi, quia Verbum solum naturam humanam per suam subsistentiam propriam complet ac terminat, eam sibi hypostatica unione conjungendo.

Objectiones ex parte naturæ humanæ.

Objicies 1. Humana natura in Christo sua propria spoliatur subsistentia, seu personalitate; aliàs non una, sed duæ forent in Christo personæ: atqui

atqui fieri non poteſt ut humana natura ſua propria ſpolietur ſubſiſtentia.

I. Quia ſubſiſtentia non diſtinguitur ab ipſa ſubſtantia; ergo ubi eſt ſubſtantia, ibi eſt & ſubſiſtentia.

II. Quia perſona definitur à Theologis poſt Boetium, *Naturæ rationalis individua ſubſtantia*. Ergo ubi eſt individua naturæ rationalis ſubſtantia, ibi eſt vera perſona. Atqui in Chriſto, ſuppoſita Incarnatione, ineſt naturæ rationalis individua ſeu ſingularis ſubſtantia, nempè humanitas; ergo in Chriſto eſt perſona humana, quod tamen fides non patitur.

III. Subſiſtentia nihil aliud eſſe intelligitur quàm forma ſeu modus quo ſubſtantia per ſe ſubſiſtere dicitur, nec alio indigere cui inhæreat: atqui revera talis eſt in Chriſto natura humana, quæ per ſe ſubſiſtit, nec alteri inhæret ad modum accidentium; ergo eſt in Chriſto humana ſubſiſtentia.

Reſp. nego min. Natura enim quæ cum perſona longè nobiliori ac infinita intimè copulatur, ut fiat pars totius ac perfectiſſimi cujuſdam compoſiti, ſua propria perſonalitate ſeu ſubſiſtentia ſpoliari poteſt, & quidem abſque ullo ſui damno ac detrimento; imò potius cum magna infinitæ perfectionis acceſſione.

Ad primam probationem, jam obſervatum eſt in Myſterio SS. Trinitatis ſubſiſtentiam ab eſſentia ſeu natura virtualiter ſaltem diſtingui: ſiquidem una eſt in tribus perſonis natura, tres verò ſunt ſubſiſtentiæ; atque Filio v.g. tota communicatur Patris natura, non ſubſiſtentia. Diſtingui etiam poteſt hæc propoſitio: Subſiſtentia non diſtinguitur à ſubſtantia ſeu natura, tanquam res à re, concedo: tanquam modus quidam, naturam ultimò terminans, ac reddens incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito, nego. Porrò res aliqua integra ſubſiſtere poteſt abſque ſuo certo modo: digitus v.g. ſine inflexione; maximè cùm modus ille nobiliori ac excellentiori ratione à perſona ſuperiori & infinita ſuppletur, ut fit in Myſterio Incarnationis.

Ad ſecundam reſpondeo cum S. Thoma 1. p. q. 30. art. 1. ad 1. nomine *ſubſtantiæ* in definitione perſonæ, non ipſam naturam, ſed ſubſiſtentiam intelligi; quod ſatis apertè declaratur, cùm dicitur *individua*. *Dicendum*, ait Angelicus Doctor, *quòd ſubſtantia non ponitur in definitione perſonæ, ſecundùm quod ſignificat eſſentiam, ſed ſecundùm quod ſignificat ſuppoſitum. Quod patet ex hoc, quod additur, individua.*

Nomen itaque perſonæ totum aliquod completum ſignificat, quod ſui juris eſt, non alieni, alteri tanquam ſuppoſito incommunicabile; unde natura, licèt ſingularis, quæ pars eſt alicujus totius compoſiti, perſona non dicitur: v.g. anima rationalis etiam ſeparata, non dicitur perſona, quia pars eſt dumtaxat hominis, non totus homo. Cùm ergo natura humana, quam Verbum divinum in unitatem ſuppoſiti ſibi aſſumpſit, pars ſit dumtaxat compoſiti, nempè Chriſti, non verò totum aliquod, nec ſui juris, ſed juris alieni, ſcilicet Verbi, conſequenter ſuam propriam non retinet perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam. Unde S. Thomas in 3. diſt. 6. q. 1. art. 2. ad 5. *Ex hoc*, inquit, *quòd compoſitum ex corpore & anima rationali non adjungitur alteri ſubſiſtenti in natura compoſita, ſequitur quòd conjunctum ſit homo: unde ſi Chriſtus humanam naturam quam aſſumpſit deponeret, ex hoc ipſo eſſet homo illud conjunctum ex duabus ſubſtantiis.* To. 9. p. 77. col. 1. A.

Neque dicas inde consequens fore, quòd Verbum in Christo vera non esset persona, quia pars est Christi, non totus Christus, qui duplici constat natura; divina scilicet & humana.

Namque falsò supponitur Verbum esse partem, non totum: Verbum enim est vera persona; ergo non est pars, sed totum. Christus compositum quoddam dici potest ex duabus naturis, divina & humana, quæ unum habent Verbi suppositum: Christus enim quid est? nisi Verbum Dei caro factum; ergo Verbum non est pars, sed totum quod duplicem in Christo habet & conjungit naturam.

Ad tertiam, mera est æquivocatio nominis. Quippè si *per se subsistere*, idem tibi sit, ac alteri non inhærere per modum accidentis, concedimus hoc sensu naturam humanam in Christo per se subsistentem esse: si verò *per se subsistere* significet naturam completam ultimò terminatam, quæ totum quoddam est, quod personam appellamus, hoc sensu natura humana in Christo per se non subsistit, sed subsistentia aliena, nempè Verbi divini; nec totum quoddam est, sed pars totius compositi.

Instabis 1. Esse aliquod totum completum ac sui juris, haud dubiè perfectio quædam est: porrò, supposita Verbi Incarnatione, natura humana Christi hac perfectione careret; ergo integra & perfecta non esset, & consequenter Christus verus ac perfectus homo non esset, quod certè pugnat cum doctrina Catholica.

Resp. dist. ant. Esse aliquod totum completum ac sui juris perfectio quædam est, quæ per subsistentiam seu Verbi personam abundè & modo longè nobiliori suppleri potest, ac revera suppletur, concedo: quæ non suppletur, nego. At jam non semel observavimus, per subsistentiam seu personam Verbi assumptæ humanitatis personalitatem longè nobiliori modo suppleri ac perfici, quandoquidem per illam cum Verbo hypostaticam unionem, natura humana ad dignitatem divinæ naturæ personaliter evehitur ac sublimatur, per quam homo Deus fit, atque humana natura personaliter venit in societatem & communionem omnium divinarum perfectionum. Natura igitur humana in Christo perfecta quidem est, ac integra integritate naturæ, licèt non integritate personæ humanæ, utpotè quæ pars sit totius compositi, nempè Christi; non verò totum aliquod completum complemento suæ propriæ subsistentiæ, nec idcircò imperfecta dici potest, imò longè perfectior.

Instabis 2. Cùm natura humana in Christo perfecta sit, quare non est aliquod totum completum, sicut Verbum ipsum?

Resp. discriminis causam & rationem apertam esse, quia nimirum Verbum Deus est, qui suam perfectionem seu subsistentiam humanitati, non suam humanitas Verbo communicat. Quapropter divina & humana natura, ex quarum unione coalescit Christus, partes Christi aliquatenus dici possunt, Verbum autem totum est completum, utramque naturam nexu intimo ac personali in Christo conjungens.

Instabis 3. Supposita unione personali naturæ humanæ cum Verbo, eo ipso natura humana omnes Verbi proprietates participaret, immensitatem, infinitatem, omnipotentiam &c. adeoque natura humana immensa dici posset, infinita, omnipotens: atqui istud falsum & absurdum est.

Resp.

Resp. dist. ant. omnes proprietates Verbi participaret, in concreto, ut ajunt, & ratione unius & ejusdem suppositi, concedo: in abstracto, nego. Remanent etenim in Christo impermixtæ ac inconfusæ naturæ utriusque proprietates, quæ de se invicem in abstracto prædicari non possunt: unde dici non potest, quòd divinitas sit humanitas, aut humanitas sit immensa, infinita, omnipotens; tametsi in concreto & ratione unius & ejusdem suppositi Christi, meritò dicatur, Deus est homo, homo est Deus; Deus est mortalis, homo est immortalis, immensus, infinitus &c. Sed de hoc argumento plura inferiùs suo loco, ubi de communicatione idiomatum.

Instabis 4. Verbum hominem assumpsisse dicitur: sed homo persona est; ergo &c.

Resp. dist. maj. dicitur assumpsisse hominem, id est humanitatem, concretum pro abstracto usurpando, concedo: id est humanitatem in se ac per se subsistentem, seu hominis personam, nego.

Objicies 2. Non magis potest humana Christi natura subsistere subsistentia aliena, quàm existere existentia aliena, aut intelligere intellectione aliena.

Resp. nego paritatem. I. Cùm existentia sit illud per quod res simpliciter est extra nihil, intelligi non potest quomodo res aliqua sit extra nihil, seu existat existentia aliena: at subsistentia propria, forma non est per quam simpliciter ac necessariò natura singularis fiat persona, seu natura ultimò terminata & completa. Quare? quia propria illa subsistentia carere potest natura, quando in unitatem suppositi divini assumitur, à quo suppletur & modo excellentiori perficitur, ut fit in præsenti Mysterio.

II. Intellectio est actio vitalis, quæ necessariò profluere debet à principio proprio & interno vitaliter agente, unde fieri non potest ut quis intelligat aliena intellectione: at subsistentia nihil vitale sonat, sed merus est naturæ terminus ac complementum quod potest suppleri.

Objectiones ex parte unionis.

Objicies 1. Repugnat Incarnatio ex parte unionis naturæ utriusque, quia proportio quædam esse debet inter extrema quæ uniuntur: atqui nulla est proportio inter divinam & humanam naturam, quæ tanto à se invicem distant intervallo; quæ enim esse potest finiti ad infinitum proportio? Ex illa extremorum improportione, nusquam accidens cum substantia uniri potest ad totum aliquod per se seu substantiale efficiendum.

Resp. nego ant. Ad probationem dist. maj. Debet esse quædam proportio inter extrema quæ unienda sunt, in ratione unionis & habitudinis, ut vulgò dicunt, concedo: in ratione entitatis, nego. Aliàs nec anima unquam posset cum corpore uniri, nulla enim proportio est inter spiritum & materiam; nec mens humana Deum intuitivè videre. Est tamen inter ea proportio quędam habitudinis & in ratione unionis, quia anima pars est hominis, & ad illum componendum tota inclinatur: mens pariter humana quamdam habet cum Deo intuitivè videndo inchoatam proportionem habitudinis, qualis occurrit inter facultatem cognoscitivam, & objectum quod cognosci potest; quæ tamen facultas ac proportio superiori lumine corroborari ac elevari

vari debet, ut in objectum supernaturale tendere possit. Porrò etsi nulla sit quoad entitatem proportio inter finitum & infinitum, immensum ac loco circumscriptum, est tamen proportio quoad unionem, quia est in Verbo virtus infinita qua potest terminare ac ultimò complere naturam humanam in ratione personæ.

Nec accidentis exemplum hìc urget: nulla quippè ne quidem inchoata & habitudinis proportio est inter accidens & substantiam, ad aliquod totum substantiale ac per se efficiendum, quia totum per se constat ex ente per se subsistente, totum verò accidentale inhærens est, nec per se subsistit.

Objicies 2. Ex unione utriusque naturæ in Christo multa sequuntur absurda & incommoda.

I. Sequitur unum & idem suppositum simul immensum esse & non immensum, mortale & immortale, finitum & infinitum, Deus & homo. Neque dicas id fieri posse ubi suppositum idem duplici constat natura distincta; est enim mera principii petitio.

II. Ex illa unione sequitur proprietatum utriusque naturæ reciproca communio & prædicatio, & ita verè dici posset, divinitas nascitur, patitur, moritur; humanitas æterna est, impassibilis &c. Neque reponi potest, ea omnia non in naturam ipsam cadere, sed in personam, seu suppositum, quia actiones & passiones, ut vulgò dicitur, sunt suppositorum: namque Verbi suppositum, divinum est. Ergo nec in tempore nasci, nec pati, nec mori verè dici potest.

III. Natura humana quæ Verbi subsistentia seu personalitate subsistit, ubique esse deberet, sicut ubique Verbum est: atqui tamen falsa est ista consecutio; ergo &c.

Resp. nego antecedens.

Ad primum: Non repugnat de uno & eodem supposito quod ex duplici natura coalescit, diversa & contraria prædicata enuntiari, pro diverso ad alterutram naturam respectu. Nonne de eodem homine dicimus, eum ratiocinari & non ratiocinari, spiritualem esse ac corporeum, mori & non mori? nempè propter diversas animæ & corporis affectiones, seu proprietates. Ita, servata proportione, de uno & eodem supposito Christo, propter diversas, quibus constat, naturas, diversa & contraria enuntiamus. Neque hìc vitium petitionis principii meritò potest nobis objici: qui enim conclusionem propugnat & probat, is non laborat vitio petitionis principii, sed potius ille qui eam oppugnat, eamque ipsam in objectionem convertit & opponit.

Ad secundum: Ex mox dictis, & fusiùs infrà suo loco dicendis, illa reciproca proprietatum utriusque naturæ communicatio, in abstracto non fit, sed in concreto, ratione unius & ejusdem suppositi.

Ad tertium: Namque ex dictis paulò antè, cùm natura humana ubique seu in omni loco non terminetur à subsistentia Verbi, sed in certo quodam ac determinato spatio, ubique diffusa non est. E contra, cùm Verbi subsistentia ubique sit, ac divinitatem ubique terminet, ubique quoque Verbum per immensitatem suam diffunditur: ubicunque ergo est humanitas Christi, ibi Verbum est; sed ubicunque est Verbum, non ibi est humanitas.

Obji-

Objicies 3. Non magis ex unione utriusque naturæ in Christo, Christus dici potest mortalis, finitus &c. quàm peccator.

Resp. nego paritatem. Disparitas est, quòd peccatum non sit naturalis hominis proprietas, sed defectus moralis; Christus autem assumpsit quidem defectus nostros naturales, qui ad opus redemptionis nostræ consummandum erant necessarii, quales profectò non fuere defectus morales, quos omnes à Christo excludit tanquam impossibiles substantialis ejus sanctitas. *In ipso enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Coloss. 2. 9.

ARTICULUS II.

An Deo & homini congrua & conveniens fuerit Incarnatio.

Conveniens hìc appellamus, quod decens est, atque naturali alicujus inclinationi consentaneum.

Quæritur ergo, an Incarnatio conveniens fuerit 1. Deo ipsi. 2. Homini & toti Universo. 3. An convenientius fuit incarnari Verbum, quàm Patrem aut Spiritum sanctum. 4. An convenienter dilata fuerit Incarnatio ad plenitudinem temporis.

PRIMA CONCLUSIO.

Incarnatio Deo est maximè conveniens.

Probatur 1. Quia bono infinito maximè convenit ut seipsum diffundat ac communicet modo præstantissimo: atqui nullus excogitari potest ipsa Incarnatione præstantior.

Probatur 2. Illud eò maximè conveniens ac consentaneum est, in quo tanto fulgore resplendent divinæ omnes perfectiones, imprimis, omnipotentia, sapientia, bonitas, justitia, misericordia: unde meritò S. Augustinus, *Cùm enim Deus sit omnipotens, plus dare non potuit: cùm sit sapientissimus, plus dare nescivit: cùm sit ditissimus, plus dare non habuit*. Fæcundissimi sunt ac maximè disserti SS. Ecclesiæ Doctores in enumerandis ac extollendis, quæ in Mysterio Verbi incarnati resplendent ac sese magnificè explicant, divinis perfectionibus, maximè omnipotentia, sapientia, bonitate, clementia, misericordia, justitia.

I. Quantus hìc divinæ virtutis ac potentiæ splendor undequaque erumpit! Opus Dei per excellentiam appellatur nostrum Mysterium, Habac. 3. v. 2. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud*. B. Virgo Lucæ 1. v. 49. *Fecit*, ait, *mihi magna qui potens est*. Duas hìc naturas tam extremas ac distantes intimè Deus conjungit, sine ulla tamen confusione ac permixtione, servatis unicuique suis affectionibus ac proprietatibus; *ut nec inferiorem consumat glorificatio*, ait S. Leo Serm. 1. de Nativ. cap. 2. *nec superiorem minuat assumptio. Tota est enim in majestate humilitas, tota in humilitate majestas; nec infert unitas confusionem, nec dirimit proprietas unitatem*, ait idem S. Pontifex Serm. 3. de Passione. Quantum divinæ virtutis prodigium est, quàm stupendum, singulare ac inauditum, hominem Deum

To. 1. p. 143.

Ibid. p. 248.

Deum

To.5.p. 881. Deum ex Virgine matre nasci, illæso virginitatis flore! Ita S. Augustinus Sermone olim 56. de diversis, nunc 184. de tempore.

Annon & illud maximè stupendum, demissam ad vilem conditionem hominis supremi numinis majestatem fuisse? Ut enim discurrit S. Gregorius Nyssenus Orat. Catech. c. 24. naturam omnipotentem ad humanæ naturæ vilitatem potuisse descendere, majus est potentiæ argumentum, quàm ingentia quælibet ac stupenda miracula. Etenim magnum aliquod & excelsum elaborare divinam potentiam, naturæ quodammodo consentaneum est ac proprium: at verò delapsus ille ad id quod abjectum est & humile, abundantia quædam est potentiæ, quæ nec in illis quidem quæ sunt præter naturam impediri potest.

II. Tam mirificè divina sapientia elucet in nostro Incarnationis Mysterio, ut cum Apostolo 1. Cor. 1. v. 25. meritò dici possit, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*. Elucet verò maximè 1. quòd adinventus sit modus ille planè divinus conciliandæ justitiæ divinæ cum ejus misericordia, salvis juribus utriusque. Scilicet læsa per peccatum hominis divina majestas, vindictam exigit; misericordia veniam: non potest homo reus ex suo debitam pro illata offensa satisfactionem persolvere; Deus aliunde satisfactionis exhibendæ prorsus incapax est, sicut & humiliationis ac demissionis: conclamata igitur ac planè desperata fuisset salus hominis, nisi Verbum caro factum esset. Hac ratione & Christus homo punitur ac satisfacit propter scelera nostra quæ in se suscepit; & Christus Deus satisfactioni pretium infiniti valoris ac meriti impertitur. Hinc simul & divinæ justitiæ satisfit, exigendo pœnas à Christo; & misericordiæ, peccata hominibus remittendo. Ita feliciter adimpletum quod prædixerat David Psalm. 84. v. 11. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*. Ita factum est, ait Ivo Carnot. Serm. 6. Quare Deus natus & passus sit, *ut Deus nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia justus est; nec insanabile, quia misericors est*. 2. Summum profectò divinæ sapientiæ opus in eo est, quòd ipso peccato, quo dæmon usus fuerat ut hominem perderet, Deus ipse usus fuerit tanquam occasione, ut eundem salvum faceret, ipsiusque dæmonis spem omnem eluderet, &, ut canit Ecclesia, *ars ut artem falleret, & medelam ferret inde, hostis unde læserat*. Quapropter culpam hanc felicem appellat Ecclesia, quæ talem ac tantum habere meruit Redemptorem. 3. Cùm Deus perfectissimus sit, nec quidquam ipsi possit accrescere unde perfectior evadat, miro tamen sapientiæ divinæ arcano, homo Deus gratia & sapientia, sicut ætate proficere dicitur Lucæ 2. v. 52. 4. denique, per Incarnationem Deus sapienter rationem adinvenit tùm amplificandæ suæ gloriæ ipsa proprii Filii demissione: tùm temperandi naturæ suæ splendoris, quem ferre homines non potuissent, nisi velo humanitatis obductus fuisset; tùm denique morte sua dæmonis debellandi. Congruebat enim, ait S. Leo Serm. 1. de Nativit. *ut inventor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vinceretur*.

III. Bonitas & misericordia Dei in isto Mysterio imprimis emicant. *Apparuit*, inquit Apostolus ad Titum 3. v. 4. *benignitas & humanitas Salvatoris nostri*. Et Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Et verò si, ut ait Christus Joan. 15. v. 13. *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, quanta est Dei beni-

benignitas atque clementia, ut etiam pro impiis & inimicis redimendis filium suum morti acerbissimæ tradiderit? Unde meritò S. Leo Serm.4. de Nativit. ait: *Diversis modis, multisque mensuris humano generi bonitas divina consuluit.... Sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit.*

IV. Justitia Dei in Mysterio Incarnationis jura sua rigorosè vendicat, quæ tam severas de Christo pœnas repetiit in ultionem nostrorum peccatorum pro quibus vadem se constituit. *Verè languores nostros ipse tulit*, ait Isaias c.53. v.4. *& dolores nostros ipse portavit.... Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Et Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Miro igitur modo divinæ perfectiones, omnipotentia, sapientia, bonitas, misericordia & justitia in Mysterio incarnati Verbi emicant ac splendescunt.

Dices: In Incarnatione omnes ferè divinitatis perfectiones obscurantur & obvelantur: quod enumeratione facta comprobari facilè posset.

Resp. cum Apostolo 1. Cor. 1. v.25. *Quod stultum est Dei*, id est, quod nobis mortalibus stultum, abjectum ac Deo indecens videtur, *sapientius esse hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius esse hominibus*. Si externa Christi abjectione ac demissione offenditur humana ratio, quantum gloriæ splendorem in eo deprehendit fides! Concipitur quidem in carne, sed de Spiritu sancto, sed ex Virgine. In humili & obscuro loco pannis involvitur; sed præcones habet Angelos clamantes, *Gloria in excelsis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; & à Regibus adoratur. Fugit in Ægyptum; sed idola ibi sua præsentia subvertit. Vivit pauper & abjectus; sed stupenda operatur, ac in monte coram Apostolis transfusa in corpus suum divinitatis gloria, se Deum esse manifestè comprobat. Baptisatur à Joanne; sed de Cęlo clamat Pater, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Esurit in deserto; sed ministros habet Angelos. Rapitur à militibus; sed eos priùs voce prostrat, & auriculam Malcho restituit. Ligari se permittit; sed penes ipsum est rogare Patrem, ut duodecim mittat in sui defensionem legiones Angelorum. Cruci affigitur; sed terra concutitur. Moritur; sed obscuratur sol, sepulchra aperiuntur, mortui reviviscunt. Sepelitur; sed propria virtute resurgit, in Cœlum ascendit, Spiritum sanctum ad suos mittit. Atque ita, ut se Deum simul & hominem probet, quasi alternis vicibus & divinitas humanitatem illustrat, & humanitas divinitatem obscurare videtur. Lege Epistolam 137. aliàs 3. S. Aug. ad Volusianum, in qua præcipuè dissolvit momenta quæ adversùs Incarnationem sibi proposita fuerant. Ante ipsum Tertullianus Marcioni qui Deo indignum esse causabatur nasci, mori &c. dicebat Lib.2. c.27. *Hæc indigna Deo tibi videntur, nobis autem necessaria; & ita jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis.*

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

Incarnatio maximè conveniens fuit homini, totique Universo.

Probatur ex innumeris beneficiis quę ex Verbo incarnato ad nos defluxerunt, quæ negare nemo potest, nisi cæcus vel ingratus fuerit. Inde quippè

I. Gratia sanctificans per quam filii Dei sumus, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, Rom. 8. v. 17. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur:* peccatorum remissio, æternæ gloriæ adeptio &c.

II. Doctrina cœlestis, quam Unigenitus, qui est in sinu Patris, nobis enarravit.

III. Liberatio à servitute dæmonis, qui adveniente Christo foras ejectus est.

IV. Virtutum omnium exemplum, maximè humilitatis, quam in remedium innatæ nobis superbiæ Christus tam sedulò in toto suæ mortalis vitæ decursu coluit & observavit. *Propter hoc vitium superbiæ*, ait S. Augustinus in Psalm. 18. Enarratione 2. n. 15. *propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit ..... Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. Quid superbis homo?* inquit idem sanctus Doctor Tract. 26. in Joan. n. 16. *Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum ..... Nam quæ superbia sanari potest*, ait rursum L. de agone Christiano cap. 11. n. 12. *si humilitate filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia filii Dei non sanatur?*

V. Naturæ nostræ exaltatio ac sublimatio, quæ ex intima sui cum Verbo conjunctione, ad tam sublime perfectionis ac dignitatis fastigium evecta est, *ut quò attollatur altiùs, non habeat*, ait S. Augustinus L. de prædest. SS. cap. 15.

VI. Ejusdem naturæ nostræ depravatæ ac perditæ reparatio per Christum, qui delevit chirographum mortalitatis nostræ. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, ait Apostolus Rom. 3. v. 24. & 25. *per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.*

VII. Facilis & apertus ad Deum accessus per Christum. 1. Joan. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et Rom. 8. v. 54. *Jesus Christus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Carnem nostræ similem, iisdemque humanæ vitæ miseriis obnoxiam Verbum assumere voluit, ut hac infirmæ carnis similitudine, majori spe ac confidentia ad Christum accederemus: *Non enim*, ait Apostolus Hebr. 4. v. 15. *habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.*

VIII. Denique, bonorum ac malorum temporalium despicientiam nobis exemplo suo Christus commendavit. *Nolite*, ajebat S. Augustinus L. de agone Christiano cap. 11. n. 12. *amare temporalia; quia si benè amarentur, ama-*

amaret ea homo quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias, cruces & mortem; quia si nocerent homini, non ea pateretur homo quem suscepit Filius Dei. Omnia ergo terrena bona contempsit homo factus Dominus Christus, inquit idem sanctus Doctor L. de Catechis. rudibus cap. 22. num. 40. *ut contemnenda monstraret; & omnia terrena sustinuit mala, quæ sustinenda præcipiebat, ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur.*

Quantùm pariter toti Universo decoris ac ornamenti attulerit Incarnatio, probat Apostolus Ephes. 1. v. 10. ubi ait omnia per Christum instaurata fuisse, *quæ in cælo, & quæ in terra sunt*. Et Joan. c. 3. v. 16. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum daret.*

TERTIA CONCLUSIO.

Congruum magis ac consentaneum fuit Verbum incarnari, quàm Patrem aut Spiritum sanctum.

Plures hujusce rei causas ac rationes afferunt SS. Patres.

Prima est, ne appellatio filii ad aliam transiret personam; & quędam in SS. Trinitatem redundaret indecora confusio, si duo filii dicti fuissent, unus æternus & increatus, alter temporalis in tempore productus. *Non Pater*, inquit Gennadius de dogmat. Eccles. cap. 2. *carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed filius tantùm: ut qui erat in divinitate Dei filius, ipse fieret in homine hominis filius; ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate filius.*

Secunda: Cùm per Verbum omnia facta sint, atque ipsi per quamdam appropriationem rerum creatio tribuatur, consentaneum fuit hominem per Verbum reformari ac reparari, à quo conditus fuerat. *In hac ineffabili unitate Trinitatis*, ait S. Leo Serm. 12. de Passione Domini, *cujus in omnibus communia sunt opera.... reparationem humani generis propriè filii persona suscepit; ut quoniam ipse est per quem omnia facta sunt, quique plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animavit, idem naturam nostram ab æternitatis arce dejectam, amissæ restitueret dignitati, & cujus erat conditor, esset etiam reformator.* In hunc finem laudant SS. Patres istud Apostoli Hebr. 2. v. 10. *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.*

Tertia ratio hæc est: Verbum est Dei sapientia, ratio subsistens ac personalis; congruum ergo ac consentaneum fuit hominem, qui sapientia Dei formatus fuerat, ac in tantam subinde dementiam lapsus est, ut similis factus sit *jumentis insipientibus*, suæ primævæ rationi ac sapientię per Verbum Dei restitui.

Quarta: Homo ad imaginem Dei factus est, quam peccato miserè deformavit: consentaneum igitur fuit priora illa imaginis deformatæ lineamenta reparari ab eo qui natura sua est imago Dei invisibilis, ac character substantiæ ejus.

Quinta denique ratio Patri divino propria & singularis, ista est, quia Incarnatio missio quædam est filii. Galat. 4. v. 4. *Ubi venit plenitudo temporis,*

ris, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. At Pater à nullo mitti potest, cùm nullum sui habeat principium, originem nullam.

QUARTA CONCLUSIO.

Convenienter omninò Mysterium Incarnationis in plenitudine temporis fuit adimpletum.

Multas hujusce dilatæ Incarnationis ad temporum plenitudinem rationes proferunt Ecclesiæ Doctores, tùm ex parte Dei, tùm ex parte hominis.

I. Ex dignitate Messiæ. *Non enim,* ait S.Aug. Tract.31. in Joan. n.5. *parvum aliquid venturum fuit: diu fuerat prædicandus, semper tenendus. Quantò major Judex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat.* Tanti scilicet operis expectatio, longè magis tanti beneficii excellentiam commendare apud homines debuit, *ut nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ excessura erat mensuram, tantò constantiorem in nobis gigneret fidem, quantò prædicatio ejus antiquior & uberior precesserat,* ait S.Leo Serm.3. de Nativitate cap.4. spes quippè dilata, ardentiùs inflammat hominis desiderium.

II. Ex parte hominis multiplex proferri ratio potest.

Prima, ipsius inveterata malitia & corruptio. Decebat scilicet tunc cœlestem advenire medicum, cùm morbus ad summum devenit ac ferè desperatus erat. Ita S.Gregor.Nyss. Oratione de Nativitate Christi, & Theodoretus Serm.6. de Providentia Dei, ubi adversùs Gentiles ostendit consentaneum maximè fuisse Incarnationis Mysterium, ac Christum opportuno tempore venisse. *Quòd si fortè inquiritis,* ait, *cur non priùs olim hoc prestiterit opifex mundi; medicos etiam accusate, quòd acriora remedia in ultimum tempus differunt. Lenioribus siquidem priùs usi, potentiora ultimo loco adhibent.*

Secunda ratio est, quam affert S.Augustinus Epistola 102. aliàs 49. ad Deogratias qu.2. n.14. *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri:* non quidem propriis ac solis naturæ viribus, ut hinc immeritò arguebant Semipelagiani, sed ex auxilio gratiæ divinæ voluntates hominum ad credendum moventis & inclinantis. Ita S.Aug. L. de Prædest. S S. cap. 9. & L. 2. Retract. cap. 31.

Tertiam rationem reddit idem sanctus Doctor Lib.83. Quæst. qu.44. discernendo quasdam veluti generis humani ætates; pueritiam, quæ primis mundi exordiis convenit; & juventutem, quæ posteriora continet: vultque decuisse magis ut Christus Magister ac Doctor noster veniret tempore juventutis humani generis. Unde antiquitùs sub Lege tanquam sub Pædagogo custoditi sunt parvuli, sub Christo tanquam Magistro ac Doctore informati viri.

Varias illas humani generis ætates seu status varios enumerat idem sanctus Doctor in Expositione quarumdam propositionum in Epist. ad Roman. n.13. *Quatuor,* inquit, *gradus hominis distinguamus; ante Legem, sub Lege, sub gratia, in pace. Ante Legem, sequimur concupiscentiam carnis: sub Lege, trahimur ab ea: sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea: in pace, nulla est concupiscentia carnis. Ante Legem ergo non pugnamus; quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata: sub Lege pugnamus, sed vincimur; fatemur enim mala esse que facimus .... sed*

quia

quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo jaceamus: & dum surgere volumus & cadimus, gravius affligimur.

Quartam rationem alii proferunt: nimirum congruum fuisse, ut homo qui per superbiam lapsus fuerat, ac Deo similis esse voluerat, diu ærumnis ac miseriis sub dæmonis servitute prostratus, suæ propriè infirmitatis conscientia ac diuturna experientia eruditus, votis ardentioribus Liberatorem exoptaret, ejusque auxiliatricem manum humiliter imploraret. *Dei consilio factum est*, ait hic S. Thomas qu. 1. art. 5. *ut post hominis casum non illicò Dei Filius mitteretur. Reliquit enim Deus priùs hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturæ suæ cognosceret: ubi cùm deficeret, Legem accepit, qua data, invaluit morbus, non Legis, sed naturæ vitio, ut ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium.* Et Commet. in Epist. ad Galat. cap. 3. Lect. 7. *Lex data est*, inquit, *ad infirmitatem manifestandam. Homines enim* (in statu legis naturæ) *de duobus præsumebant. 1. quidem de scientia. 2. de potentia. Et ideò Deus reliquit homines absque doctrina Legis, tempore legis naturæ, in quo dum in errores inciderunt, convicta est eorum superbia de defectu scientiæ: sed adhuc restabat præsumptio de potentia. Dicebant enim, non deest qui impleat, sed deest qui jubeat..... Et ideò data est Lex que cognitionem peccati faceret; quæ tamen auxilium gratiæ non daret ad vitandum peccata, ut sic homo sub Lege constitutus, & vires suas experiretur, & infirmitatem suam recognosceret, inveniens se sine gratia peccatum vitare non posse, & sic avidiùs quæreret gratiam.* T. 18. p. 366. co. 2. C.

In idem recidit quod addunt alii, necesse fuisse hominem lapsum diutius terrore Legis tanquam servum exagitari: spe bonorum temporalium inescari; figuris & umbris Veteris Testamenti priùs pasci, quàm amore & charitate filius esset ac diceretur, & bonorum cœlestium spe & veritate pleniùs gauderet.

Aliam rationem addit S. Basilius Homil. in sanctam Christi generationem, nempe non priùs advenisse Christum, quia non priùs inventa fuit virgo digna quæ mater ipsius fieret, qualis fuit in plenitudine temporis beata Virgo Maria desponsata Joseph. To. 2. p. 598. B.

Hanc porrò temporum ac statuum hominis accommodatam distributionem SS. Doctores ab Apostolo mutuati sunt. Paulus enim de statu legis naturæ hæc habet Act. 14. v. 15. *In preteritis generationibus dimisit Deus omnes gentes ingredi vias suas*. Et Rom. 5. v. 13. *Usque ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non esset*. Ibid. cap. 3. v. 20. *Per Legem cognitio peccati*. Ibid. c. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi nisi per Legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces*. Ibid. v. 8. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam; sine Lege enim peccatum mortuum erat &c.*

Mortuum cùm hic Apostolus dicit peccatum, nec ante Legem imputatum, peccata intelligit, quibus lex positiva, non ea quibus lex naturalis violatur; ista enim vel ipsis aquis diluvii severè punita fuisse novimus.

QUÆSTIO TERTIA.

De existentia Incarnationis, seu utrum Incarnationis Mysterium adimpletum in Christo fuerit.

Judæos ac Gentiles æquè infensos peractæ Incarnationis hostes debellandos hic habemus: istis Incarnatio stultitia visa est, illis scandalum fuit. Non iisdem tamen ac paribus armis utrique debellandi: Judæi, prophetiarum quas admittunt, exitu seu eventu tam noto tamque omnibus probato: Gentiles verò iis omnibus generatim momentis quibus Christianæ Religionis veritas & evidentia suaderi ac demonstrari potest.

Tribus Articulis præsentem Quæstionem absolvemus.

Primus demonstrabit adversùs Judæos, Christum Messiam jamdiu advenisse, ac impleta esse de futuro ipsius adventu Prophetarum testimonia.

Secundus, Christum illum esse Messiam toties in veteri Testamento promissum ac delineatum.

Tertius, quibus argumentis adversùs Gentiles demonstrari possit veritas Incarnationis Verbi divini.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum contra Judæos demonstrari possit jamdiu advenisse Messiam.

Ex oraculis Prophetarum invictè demonstratur jamdiu effluxisse tempus in Scripturis definitum, quo futurus Messiæ adventus præsignatur; atque ex hac temporum computatione ita causæ suæ desperatæ timent recentiores Judæi, ut jam asseverent nullum in Scripturis certum esse tempus huic futuro Messiæ adventui apertè assignatum, sed Deum arcanum illud sibi reservasse: revelatum quidem futurum aliquando Messiæ Regnum, sed minimè revelatas hujusce adventus causas & circumstantias; quapropter sub gravissima imprecatione ac pœna anathematis prohibent, ne quis adventus Messiæ tempus ac periodos computare audeat. *Inflata*, inquiunt, *rumpantur ossa eorum qui periodos temporum computant*. Quàm longiùs isti à majoribus suis diffident, qui tam sedulò tantoque ardore tempus explorabant quo venturus Messias expectabatur! Itaque fit

In Thalmundo, codice Sanhedrim c. 11.

CONCLUSIO.

Invictè contra Judæos demonstratur, jamdiu advenisse promissum Messiam.

PRIMUM ARGUMENTUM,

Ex oraculo Jacobi Gen. 49.

Jacob Patriarcha, morti proximus, Gen. 49. v. 9. convocatis filiis, annuntians quæ ipsis novissimis temporibus eventura erant, Judam sic alloquitur:

tur: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum..... Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.*

Hoc vaticinio tunc venturus promittitur Messias, cùm sceptrum seu suprema potestas ex Juda defecerit: atqui jamdiu est ex quo illa defecit in Juda, imò in tota gente Judaica, cùm subversa per Titum Jerosolyma, Judæi extorres, dispersi, errabundi, dura ubique servitute sub alieno imperio, sine duce, sine templo, sine victimis, sine Sacerdote ac sacrificio premantur: quam eorum ruinam ac calamitatem prædixerat ipse Osee Propheta c. 3. v. 4. *Dies multos*, ait, *sedebunt filii Israel sine lege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.*

Circa istud Jacobi oraculum duplex occurrit difficultatis caput à nobis expendendum.

Primum adversùs Judæos: an scilicet illius sensus Messiam spectet, & in ipso sit reipsa impletus.

Alterum cum Christianis Orthodoxis: an & qua ratione Judæorum sceptrum dici possit ad Messiæ usque adventum perdurasse. Quidve nomine sceptri denotetur? An regia & monarchica, an suprema cujuscumque tandem illa sit, regiminis auctoritas? Quid per Judam? An sola hujus nominis Tribus, an gens tota Judaica intelligenda sit?

Primum difficultatis caput expenditur.

CONCLUSIO.

Vaticinium Jacobi Messiam designat, & in Christo reipsa fuit adimpletum.

Prima pars Conclusionis.

Probatur 1. ex verbis ipsis Jacobi vaticinantis. *Non auferetur* ... *donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*: vel, ut legitur in Hebræo textu, *usquequò veniat Siloh, & erit ei obedientia populorum*. Duo isti characteres, *qui mittendus est*, aut, *venturus est*; *qui erit expectatio gentium*, Messiæ adeò proprii sunt, ut nemini alteri adaptari possint. 1. In Messia *benedicendæ sunt omnes nationes terræ*. Gen. 18. v. 18. *Omnes gentes servient ei*, Psalm. 71. v. 11. *Ipsum gentes deprecabuntur*, Isaiæ 11. v. 10. *Fluent ad eum omnes populi*, Micheæ 4. v. 1. *Veniet desideratus cunctis gentibus*, Aggæi 2. v. 8. Psal. 2. v. 7. Messias seu Filius Dei sic inducitur loquens: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quæ quidem de Christo dicta esse patet Lucæ 1. v. 33. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.*

Jacobi oraculo Messias designatur.

2. Messias per excellentiam mittendus, aut venturus dicitur in Scripturis, quòd ardentiùs à Patriarchis & Prophetis exoptaretur. Exodi 4. v. 13. *Mitte quem missurus es*. Isaiæ 16. v. 1. *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.*

 Hinc

Hinc Discipuli Joannis Matt. 11. v. 3. à Christo solliciti sciscitantur. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Denique Hebr. 10. v. 37. *Adhuc modicum, qui venturus est veniet, & non tardabit.* Quæ verba ex secundo capite Prophetæ Abacuch deprompta sunt.

Varia significatio vocis *Siloh.* Et verò ex quacunque radice derivetur vox hebræa *Siloh*, hìc uni Messiæ designando tribuitur.

I. enim, si deducatur à verbo quod significat *mittere*, sicut interpretatur S. Joannes c. 9. v. 7. *Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur missus*; & sicut reddit Vulgata nostra, *donec veniat qui mittendus est*, appositè omninò Messiam designat, qui, ex mox probatis, mittendus aut venturus per excellentiam dicitur.

II. Si vox *Siloh* deducatur à verbo quod significat *pacificum esse*, ut vertit Textus Samaritanus, *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de vexillis ejus, donec veniat pacificus, & ad ipsum congregabuntur populi*: quàm aptè Messias denotatur! Ipsi siquidem à Prophetis pax & tranquillitas velut proprium insigne tribuitur. Psal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Isaiæ 9. v. 6. & 7. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* Et Micheæ 5. ubi Messias apertè describitur, v. 5. dicitur, *Et erit iste pax.* Pacificum istud est ac perenne Messiæ Regnum, de quo Daniel cap. 7. v. 14. *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; & Regnum ejus, quod non corrumpetur.*

III. Si vox *Siloh* reddatur cum septuaginta Interpretibus multisque ex SS. Patribus in hunc modum, *Donec veniant quæ reposita sunt ei*; aut, ut alii vertunt, *Donec veniat cui repositum est*; aut, *quod repositum est*; aut, *is cujus illud est*, (nempe Regnum) Messias disertè significatur, qui finis est & complementum earum omnium promissionum, quibus Deus futurum spopondit, ut in semine Abrahæ, Isaac & Jacob, omnes cognationes terræ benedicerentur, & Reges de lumbis Jacob egrederentur, sicut disertè exponit Eusebius L. 8. Demonst. Evang. cap. 1. Vel etiam Messias Christus repositus aut depositus dicitur, quòd nempe in promissis Dei, in Prophetarum vaticiniis, in umbris & figuris veteris Testamenti toties adumbratus, toties promissus, ac quasi depositus fuerit. In Syriaca quoque & Arabica interpretatione Messias designatur, & oraculum sic redditur: *Non deficiet sceptrum de Juda, & expositor de inter pedes ejus, donec veniat is cujus illud est* (nempe Regnum) *& ipsum expectabunt gentes.* Ita versio Syriaca; Arabica verò sic habet: *Non præteribit virga de Juda, & Legislator de sub imperio ejus, donec veniat is cujus ipse est, & ad quem congregabuntur populi.*

P. 366. & seq.

IV. denique, si vox *Siloh* deducatur à verbo quod significat *secundinam*, id est sacculum in quo involutus infans in utero materno includitur; ita ut sensus sit, ut vertit Rabbi Kimchi in Libro Radicum, *Donec veniat secundina*, id est, *filius in secundina contentus*, de Messia quoque oraculum appositè intelligitur, qui per secundinam designatur, ut innuatur, Messiam de matre absque patre nasciturum, juxta istud Isaiæ 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; quem textum immeritò Judæi detor-

detorquere conantur, dum legunt, *Ecce puella concipiet*. Namque rem stupendam ac prorsus singularem proponit Isaias: *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus vobis signum. Ecce virgo concipiet*. Nihil porrò stupendum, nihil singulare, si puella viro juncta concipiat, & pariat filium.

Non hic definimus quænam ex istis interpretatio ad primigenium textum magis accedat, magisque idonea videatur, quem nodum Criticis, hebraicè peritis solvendum relinquimus. Legatur Illustriss. Huetius Lib. Demonstrationis Evangelicæ Propositione 9. n. 11. pag. 414. & seq. Nobis ostendisse sufficiat, quacumque supposita interpretatione, Jacobi oraculum ad Messiam venturum referri.

Probatur 2. suffragiis veterum Judæorum, quos immeritò recentiores hac in parte deserunt. Nomine scilicet *Siloh*, Messiam denotari asserunt Chaldæi Paraphrastæ, nempe Thargum Onkelosi, Hierosolymitanum, & Jonathanis. Thargum Onkelosi sic habet: *Non auferetur habens principatum à domo Judæ, neque Scriba à filiis filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus est Regnum, & ei obedient populi*. Thalmud Babylonicum Tractatu Sanhedrin cap. 11. *Quodnam*, inquit, *nomen Messiæ? Siloh nomen ejus; quia dicitur, Donec veniat Siloh*. Superfluum foret plurimorum aliorum testimonia hìc proferre, quorum auctoritatem rejicerent Judæi recentiores.

Secunda pars Conclusionis.

Probatur 1. quia in eo completum fuit vaticinium Jacobi, cui aptissimè conveniunt omnes illius partes, & de quo prænuntiatas illas fuisse exitus ipse seu eventus comprobavit: atqui omnes vaticinii Jacobi partes Christo aptissimè conveniunt, & de ipso pronuntiatas fuisse exitus seu eventus comprobavit; ergo &c. Vaticinium Jacobi in Christo adimpletum.

I. Verba ista Jacobi, *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui*; verba, inquam, illa quæ historicè de Juda dicta sunt, prophetico spiritu Christum adumbrabant, & in ipso impleta fuere; tùm cùm laudatus est, & quotidie laudatur à Christianis, quos loco fratrum se habere Christus ipse declarat Matth. 12. v. 50. cùm ipsi datum est nomen quod est supra omne nomen; tùm cùm supremus adorationis cultus ipsi exhibitus fuit, juxta istud Psalm. 71. v. 11. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei*: quod revera in Christo impletum legimus, cùm à Magis seu Regibus etiam in cunis adoratus fuit; & quotidie fit, cùm *in nomine Jesu omne genu flectitur, cælestium, terrestrium & infernorum; & omnis lingua confitetur, quòd Dominus Jesus Christus sit in gloria Patris*. Tùm denique, quia cervices inimicorum vel cædit, vel sub jugum mittit, sicut de ipso dixerat David Psalm. 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo; Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; quod impletum in Christo fuit Joan. 12. v. 31. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Et Coloss. 2. v. 15. *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Prima probatio. Phil. 2. v. 10.

II. Verba ista Prophetiæ, *Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi*,

ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Verba, inquam, ista, quibus potentia Judæ comparatione leonis commendatur, aptissimè congruunt Christo, de quo dicitur Apocal. 5. v. 5. *Vicit leo de Tribu Juda.* Ista scilicet comparatione significatur & Christi Jesu summa potestas, & regium ejus genus. *Ascendit ad prædam* Christus, cùm ex orci faucibus a dæmonum tyrannide humanum genus eripuit. *Requiescens accubuit*, quando mortuus in sepulchro per dies tres corpus ejus repositum fuit; & *quasi leæna, quis suscitabit eum?* quasi diceret, Non alterius quàm sua & Patris potestate potuit ad vitam revocari. Id sibi volebat Christus, cùm Joan. 2. v. 19. dicebat: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud .... Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Unde Act. 2. v. 24. Petrus ait: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.*

III. Verba hæc: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ò fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores*; verba, inquam, illa metaphorica & figurata Christum adumbrant, & in ipso complementum habuere: tùm quia seipsum *vitem* appellat, Joan. 15. v. 1. tùm quia asina invectus, juxta Zachariæ vaticinium, Hierosolymam ingressus est: tùm quia in vino seu sanguine, cùm in ara crucis pendebat, totum corpus suum lavit: tùm denique, quia *speciosus fuit forma præ filiis hominum*, ut ait David Psalm. 44. v. 3. quod quidem non de oris venustate, sed de virtutibus ac donis animi intelligendum est.

IV. denique, ista verba, *Qui mittendus est, & erit expectatio gentium*, de Christo dicta esse, demonstrant quæ paulò antè laudata fuere Scripturæ testimonia.

Secunda probatio. Probatur 2. Quia eo ipso tempore impleri debet, ac revera impletum est, Christo adveniente, Jacobi vaticinium, quo constat Regnum seu Sceptrum de Juda sublatum, ad externum seu alienigenam à Romanis trasmissum fuisse, ac totam Judæorum gentem, non ampliùs sui juris, sed Romanis tributariam fuisse, vitæ ac necis seu gladii jus amisisse, ac nonnisi precariò facultatem ipsi derelictam suis vivendi legibus, atqui quo tempore Christus verus Messias mundo illuxit, Sceptum seu Regnum de Juda sublatum fuerat, & ad Herodem alienigenam à Romanis transmissum; gens tota Judaica sui juris ampliùs non erat, sed Romanis per Pompejum subacta tributa pendebat, nec jus gladii seu vitæ ac necis ampliùs retinuit: fatentur enim ipsimet Judæi, tempore Passionis Christi, sibi non licere quemquam interficere. Denique, nonnisi precariò facultatem obtinuit suis ritibus ac legibus Religionem suam exercere; ergo hoc ipso tempore venire debuit, ac reipsa venit Christus, & Jacobi vaticinium impletum est.

Major hujus argumenti propositio certissima est: certius etenim ac evidentius adventus Messiæ signum & argumentum, juxta vaticinium Jacobi, dari non potest, quàm defectio sceptri de Juda, & ad alienigenam transmissio. Etsi enim fatendum sit, non unico ictu nec statim totam collapsam esse Judæorum Rempublicam, sed quasi per gradus concussam ad plenam suam ruinam pervenisse, ita ut sub Pompejo primus quasi fuerit, Regni, libertatis ac Religionis violatæ gradus, quando, ait Euseb. L. 1. Hist. c. 6. *Hierosolymam armis* P. 19. C.

expu-

expugnavit, & ad intimum usque sacrarium progressus, Templum polluit; constituto à Romanis Rege Judæorum Herode alienigena: tùm in deterius adhuc versa est calamitas, & alter quasi gradus ad ruinam accessit, cùm Archelao Viennam relegato, Judæa in formulam Provinciæ redacta, Romanis tributum solvere coacta fuit: tùm denique consummata Judaici Regni ruina, ac plenum excidium fuit, cùm à Tito Urbs expugnata & solo æquata, Templum exustum, gens omnis dispersa errabunda vagatur. Etsi, inquam, intra istas labascentis & ad ruinam ultimam corruentis Judæorum Reipublicæ periodos, figi debeat Messiæ adventus; in ea tamen potissimùm figendus temporis circumstantia, qua constat sceptrum à Romanis de Juda ablatum Herodi externo seu alienigenæ jure fiduciario concessum fuisse; videtur enim hic proprius ac singularis character Prophetiæ Jacobi, *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat &c.* Sola itaque minor propositio demonstranda, nempe Herodem alienigenam fuisse, non Judæum.

Herodes alienigena.

Probatur unanimi ferè SS. Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum consensione, quorum testimonia ad tres quasi classes revocari possunt: alii enim affirmant Herodem Ascalonitam fuisse; alii Idumæum; alii simpliciter alienigenam seu externum vocant.

S. Justinus Dial. cum Tryphone Judæo, refert ex Judæis ipsis Herodem Ascalonitam fuisse, *Herodem*, inquit, *Ascalonitam fuisse dicitis.* P. 271. A.

Origenes Hom. 17. in Gen. *Constat*, inquit, *usque ad nativitatem Christi non defecisse Principes ex genere Judæ . . . usque ad Herodem Regem, qui secundùm Historiæ fidem quam Josephus scribit, alienigena fuisse, & per ambitionem in Regnum Judaicum dicitur irrepsisse.* To. 1. p. 33. E.

Eusebius Lib. 1. Hist. c. 6. ex Josepho & Julio Africano hæc habet: *Per idem tempus cùm Herodes primus ex alienigenis Judaicæ gentis Regnum obtineret, completa esse videbatur Mosis prædictio, quæ sic habet: Non deficiet Princeps ex Juda, &c. . . . Quippe sine effectu semper pendebat prædictio, quamdiu sub domesticis Principibus Judæis agere licebat; qui quidem à Mose initio ducto usque ad Augusti tempora permanserunt; cujus Principatu primus ex alienigenis Herodes Regnum Judeæ adeptus est, cùm, ut à Josepho quidem traditum est, paterno genero Idumæus, Arabs materno esset. Ut autem scribit Africanus, non ignobilis & ipse Scriptor, qui de illo accuratiùs scripserunt, Antipatri filium fuisse tradunt. Huic verò Herodem quemdam Ascalonitam, unum ex numero servorum Templi Apollinis, quod Ascalone est, patrem fuisse. Antipater cùm admodum puer à latronibus Idumæis captus fuisset, cum iisdem diutius vixit, eo quòd pater pro redemptione ipsius pretium solvere præ inopia non valeret. Moribus igitur institutisque eorum innutritus, tandem in notitiam Hyrcani Judæorum Sacerdotis amicitiamque pervenit. Hujus filius fuit Herodes is qui Servatoris nostri temporibus vixit. Itaque cùm Judæorum Regnum ad hunc Herodem devenisset, erat jam quodammodo pro foribus gentium expectatio, prout à Prophetis prædictum fuerat.* Deinde ostendit Eusebius, jam inde ab ipso Moyse non defecisse apud Judęos per continuam successionem, duces ac rectores qui Principatum obtinerent, usque ad Herodem alie- P. 18.

nigenam, qui à Senatu & Augusto Regnum accepit: quo adhuc regnante;
P.19.D. Christus verus Messias ac Servator noster tamdiu expectatus ac desideratus, mundo illuxit. *Ex quo tempore*, pergit Eusebius, *cùm Principes & Duces ex Juda, id est, ex Judæorum gente defecissent, successio summi Sacerdotii, quod per generis continuam seriem proximo cuique hactenùs constantissimè delatum fuerat, consequenter turbari cœpta est. Hujus rei locupletissimum testem habes Josephum, qui Herodem scribit, postquam Rex Judeæ à Romanis constitutus est, non amplius ex antiqua Pontificum stirpe summos Sacerdotes creavisse, sed ignobilibus & obscuris quibusdam hominibus honorem illum contulisse. Eadem in designandis Sacerdotibus observasse ait Archelaum Herodis filium, ac deinde Romanos, qui post illum Judeæ Imperium occuparunt. Idem ipse Josephus tradit primum omnium Herodem sacram Sacerdotis vestem sub privato sigillo tenuisse conclusam, nec deinceps Sacerdotibus permisisse ut illam penes se haberent: idemque ab Archelao ejus successore, & à Romanis postea factum fuisse*. Lege & caput septimum L. 1. Hist. Euseb. ubi verba ipsa Africani in Epistola ad Aristidem describit.

Hæc tametsi prolixiora, ex Eusebio referenda nobis erant, quibus mirè confirmantur quæ de vaticinio Jacobi, ejusque in Christo eventu ac complemento hactenus diximus, & dicturi deinde sumus.

Josephus equidem ab Africano in eo dissentit, quòd L. 14. Antiquit. c. 11. velit Herodis patrem virum nobilem ac pecuniosum fuisse, quem Africanus pauperem & ignobilem appellat: quamquam nec Josephus ipse sibi constare satis videtur, qui L. 14. Antiquit. c. 28. ait Herodem Antipatri filium plebejo & obscuro genere natum fuisse, quem tamen L. 1. de bello Judaico c. 5. nobilitate ac opibus gentis suæ Idumeæ Principem fuisse scribit. Verùm quæcumque tandem fuerit Herodis patria, quæ fortuna, certum est illum verè alienigenam fuisse, qui nec fuit è Tribu Juda, nec è tota gente Judaica ab Abrahamo per Isaac & Jacob propagata: fuerit ergo Ascalonita, hoc est Philistæus è genere Chanaan, aut Idumæus ex familia Esau fratris Jacob, (duo enim illi fratres duas gentes condidere) perinde est; ac semper istud firmum ac verum stat, illum alienigenam fuisse. Ita testantur

Antigonus è familia Assamonæorum, qui de Regno cum Herode contendit, apud Josephum L. 14. Antiq. c. 27. Herodem vocat *hominem privatum & Idumæum, hoc est Semijudæum*; quia nempe cùm genere Idumæus foret, Judaicæ tamen Religioni innutritus fuerat.

P. 374. Julius Africanus apud Eusebium loco jam citato L. 1. Hist. c. 6. Eusebius
To. 1. p. ipse L. 8. Demonst. Evang. Herodem *alienigenam* appellat.
1229. Biblior. S. Ambrosius L. 3. in Lucam n. 41. Africani Historiam describit.
PP. To. Hegesippus junior L. 1. Hist. c. 14. *alienigenam* fuisse affirmat.
5. p. 131. S. Epiphanius hæresi vigesima quæ est Herodianorum, ait & *Idumæum*
To. 1. p. illum dici posse, & *Ascalonitam*, quòd nempe ex avo Ascalonita oriun-
45. To. 3. p. dus in Idumæa natus fuerit.
1257. Sanctus Hyeronimus in caput tertium Osee, Herodem *alienigenam* ge-
To. 4. p. neratim appellat, ut & in cap. 22. S. Matth.
1. p. 104. Theodoretus q. 110. in Gen. eundem *alienigenam* statuit: Dial. autem
To 4. p. 22. B. primo, patre quidem Ascalonitam, matre verò Idumæum.

Sanctus

Sanctus Augustinus Lib. 12. contra Faustum c. 42. *Sunt*, inquit, *litteræ certissimæ Historiæ ipsorum quoque Judæorum, quibus ostenditur primum alienigenam Herodem Regem fuisse in gente Judæorum, quo tempore Christus natus est.* To. 8. p. 247. B.

Photius codice 238. *Herodis hujus*, inquit, *qui primus externorum Judæis imperavit, pater fuit Idumeus natione .... Cogitaverat verò fratri uxoris suæ filio filiæ Hircani, si quomodo posset Regnum tradere; diffidebat enim omnibus modis sibi externo id posse contingere.* P. 970. n. 1. P. 971. n. 40.

Denique, ut alios innumeros sileamus, Eutychius Patriarcha Alexandrinus qui nono floruit Ecclesiæ sæculo, in Annalibus quos arabica lingua scripsit, & latinè redditi sunt à D. Pocock Professore Oxoniensi ann. 1658. idem de Herode Ascalonita confirmat. Regnum igitur Judæorum in Herode alienigena primùm defecit; atque ex illo temporis punсto Judæorum res in deterius semper abiere, donec sexaginta ferè post annis sub Vespasiano & Tito ejus filio, ultimam cladem ac ruinam universa Judaica natio passa fuit, eversa & solo æquata Hierosolyma.

Ab ista communi sententia recedunt post Strabonem Josephus Scaliger in suis ad Eusebii Chronicon Animadversionibus, Casaubonus Exercitatione prima ad Apparatum Annalium Baronii, Torniellus ad annum mundi 4018. num. 6. & seq. Henricus Valesius Annotationibus in caput sextum Lib. 1. Hist. Eusebii, Huetius Demonst. Ev. Prop. 9. n. 4. qui omnes existimant Herodem non fuisse, nec dici posse alienigenam.

Momenta quibus innituntur, ista sunt.

Primum ex Josepho proponit Scaliger, quia licèt Herodes Idumæus fuerit, pro vero tamen Judæo haberi debet. Ex quo enim Idumæa à Joanne Hircano subacta est, annis ante Christum natum 90. Idumæi omnibus Judaicæ Religionis ritibus, etiam Circumcisioni, subjecti fuere, iisdemque cum Judæis privilegiis donati, velut eorum contribules habiti fuere; unde & communi vocabulo Judæi appellati sunt, teste Josepho Lib. 13. Orig. c. 17. Momenta quibus nonnulli probãt Herodem alienigenã non fuisse.

Verùm levioris momenti videtur momentum illud, ex quo hoc unum haberi potest; Herodem Judæum fuisse Religione, non sanguine, non genere: genus autem Herodis hìc quærimus, non Religionem. Illum Ascalonitam fuisse tradunt ex Veteribus nonnulli: potuit etiam Idumæus appellari, non quidem nativitate, sed habitatione, quia in Idumæa diu commoratus est. Sed estò genere Idumæus fuerit, an propterea verè ac propriè Judæus? non puto. Idumæi quippe non ex Jacob orti sunt, sed ex Esau, qui etsi fratres essent, attamen duarum diversarum Nationum auctores ac parentes extitere: unde David Idumæos alienigenas appellat Psal. 107. v. 10. *In Idumæam*, ait, *extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt.* Et verò verus Judæus tùm paterno, tùm materno genere talis esse debet: mater autem Herodis, nomine Cypros, Arabs erat, adeoque Gentilis. Confirmatur ex facto quod refertur in Misna Judæorum, hoc est in Collectione Juris civilis & canonici Judæorum, cap. 7. scilicet, cùm Rex Agrippa junior inter legendam publicè Scripturam, incidisset in istam legem Deuteronomii 17. v. 15. *Non poteris constituere super te virum extraneum, qui non sit frater tuus*; statim obortis lachrymis significavit Primũ momẽtum. Refellitur.

cavit hanc sibi conditionem deesse, qui patrem haberet magnum Agrippam ex Berenice filia Costobaris Idumæi: adeo Judæorum animis altius infixum istud hærebat, verum Judæum ex patre ac matre Judæa ortum esse debere.

Quod in confirmationem addit Casaubonus, alienigenas post acceptam Circumcisionem tam verè Judæos fuisse, quàm Gentiles & Pagani post acceptum Christi Baptismum veri sint Christiani, parum urget.

Dispar profectò ratio est; quia Judæi nascebantur, Christiani autem fiunt, non nascuntur; inter quos nulla habetur ratio diversæ originis. *Non est Judæus*, ait Apostolus Galat. 3. v. 26. *neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque fœmina. Omnes verò unum estis in Christo.*

Secundum momentum. Secundum momentum objicit Torniellus, nempe Herodem à multis inter Judæos pro Messia habitum fuisse, unde nata Herodianorum secta: verisimile porrò non est, tam absonam opinionem in eorum mentem devenire potuisse, si exploratum ipsis fuisset Herodem alienigenam esse, non verum Judæum, qualem futurum esse Messiam Prophetæ omnes prænuntiaverant; & ipsimet expectabant Judæi.

Præterea, inquit Torniellus, si Herodes fuisset Idumæus, nihil intentatum reliquisset ut Judæos ad gentis suæ ritum pertraheret, quod tamen nusquam tentavit: imò summo zelo ac studio Judæorum Religionem vendicavit, ut narrat ipsemet Josephus.

Refellitur. At momentum istud plùs momenti ac ponderis non habet. Observat S. Epiphanius hæresi 20. tam crassum errorem ab hominibus inertibus & simulatoribus, in gratiam Herodis adulationis animo confictum fuisse. An non extitere postmodum, qui Simonem magum, ac Dosithæum, utrumque Samaritanum, pro Christo habuerint? An non Josephus ipse Sacerdos è regia Assamonæorum familia oriundus, & eruditione insignis, Jacobi vaticinium per crassam adulationem ad Vespasianum detorsit? Hoc saltem unum contra Judæos ipsos hinc habemus, inolevisse circa tempus Herodis sententiam, tunc Messiam nasciturum esse, sicut reipsa natus est. Vide S. Epiphanium hæresi 20.

Neque mirum Torniello videri debuit, quòd Herodes, tametsi Idumæus, Judaicam Religionem tam studiosè coluerit, cùm & ipse circumcisus foret, & Religione Judæus: quamquam ut homo erat vaferrimus, unicè fortunæ suæ intentus, Judaicam Religionem coluit & observavit, quantùm rebus suis expedire intellexit; violatam enim ab ipso sæpius & conculcatam novimus ex Josepho.

Tertium momentum. Tertium momentum petitur ex auctoritate tùm Nicolai Damasceni, qui, Josepho teste Lib. 14. Antiq. cap. 2. declarat, *Herodem genus duxisse à primoribus Judæorum, qui in Judæam venerant è Babylonia*. Tùm ipsiusmet Josephi L. 20. Antiquit. cap. 6. ubi referens contentionem ortam Cæsareæ Syros inter & Judæos, ait: *Apud Cæsarem inter Judæos habitatores & Syros de pari jure civitatis rixa exorta est. Nam Judæi potiore conditione volebant esse, quod Urbis hujus conditor Herodes Rex fuerit Judæus genere: id Syri non inficiebantur quidem, sed aiebant Urbem Turrim Stratonis dictam à principio, quo tempore nullus Judæorum ibi habitaverat*. Eò loci Herodes Judæus genere appellatur, non refragantibus nec contradicentibus Syris. Et Lib. 15. cap. 14. idem Josephus concionem refert Herodis ad proceres Judæos, quos

quos viros contribules compellat. Denique L. 14. cap. 14. scribit Antipatrum Herodis patrem, cùm in Ægyptum ad Cæsarem venisset, facilè Judæos ibi commorantes sibi conciliasse, ac in Cæsaris partes nullo negotio adduxisse, *quòd nempe ex eadem gente esset.*

Facilis est ad tertium illud momentum responsio. Refellitur.

I. Audiri hìc non debet Nicolaus Damascenus, tametsi auctor coætaneus: fatetur enim ipsemet Josephus L. 14. Antiq. cap. 11. eum ex adulatione, ut filii Herodis gratiam sibi conciliaret, nobile ac illustre inter Judæos ex captivitate reduces ipsi genus affinxisse. Imò eò turpissimæ adulationis devenit, ut quæ in Herodis vita horrenda maximè sunt ac pudenda, vel dissimulaverit, vel etiam excusaverit.

II. Josephus factum narrat: an approbet, incertum. Judæi quidem, Syris non refragantibus, dixere Herodem genere Judæum esse, ut inde jus civitatis contra Syros sibi assererent; at quid inde? Hoc unum dixisse Judæos, proprio rerum suarum studio. Quamquam etsi Josephus Herodem genere Judæum appellasset, facile foret mentem illius ac sensum assequi: Judæum appellavit Herodem, quòd vel in Judæa natus fuisset & octavo die circumcisus, atque ita universæ Legis Mosaicæ debitor factus; vel saltem à primis adultæ ætatis annis Judæorum Religioni nomen dederit, ac proselytus factus Judæis aggregatus fuerit. Ita S. Paulus Act. 22. v. 3. ait se in Tarso Ciliciæ natum; & v. 28. se Romanum civem natum: non quòd reipsa in Tarso natus sit, & genere Romanus; natus quippe est in Oppido Judææ nomine Gischalis, ut docet S. Hieron. in Catalogo Script. Eccl. & Rom. 11. v. 1. de seipso Paulus ait, *Ego Israelita sum ex semine Abraham, de Tribu Benjamin*; sed idcirco se in Tarso natum ac civem Romanum dicit, quòd capto à Romanis Oppido Gischalis, simul cum parentibus suis infans Tarsum Ciliciæ commigraverit, adeoque quasi ibidem natus omnibus juribus ac privilegiis civis Romani huic civitati concessis gaudere debuerit. Inde mirum non est, quòd Herodes ipse, ut Judæos demereretur, viros contribules appellet, quandoquidem jam diu aggregatus illis fuisset ejusdem Religionis professione. Josephus itaque Herodem genere Judæum appellavit, latiori quodam & improprio sensu, non stricto ac proprio. Ut enim observat antiquus Grammaticus Ammonius, *Judæi & Idumæi differunt: Judæi quippe vocantur, qui tales ab initio procreati sunt; Idumæi verò origine non sunt Judæi, sed Phœnices ac Syri. Victi autem à Judæis &, ad circumcisionem compulsi, & eidem regno contributi eademque Sacra amplexi, Judæi quoque cognominati sunt.* Quod quidem diligenter observari debet, ut qua ratione Judæi dicantur, aut ab iis secernantur apud Veteres, clariùs innotescat.

Ultimum denique momentum ex Strabone petitur, qui L. 16. Geographiæ Herodem vocat *virum indigenam*; ergo non erat alienigena. Quartū momentū. Refellitur.

Resp. Herodes *indigena* fuit, hoc est, ex eadem Republica, cujus Rex erat, & iisdem regionibus, quibus imperabat, oriundus, concedo: hoc est, ex Jacob sanguine procreatus, nego. Cæterùm Strabo in origine Herodis referenda decipi potuit, sicut manifestè deceptus est, cùm scribit Herodem ad summum Pontificatum evectum fuisse: certum quippe est Herodem nusquam Pontificatum gessisse.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Quibus Judæi oraculum Jacobi aliò detorquere, ac eludere conantur.

Duo hìc generatim contendunt Judæi: primum, Jacobi vaticinium ad Messiam non pertinere: alterum, in Christo impletum illud non fuisse.

Objicies itaque 1. Vaticinium Jacobi referri debet ad Urbem Siloh sitam in Tribu Ephraim, in qua ductæ sunt sortes pro divisione terræ promissionis, Josue 18. in qua mansit Arca usque ad tempora Samuelis, 1. Regum 4. Ista verò Jacobi verba, *non auferetur sceptrum de Juda*, intelligi volunt de fortuna Tribus Judæ, quæ in melius commutanda est accessione sceptri, seu regni, quando deficiet Siloh: ita ut totius oraculi sensus iste sit, Dignitas Tribus Judæ ac præstantia in regium dominatum mutabitur, quando Urbs Siloh Arcæ sedes esse desinet; seu, ut alii dicunt, Cùm Siloh devastabitur, accedet sceptrum ad Tribum Juda: quod quidem impletum esse asserunt, cùm Arca à Philistæis reducta est; tunc enim deseruit Deus Siloh & Tribum Ephraim, Tribum verò Juda elegit, ut dicitur Ps. 77. v. 67. & 68. & Davidem Regem constituit.

Resp. absurdam per sese ac planè fictitiam esse interpretationem istam, quæ nec verbis Jacobi, nec historiæ veritati congruit. 1. Jacob sceptri finem prænuntiat, *Non deficiet sceptrum*; adducta verò expositio initium figit, *Non accedet sceptrum, donec &c.* quæ duo è diametro pugnant. 2. Jacob ait sceptrum auferendum non esse, usquequò venerit Siloh, quod apertè innuit antea nondum venisse Siloh: at expositio adducta vult tunc Judam sceptro potiturum, cùm desinet Siloh esse Arcæ sedes, quo significatur, jam venisse Siloh. Quomodo hæc cohærent? 3. Falsum est Davidem ad regnum accessisse, cùm Arca de Siloh sublata est: namque Saul Davidis decessor tunc nondum fuerat Rex constitutus. 4. denique, quomodo de Urbe dici potest, *Veniet, Erit expectatio gentium?* Neque etiam in Davidem cadere ista possunt, de quo ne minima quidem in laudato vaticinio mentio fit, quique nusquam à gentibus expectatus dicitur.

Objicies 2. Per Siloh Urbs hujus nominis intelligitur, non quidem ut ad Davidem, sed ad Saulem & Jeroboamum pertinet, qui ea in Urbe Reges uncti sunt; ita ut oraculi sensus iste sit, Non auferetur sceptrum de Juda, usquequò veniant Saul & Jeroboam in Siloh, ubi ungantur & consecrentur in Reges. In illis enim verè defecit sceptrum de Juda: Jeroboam enim Ephratæus erat, 3. Reg. 11. v. 26. Saul verò de Tribu Benjamin, 1. Reg. 9. v. 1.

Resp. hæc tam absurda esse, ut seriò refelli non mereantur. 1. Quia veritati Historiæ repugnant: tùm quia Arca in qua unctio servabatur, in Siloh non erat, quando unctus est Saul, sed in Cariathiarim in domo Abinadab, 1. Reg. 7. v. 1. & quando unctus est Jeroboam, Arca erat Hierosolymis, quò translata fuerat à Davide de domo Abinadab, 2. Reg. 6. Tùm quia nec Saul nec Jeroboam uncti sunt in Siloh, sed Saul in Ramatha, 1. Reg. 10. & Jeroboam in Urbem Sichem, 3. Reg. 12. 2. Quia nec in Saule, nec in Jeroboam defecit sceptrum de Juda: non in Saule, quia nondum ad Tribum

bum

bum Juda sceptrum devenerat, quod in Davide primùm incæpit; imò nondum erat regnum constitutum in certa aliqua Tribu: quomodo igitur defecisset, quod nondum incæperat? Quin potius regnante Saule, primò translatum regnum fuit ad Judam in Davide: in illo igitur non desiit, in quo primùm incæpit. Neque etiam defecit in Jeroboamo: etsi enim decem Tribubus à Regno Judæ distractis imperaverit, ac divisum Israelis Regnum tenuerit, stetit tamen semper incolume Judæ Regnum; & qui supra Judam regnabant præcipui habebantur, tùm quòd Reges instituerentur per unctionem quæ in Templo asservabatur; tùm quòd in regia Urbe Jerusalem sedem haberent. 3. denique, nec Sauli, nec Jeroboamo adaptari possunt verba ista, *Erit expectatio gentium.*

Objicies 3. Jacobi vaticinium intelligi meritò potest vel de Nabuchodonosore Rege Babylonis, qui mittendus dicitur tanquam Dei flagellum ad punienda peccata populi, ut dicitur Jeremiæ 25. v. 9. & Ezechielis 26. v. 7. quippe populum captivum abduxit, Urbem ac Templum evertit, 4. Reg. 25. vel de Cyro Rege Persarum, qui à Gentibus expectandus dicitur, id est à Judæis, quòd eos à servitute liberaturus esset, ac Templi ædificandi potestatem collaturus. Hinc Isaias cap. 45. vocat illum Christum, *Hæc dicit Dominus,* inquit, *Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus Gentes &c.*

Resp. negoant. Ac 1. ridiculè admodum Nabuchodonosori oraculum Jacobi aptatur, tùm quia ille nedum Gentium expectatio dici potest, sed execratio potius: tùm quia Jacob in ea benedictione faustum aliquid apprecatur, nempe Messiæ Liberatoris adventum; Nabuchodonosor verò gravissimo servitutis jugo Judæos oppressit: tùm denique, quia ipso etiam captivitatis tempore sceptri auctoritas penitus in Juda extincta non fuit; ex licentia quippe Regis, Judæi juxta leges suas vixerunt Babylone, Ducem ac Principem captivitatis habuerunt. Quin & Evilmerodach Nabuchodonosoris filius ac successor, regium titulum, decus & ornamenta Joachim Regi Juda concessit, 4. Reg. 25. v. 27. 2. Nec de Cyro potest intelligi vaticinium: omnes enim ejus partes suprà enumeratæ cadere in ipsum non possunt. Nonnulla quidem Isaias de Cyro, quem ab unctione Christum vocat, tanquam populi liberatore dixit; sed accommodari ipsi non possunt quæcumque ibidem de vero Messia prænuntiat Isaias: ista v. g. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra & germinet salvatorem. Tantùm in te est Deus,* *& non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator*: quæ certè omnia nemo sanus Cyro accommodaverit. Isai. 45. v. 8. Ib. v. 15.

Tres hactenùs adductæ oraculi Jacobi interpretationes eò tendunt, ut dictum oraculum ad alium, quàm ad Messiam detorqueant: quæ verò sequuntur, negant oraculum illud in Christo adimpletum fuisse.

Objicies 4. Per vocem *Schebet*, intelligi non debet cum Latino interprete, sceptrum, seu regia & suprema potestas, sed virga doloris & afflictionis, qua populus Judaicus premendus est, donec veniat Messias liberator: ita ut prophetiæ sensus iste sit, Non auferetur, seu non recedet virga doloris & afflictionis à populo Judaico, donec venerit Messias. Inde colligunt Judæi, nondum suum advenisse Messiam, qui à dura servitute qua premuntur ipsos liberet.

Resp.

Resp. nego ant. Tùm quia vox hebræa *Schebet*, virgam doloris & afflictionis nusquam significat, nisi adjunctum aliquid habeat, quo significatio ista figatur ac determinetur. Ita v. g. cùm Psal. 2. v. 9. dicitur, *Reges eos in virga ferrea*; & Isaiæ 10. v. 5. *Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est*; virga dolorem, afflictionem ac pœnam significat: in aliis verò locis ubi simpliciter & sine addito legitur, imperium denotat, cujus virga seu sceptrum symbolum est. Hoc sensu usurpatur Esther 4. v. 11. & c. 5. v. 2. Psal. 44. v. 7. & Gen. 49. v. 10. quo in posteriori loco tantùm abest ut significatio virgæ per aliquid determinetur ad significandam afflictionem, quinè contra verba ista sequentia, *Et dux de femore ejus*, regnum apertè indicant. Tùm quia veritati Historiæ adversatur hæc interpretatio: siquidem à Davide usque ad Sedeciam, per annos ferè 500. Tribus Juda florentissima fuit ac sceptrum obtinuit, Judæique mitissimis & æquissimis Regibus sæpè paruerunt: post Sedeciam verò ac reditum ex captivitate, Ducibus ex propria gente sua usque ad Herodem alienigenam subditi fuere. Falsò igitur supponit Objectio, Judæos duro & impotenti dominatu oppressos fuisse usque ad Messiam.

Objicies 5. Particula ista, *donec veniat*, in vaticinio Jacobi, sic reddi debet, *postquam venerit*; ita ut sensus sit, Postquam Messias venerit, seu post adventum Messiæ, sceptrum in Juda constans ac perpetuum erit, ab ipso nusquam auferendum.

Et verò, inquiunt, particulam *donec*, non semper finem ac cessationem rei de qua sermo est, denotare, sed aliquando illius continuationem, patet exemplis ex ipsa Scriptura deductis. Gen. 8. v. 7. de corvo quem ex Arca dimisit Noe, dicitur: *Non revertebatur donec siccarentur aquæ*: ubi particula *donec* non significat reversam esse corvum cùm exsiccatæ sunt aquæ, sed nequidem reversum post siccatas illas aquas. Pariter Numer. 20. v. 17. cùm Moses ab Idumæis peteret liberam per eorum regionem transeundi facultatem, *Gradiemur via publica*, inquit, *donec transeamus terminos tuos*: id est, *donec transierimus & prætergressi fuerimus*. Denique Matth. 1. v. 25. de Maria Virgine & Josepho dicitur, *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*: quibus verbis non significatur ad Mariam post partum accessisse Josephum, quæ semper virgo permansit, ante partum, in partu, & post partum. Pariter igitur particula *donec*, in vaticinio Jacobi, non significat tunc venturum Messiam, cùm sceptrum de Juda defecerit; sed nusquam discessurum à Juda sceptrum, postquam advenerit Messias. Mirum quantùm in ea interpretatione præsidii collocent Judæi recentiores, eaque jactantiùs glorientur.

Resp. interdum quidem in Scripturis particulam *donec*, rei continuationem denotare; at longè frequentiùs finem ac cessationem. Ita Gen. 26. v. 13. *Isaac ibat proficiens atque succrescens, donec magnus effectus est*: hoc est, desiit proficere ac crescere cùm magnus effectus est. Et Judicum 4. v. 24. Filii Israel *crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin Regem Chanaan, donec delerent eum*.

Porrò in vaticinio Jacobi Gen. 49. particula *donec* regni Judaici finem ac destructionem significari, vel eo maximè demonstratur, quòd, in mente veterum Judæorum, Jacob figit ac determinat tempus quo venturus

est Mes-

est Messias, cujus adventus proximè futuri signum dat, finem nempe seu cessationem regni Judæ. Atsemel admissa ista Judæorum interpretatione, nulla est temporis adventus Messiæ determinatio: ajunt enim non auferendum de Juda sceptrum, quando Messias advenerit; quæ particula *quando*, nullum huic adventui futuro tempus determinatum assignat, sed vagum & indefinitum. Accedit, veteribus Judæis tam exploratum fuisse, venturum Messiam cùm sceptrum de Juda defecerit, ut cùm in Herode illud defecisse intellexerunt, aliqui Herodem ipsum alienigenam, alii Joannem Baptistam, alii verò Vespasianum turpi & crassa adulatione Messiam esse arbitrati fuerint. Hinc Gentiles Historici, Svetonius in Vespasiano cap. 4. Tacitus L. 5. scribunt jam tum Oriente toto veterem ac constantem opinionem percrebuisse, esse in Fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur; adeo scilicet constans & pervulgata erat opinio, finem Judaici imperii signum esse imminentis adventus Messiæ. Denique tristi sexdecim sæculorum experientia sentiunt Judæi, se omni auctoritate ac Reipublicæ forma esse destitutos, &, ut ait Osee Propheta c. 3. v. 4. *sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim.*

Objicies 6. Nondum Judæi omni auctoritate ac Rege sunt destituti: ajunt enim Ducem quemdam è Tribu Juda oriundum in extremis Asiæ partibus, etiamnum Judaicum tenere imperium. Benjamin Tudelensis in sui itineris historia, Ducem illum Bagdadi sedem habere memorat.

Resp. putidum illud esse figmentum omni prorsus ratione destitutum: tùm quia omnis Tribus adeo confusæ sunt ac permixtæ, ut nullum remaneat inter eas distinctionis vestigium: tùm quia vel ipsomet Christi tempore, sub Herode magni Herodis filio, declaraverunt se vitæ ac necis nullam habere potestatem, *Nobis non licet*, inquiebat, *interficere quemquam.* Jo. 18. v. 31.
Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Ergo tunc nonnisi precario potestatem ib. 19.
ac licentiam obtinuerant Legem ac patrios suos ritus observare, aliqua retenta v. 15.
Reipublicæ forma. Tùm denique, quia verisimile non videtur, malle Judæos ubique terrarum dura premi servitute, quàm ad hunc suum Regem confugere, sub quo pacificè respirare possent, si certi essent existere Orbis plagam aliquam in qua Rex ille imperium Judæorum moderaretur. Verùm tam crassa & supina est illa fictio, ut necesse fuerit ad eam occultandam, confugere ad extremas & incognitas Orbis plagas nulli viatori hactenus perspectas. Figmentum illud explodit Origenes L. 4. de principiis c. 14.

Non eam hic commemoro nonnullorum sententiam, qui ajunt Jacobi vaticinium de futuro Messiæ adventu conditionatum fuisse, nempe venturum Messiam cùm sceptrum de Juda deficiet, nisi obstent gentis totius peccata, quæ hactenus obstitere: hanc, inquam, opinionem hic non refero, namque gratis omnino ficta videtur; nullum quippe extat in oraculo Jacobi conditionis adjectæ vestigium: quòd si ad arbitrium conditiones hujusmodi fingere liceat, nihil erit tam absolutum & firmum, quod facilè non evertatur.

Objicies 7. Si vaticinio Jacobi tam clarè ac disertè Messias designaretur, qui fieri potuit ut nec à Christo, nec ab Apostolis contra Judæos laudatum fuerit?

Resp. 1. non omnia Scripturæ veteris, quæ ad Christum pertinent testimo-

stimonia, aut à Christo, aut ab Apostolis laudata fuisse: satis erat Judæos remittere ad scrutandas Scripturas, *Scrutamini Scripturas*, dicebat illis Christus Joan. 5. v. 39. *illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. 2. Licèt vaticinio Jacobi disertè figatur tempus adventus Messiæ, non tamen æquè disertè ostenditur, Christum illum ipsum esse Messiam cujus adventum futurum esse prædixerat Jacob, quando sceptrum de Juda defecisset; quod tamen unum Judæis probandum erat, quibus fortasse rixandi locus circa litteralem oraculi Jacobi sensum datus fuisset, si ipsis in probationem Christi, oraculum illud fuisset propositum.

Objicies 8. Oraculum Jacobi de sceptro in Tribu Juda non defuturo donec veniat Messias, intelligi non debere, duo invictè ostendere videntur. 1. quia tardiùs incæpit sceptrum illud in Tribu Juda: ante Davidem enim nullus extitit in Juda Rex. 2. citiùs & longè ante Herodem sceptrum defecisse dici deberet, nempe in Sedecia, qui postremus Rex fuit in Babyloniam captivus à Nabuchodonosore ductus; ac consequenter cùm Jacobi vaticinio tunc venturus Messias promittatur, cùm sceptrum de Juda defecerit, debuisset Messias Christus statim post Sedeciam venire, in quo ultimo defecit sceptrum de Juda, & ita quingentis annis priusquam reipsa venerit; aut saltem sub Herode venire non debuisset, tum cùm Judæis suis legibus ac ritibus liberè vivere adhuc licebat, sed post annos sexaginta, quando nimirum expugnata & eversa Hierosolyma per Titum, nulla regiminis ac Reipublicæ inter Judæos forma amplius relicta fuit.

Resp. 1. in vaticinio Jacobi non de initio sceptri in Juda sermonem esse, sed de ejus fine ac cessatione: quapropter nihil ad propositum nostrum facit, quòd tardiùs sceptrum illud in Juda incæperit. 2. Quantùm verò ad tempus quo præcisè sceptrum illud in Juda defecisse dici debeat, an post Sedeciam, an in Herode; pendet hujus objectionis solutio ex alia quæstione mox expendenda, quid nempe per Judam in vaticinio Jacobi intelligendum sit, an sola hujus nominis Tribus, an universa Judaica natio: pariter quid per sceptrum, an sola regia & monarchica auctoritas, an suprema & independens, quæcumque illa sit, regiminis potestas.

Secundum difficultatis caput.

Quid per Judam intelligendum sit? An sola hujus nominis Tribus, an universa Judaica natio? Quid per sceptrum? An sola regia & monarchica auctoritas, an suprema & independens, quæcumque illa sit, regiminis potestas?

Duæ sunt potissimùm circa præsentem quæstionem sententiæ.

Prima eorum est, qui oraculum Jacobi ad unam referunt Tribum Juda, in qua sceptrum seu regiam auctoritatem permansisse ajunt usque ad Messiæ adventum. Ita Petavius Lib. 16. de Incarnatione cap. 6. n. 4. Illustr. Huetius Demonstr. Evangel. Prop. 9. n. 2. & alii non pauci.

Altera sententia eorum est, qui nomine Judæ, in laudato vaticinio, non solam hujus nominis Tribum, sed universam Judæorum gentem intelligi volunt; per sceptrum verò, non regiam modò & monarchicam, sed quamlibet supremam Reipublicæ administrandæ potestatem. Ita Pererius ad caput 49. Gen. Casaubonus Exercit. prima in Baronium, & alii quamplures.

Sua

Sua cuilibet opinioni ſtat probabilitas: ſuos unaquæque, ſalva fide, patronos habet ac defenſores: quæ noſtra ſit duplici Concluſione aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Nomine Judæ, in vaticinio Jacobi, non videtur intelligenda ſola hujus nominis Tribus; neque ſceptrum, ſeu regia & monarchica dignitas, in Tribu Juda reipſa perſeveravit uſque ad Meſſiæ adventum.

Probatur Concluſio eo ipſo argumento quod mox proponebat octava Objectio; nempè ſceptrum ſeu regiam auctoritatem in Tribu Juda & incæpiſſe feriùs, & citius ſeu longè ante Herodem defeciſſe, neque tamen tunc veniſſe Meſſiam: unde inferunt Judæi vaticinium, de quo agimus, ad Meſſiam non pertinere. Ut hoc ipſis argumentum contra Chriſtianos eripiamus, Concluſio noſtra demonſtranda eſt ex ſerie ipſa Hiſtoriæ Judæorum, qua conſtat ſceptrum in Juda incæpiſſe cùm David unctus eſt in Regem, in Sedecia verò finem habuiſſe.

Scilicet à morte Jacobi & edito vaticinio ad Davidem uſque interceſſerunt anni ferè triginta ſupra ſexcentos, Euſebius ferè integros mille numerat. Hoc autem toto intervallo temporis multi extitere Judaicæ gentis Duces & Principes, ſed non è Tribu Juda: Moyſes enim & Joſue, qui poſt exitum ex Ægypto, primi ad clavum Reipublicæ Judæorum ſederunt, tribules Judæ non fuerunt, ſed hic ex Tribu Ephraim, ille ex Tribu Levi. Inter Judices quorum ſequuta eſt dominatio, duo tantùm fuere ex Tribu Juda Othoniel & Abeſan; alii ex diverſis Tribubus indiſcriminatim aſſumpti. Poſt Judices ſumma poteſtas ad Reges delata fuit, quorum primus fuit Saul ex Tribu Benjamin, huic ſucceſſit David de Tribu Juda, quo regnante ſceptrum ad Tribum Juda primùm pervenit. Davidi ſucceſſit Salomon, & alii deinceps uſque ad Sedeciam. Permanſit itaque ſceptrum in Tribu Juda per annos fermè quadringentos ſeptuaginta quinque: poſt mortem enim Salomonis, Hebræum Imperium duas in partes ſciſſum fuit, quarum altera è Tribubus Juda, Benjamin & Levi conflata, Regnum Juda dicebatur, cui Roboamus Salomonis filius, ejuſque poſteri ad everſam uſque Jeruſalem à Nabuchodonoſore, præfuerunt; altera verò ex aliis decem Tribubus conſtans Regnum Iſrael appellabatur, cujus caput ac Princeps fuit Jeroboamus. Sedecias poſtremus Rex ex Tribu Juda, Babyloniam captivus cum cæteris Judæis ductus fuit: toto autem captivitatis Babylonicæ tempore, quod fuit ſeptuaginta annorum, nullus haud dubiè ſedit Rex de Juda; omnes enim ſub triſtiſſima ſervitute oppreſſi gemebant, & de Jeconia ſeu Joachin prædixerat Jeremias cap. 22. v. 30. *Scribe virum iſtum ſterilem; virum qui in diebus ſuis non proſperabitur. Nec enim erit de ſemine ejus vir qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultrà in Juda.*

Poſt captivitatem data Judæis à Cyro licentia redeundi in patriam ac Templi ædificandi, nullus propriè Rex imperavit: Zorobabel quippè etſi foret de Tribu Juda & Dux populi, ſummum tamen non habuit imperium, nec ſolus, nec diu Rempublicam adminiſtravit; ſtatim enim ab ædificato Templo mutata eſt Reipublicæ forma, & rerum ſumma penes Sacerdotes

fuit usque ad adventum Christi, per quingentos ferè annos, quæ potestas per Assamonæos, seu Machabæos eo in Ordine adeo firmata est, ut tandem Aristobulus Pontifex Maximus regimen illius Reipublicæ in formam Regni mutaverit, & capiti suo diadema imposuetit; atque penes Aristobuli posteros fuit sceptrum Judæorum usque ad Pompejum, qui umbram & nomen imperii, re adempta, ipsis reliquit, donec tandem ab Herode alienigena Regnum Assamonæis ereptum est & genus extinctum. Ex ista porrò Historiæ udæorum serie, constat sceptrum de Tribu Juda defecisse in Sedecia; id est quingentis, ut diximus, annis, priusquam Messias advenerit.

Argumentum istud sanè gravissimum, nostroque judicio decretorium, ut solvant adversæ sententiæ patroni, multa reponunt. Tres dumtaxat celebriores ac magis pervulgatas eorum solutiones referemus.

PRIMA SOLUTIO.

Variæ ad mox expositum argumentum referuntur ac refelluntur solutiones.

Prima solutio seu responsio contendit sceptrum in Sedecia non defecisse, nec à Tribu Juda omninò ereptum, sed in Zorobabele Tribus illius Principe soluta captivitate fuisse suscitatum, sicut observat S. Cyrillus Lib. 8. adversùs Julianum: deinde ad posteros Zorobabelis transmissum, in hac eadem Tribu ad Christum usque per Assamonæos perseverasse. Cujus quidem responsionis duplex vulgò profertur fundamentum: primum est, Machabæos etiam paterno genere ad Tribum Juda pertinuisse, quia Lib. 1. Machab. cap. 5. v. 63. de Assamonæis dicitur, *Viri Juda magnificati sunt in conspectu omnis Israel*. Ita Genebrardus in Chronico, Baronius in Apparatu, qui tamen subinde ab hac opinione recessit. Secundum fundamentum est, Assamonæos non quidem paterno, sed materno genere fuisse de Tribu Juda. Probant: tùm quia Tribus Juda & Levi solebant inter se connubii fœdere sociari, quod patet exemplo & Aaronis qui filiam duxit Aminadab, Exodi 6. v. 23. & Jojadæ Pontificis, qui in uxorem assumpsit filiam Jorami Regis, Paralipom. L. 2. cap. 22. v. 11. Tùm quia nisi Assamonæi aliquo legitimæ successionis jure ad Tribum Juda pertinuissent, tyrannicum fuisset ac per usurpationem eorum imperium, quod tamen vitium ipsis nunquam legimus imputatum.

Refellitur.

Resp. infirmum planè videri duplex hujus responsionis fundamentum.

I. Quia certissimum est Machabæos ad Tribum Juda non pertinuisse: tùm quia Mathatias eorum parens dicitur filius Joannis filii Simeonis, qui Sacerdos fuit ex filiis Jojarib, cujus sors prima exiit in descriptione stationum quas ordine obire tenebantur Aaronis familiæ, 1. Paralip. c. 24. v. 7. Et L. 1. Machab. c. 2. v. 54. Mathatias se Phinee oriundum narrat: fuit autem Phinees Eleazari filius, Aaronis nepos. Tùm quia Apostolus Hebr. 7. v. 13. disertè pronuntiat neminem ex Tribu Juda assumptum in Sacerdotem: tùm denique quia Jeremias cap. 22. v. 30. de Jechonia prædicit, *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus*

vir

vir qui sedeat super solium David , *& potestatem habeat ultrà in Juda*. Ergo post Jechoniam nullus ex Tribu Juda successionis & hæreditatis jure Judæorum occupavit imperium.

Quod refertur ex Lib. 1. Machab. cap. 5. in confirmationem hujusce primæ responsionis, non urget. Namque quando viri Juda dicuntur valdè magnificati, ii sunt intelligendi qui sequebantur Judam Machabæum, quippè idcircò viri Judæ vocantur. Quòd si textus Græcus consulatur, ruit omninò difficultas, sic enim habet: *Et vir Judas & fratres ejus glorificati sunt valdè in conspectu omnis Israel*. Idem legimus in versione Syriaca.

II. Non minùs falsa secunda probatio: tùm quia apud Hebræos nulla ratio habetur generis materni, apud quos receptissimum est istud effatum, *Matris familiam non esse familiam*; neque enim genealogia apud ipsos per lineam maternam, sed paternam texitur. Tùm quia si regnum Judæ idcircò in Assamonæis non defecit, quia materno saltem genere ad Tribum Juda pertinebant, nec etiam in Herodis filiis, qui ex Mariane Assamonæorum filia & Herode nati Reges extiterunt; neque in Agrippa juniore qui matrem habuit Assamonæam, sceptrum defecisse dici debet, quod affirmare ausi non sunt qui nobis hìc adversantur. Esto igitur Tribus Juda & Levi nuptiarum fœdere inter se junctæ fuerint, id de Assamonæis nec Scriptura, nec Judæorum Historia narrat. Quid ergo, juxta opinionem istam, fiet de illis Pontificibus qui à tempore Zorobabelis Judæorum regno præfecti fuere, quique non leguntur uxores de Tribu Juda sibi assumpsisse?

Neque porrò inde sequitur, quod infert Objectio, nempè tyrannicum fuisse Machabæorum imperium; quia scilicet communibus totius populi suffragiis electi illi sunt, ut sederent ad clavum Reipublicæ, 1. Machab. 9. v. 28. ubi dicitur, *Congregati sunt omnes amici Judæ, & dixerunt Jonathæ: Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te hodie eligimus esse pro eo nobis in Principem & Ducem ad bellandum &c.*

Ad hæc accedit auctoritas Josephi qui L. 11. Antiquit. c. 4. narrat absoluto Templo immutatam fuisse Reipublicæ formam, atque summam auctoritatem ad Optimates seu Pontifices delatam esse. Quapropter deserendus hìc S. Cyrillus, cui opponi potest S. Ambrosius L. 3. in Lucam, ubi disertè docet, Regnum Davidis in Jechonia penitus desiisse, & à Sacerdotibus occupatum fuisse.

SECUNDA SOLUTIO.

Secunda solutio seu responsio Cajetani est & aliorum qui contendunt, non finem, sed potius continuationem seu perennitatem Regni Judaici Jacobi vaticinio designari, quia de caduco & temporali in æternum ac spirituale, adveniente Messia, commutandum fuit. Quamobrem verba hæc, *Donec veniat*, sic interpretantur, *Postquam*, vel, *quando venerit Messias*: ita ut sensus oraculi iste sit, Non auferetur sceptrum de Juda, sed potius in spiritale ac æternum commutabitur. postquam Messias advenerit. Sceptrum autem terrenum ac temporale stetisse penes Tribum Juda usque ad Messiam, etiam regnantibus Machabæis, inde colligunt, quòd jus & spes certa regni occupan-

di semper in Tribu Juda fuerit. Addit Melchior Canus, Machabæos instar depositi imperium à Tribu Juda accepisse, adeoque jus ad regnum Tribui Juda assertum semper stetisse.

Illustriss. ac doctissimus Huetius, dum viveret Abrincensium Episcopus, opinioni Cajetani nonnihil adjecit L. Demonstrat. Evangel. Prop. 9. cap. 4. num. 7. quod deesse ipsi existimat; eamque explicatiùs evolvit.

Sententia & expositio Huetii. P. 410. col. 2. Quatuor ille partes in vaticinio Jacobi distinguit, ex quarum partium inobservata distinctione, maximam in explicando oraculo perturbationem ortam fuisse arbitratur.

I. Istis Prophetiæ verbis, *Non auferetur sceptrum de Juda*, ait æternam sceptri possessionem Judæ sponderi.

II. Istis verbis, *Et dux de femore ejus*, temporarium & caducum Judæ præsignificari imperium.

III. Istis, *Donec veniat qui mittendus est*, temporarii hujusce regni finem, & Messiæ adventum prænuntiari.

IV. Denique per ista, *Et ipse erit expectatio gentium*, denotati Messiæ regnum, non Cananeæ terræ claudendum esse finibus, sed quaquaversus per universum Orbem diffundendum esse, utpotè quod spiritale sit futurum.

Cajetano itaque in eo consentit doctissimus Præsul, quòd arbitretur in vaticinio Jacobi æternum & spiritale semper permansurum Judæ imperium promitti, postquam venerit Messias; in eo verò dissentit, quòd temporarii Judæ regni finis prænotetur in adventu Messiæ, quod quidem Cajetano exciderat: unde in sententiâ Huetii, necesse est particulam *donec* in dicto vaticinio, duplicem eamque diversam significationem habere, ac denotare simul & regni spiritalis perennitatem, & temporarii finem & cessationem. Ista etenim particula *donec*, si ad hæc verba referatur, *Non auferetur sceptrum de Juda*, significat perpetuò mansurum spiritale Judæ regnum, ubi semel advenerit Messias; si verò referatur ad ista, *Et dux de femore ejus*, significat finem temporarii Judæ imperii futurum, cùm Messias advenerit. Ut autem præcipuæ difficultati satisfaciat, quomodo scilicet sceptrum temporale in Juda perseveravit regnantibus Machabæis, respondet Illustrissimus Auctor, jus & proprietatem regni penes Judam fuisse, usumfructum verò tantùm penes Machabæos: quod illustrat exemplo Caroli secundi Anglorum Regis, qui etsi patria Regnoque expulsus fuerit, & summa potestas ab invasore Kromvello occupata, meritò tamen sceptrum Anglorum in Carolo II. & Stuartorum gente perseverasse dicitur, quia jus & proprietas illius erat.

Cornelius à lapide in citatum locum Gen. 49. ut se ab eadem difficultate expediret, multa excogitavit. 1. jus hæreditarium ad Tribum Juda semper pertinuisse. 2. solam Judæ Tribum toti genti nomen dedisse, atque in ea cæteras Tribus inclusas censeri. 3. sedem, ditionem & metropolim Regni, nempè Jerusalem, pertinuisse ad Tribum Juda. 4. in Tribu Juda semper incolume stetisse jus eligendi & sibi præficiendi Reges, quo jure usa est cùm Machabæos ad solium evexit, quod satis est ut Regnum penes illam Tribum stetisse dicatur: quomodo penes Romanos & Polonos stetisse Regnum

gnum dicitur, etsi aliquando Romani extraneos ad Regnum vocaverint; Trajanum v.g. Hispanum, & Poloni Henricum Valesium Gallum.

Refellitur.

Secunda hæc solutio rejicitur.

I. Quia particula *donec* non initium sed finem seu cessationem regni denotat, ut antea dictum fuit; atque cùm hæc Cajetani interpretatio hac in parte plùs æquo Judæis faveat, prorsus rejicienda videtur. Neque porrò satis est ut quis actu sceptrum possidere dicatur, quòd spem certam habeat illud aliquando recuperandi, quasi spes rei possidendæ ipsimet possessioni æquivaleret. Deinde verò, vix scio qua ratione ostendi possit certam in Juda spem fuisse Regni occupandi, cùm adeo firmatum illud vidit in Assamoneis. Denique, annon Judæi hodierni hac prætensa Regni aliquando recuperandi spe, contendere possent adversùs Cajetanum, nondum sceptrum in Juda defecisse, nec consequenter hactenus advenisse Messiam?

Neque pariter satisfacit, quod reponit Melchior Canus; nulla enim vel minima apparet hujusce depositi umbra. Machabæi quippè sceptrum jure legitimæ electionis delatum, velut rem propriam, non verò alienam ac sibi ad tempus concreditam occuparunt; nec facilè sibi quisquam persuaserit, Tribum Juda tot per annos spontè tale depositum penes Machabæos reliquisse.

II. Ad sententiam Illust. Huetii dico (salva ea quæ ipsi debetur reverentia) eam gratis excogitatam nobis videri. Licèt enim fateamur, istis postremis vaticinii verbis, *Et ipse erit expectatio gentium*, longè præstantius promitti, adeoque spiritale & æternum sub Messia Judæorum regnum, juxta istud Angeli ad Mariam Lucæ 1. v. 32. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*: non tamen satis intelligimus, quo fundamento verba ista, *Non auferetur sceptrum de Juda*, assumat Illustr. Auctor ad significandam regni Judaici spiritalis & æterni, cùm Messias advenerit, perennitatem; istâ verò, *Et dux de femore ejus*, ad finem & cessationem regni temporalis referat. Illa enim duo, *sceptrum, & dux de femore*, quæ in eadem contextus serie cohærent, nec ulla disjunctionis nota separantur, imò potius conjunctiva particula, *&*, copulantur, de eadem procul dubio suprema apud Judam auctoritate temporaria intelligenda sunt. Cùm verò particula *donec* ad utrumque membrum ex æquo referatur, utriusque finem ac cessationem significat; nec videtur probabile, unam hanc & eamdem particulam in una & eadem periodo diversum omninò & oppositum sensum habere, ut mox rei continuationem, mox finem denotet. Absque fundamento dictum etiam existimamus, jus & proprietatem regni penes Judam stetisse, & usumfructum tantùm penes Machabæos: quis enim ignorat istos titulo legitimæ electionis à toto populo factæ, nemine reclamante, non modo usumfructum, sed jus & proprietatem Regni habuisse? Neque appositum videtur exemplum Caroli II. Anglorum Regis, Kromvelli: hic enim verus invasor fuit ac tyrannus; quapropter sceptrum ad legitimum possessorem brevi reversum est. Quis porrò dixerit Machabæos per usurpationem ac tyrannidem Judæorum imperium invasisse & occupasse?

III. Neque momenta quæ adjecit Cornelius à lapide, firmiora nobis videntur. Non primum: namque etsi jus regnandi hæreditarium ad Tribum Juda per Davidem pervenerit, illo tamen jure excidit & regno privata fuit per annos 500. Unde si venturus prædicitur Messias, quo tempore sceptrum de Tribu Juda defecerit, debuit quingentis annis priùs venire. Non secundum: quia etsi Tribus Juda toti genti nomen dederit, non idcircò tamen sola Tribus Juda permansit: steterunt enim Tribus Levi & Benjamin, & unicuique jus suum servabatur; atque ex sola Tribu Levi assumebantur Pontifices, non ex Tribu Juda. Non tertium: tùm quia per sceptrum & ducem intelligi non assolet aut ditionis terra, aut Regni sedes, sed ipse Princeps, qui summa potiatur auctoritate: tum quia sequeretur nequidem Herodis tempore defecisse sceptrum de Juda, quia terra ditionis & regni sedes erat in Tribu Juda. Non quartum: tùm quia ante Davidem jus illud eligendi Reges non habuit Tribus Juda: tùm quia post solutam captivitatem non sola Tribus Júda, sed omnis populus jus eligendi Regem sibi assumpsit, & Machabæi communibus populi totius votis ac suffragiis electi fuerunt: tùm denique quia contigit aliquando Reges Judæorum eligi, non auctoritate Judæorum, sed exterorum Principum, ut constat exemplis Nehemiæ, qui Esdræ 2. c. 5. v. 14. dicitur *Dux populi constitutus imperio Artaxerxis*; & Zorobabelis, qui L. 1. Esdræ c. 5. v. 14. dicitur à Cyro Princeps constitutus.

TERTIA SOLUTIO.

Nonnulli respondent 3. duplicem in vaticinio Jacobi potestatem distingui debere, his expressam terminis, *sceptrum, & dux de femore ejus*; seu, ut habet textus hebræus, *Legislator aut Scriba de interpedes ejus*; ac contendunt, ad Prophetiæ eventum, & continuationem sceptri in Tribu Juda usque ad Messiæ adventum demonstrandam, satis esse quòd in ea Tribu perseveraverit, si non regia dignitas, suprema saltem judicandi auctoritas, quæ penes erat magnum Judæorum Sanhedrim, in quo soli de Tribu Juda sedebant electi Judices, quorum Tribunal ad Christum usque integrum permansit.

Refellitur.

I. Quia gratis omninò distinguit inter sceptrum & ducem; quandoquidem Scriptura utrumque per particulam *&*, conjungat, & utrumque adveniente Christo finem habere deberet.

II. Non constat supremam fuisse illius Collegii in judiciis ferendis auctoritatem; neque alia ipsi tribuenda, quàm quæ à Deo illi per Moysen primùm concessa legitur. Porrò Numer. 11. v. 16. non alia ipsi potestas datur, quàm ut Moysen in tanta negotiorum mole sublevarent: & Exodi 18. v. 21. refertur Moysen ex consilio Gethro soceris sui, de cuncto Israel elegisse viros timentes Deum qui judicarent populum, delata semper ad Moysen majorum causarum cognitione.

III. Gratis fingitur Collegium istud, seu Magnum Sanhedrim, usque ad Herodem incolume stetisse: tùm quia Danielis 13. v. 5. dicuntur constituti duo Judices etiam in captivitate Babylonica; ergo jam tum erat extinctum

Con-

Consilium Sanhedrim: tùm quia certum videtur, Consilium istud, si stabat, Sacerdotibus Machabæis regnantibus subditum fuisse. Ajunt nonnulli, omnes hujus Collegii, quod antea viguerat, Judices ab Herode morti traditos fuisse. Hactenus eorum exposuimus ac confutavimus sententiam, qui contendunt sceptrum seu regiam dignitatem in Tribu Juda ad Messię usque adventum perdurasse: superest, ut nostram jam exponamus, & qualis nobis videatur oraculi Jacobi sensus, aperiamus. Itaque sit

SECUNDA CONCLUSIO.

In vaticinio Jacobi, per sceptrum, non sola regia seu monarchica, sed qualibet suprema Reipublicæ administrandæ potestas; atque per Judam, non sola hujus nominis Tribus, sed tota Judæorum natio intelligenda est, cum aliqua tamen singulari Tribus Judæ prærogativa.

Sensus igitur oraculi est: *Non auferetur*, seu, Cùm ablata fuerit à Judæis vel regia, vel suprema Reipublicæ administrandæ potestas; & sui juris esse desinent, exterorum Principum imperio subditi, tunc veniet Messias.

Probatur Conclusio: 1. momentis quibus adversam opinionem mox expugnavimus.

2. Quia per sceptrum seu virgam, quæ imperii symbolum est, intelligi solet dominatus quilibet, seu ea administratio qua quis sui juris est suisque legibus vivit, non alienis: per Judam autem, non sola hujus nominis Tribus, sed tota Judæorum natio, cui nomen illa dedit. Ita Jeremiæ 23. v.6. ubi extat illustris de venturo Messia prophetia, dicitur: *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter*. Nomine Judæ universam gentem Judæorum hìc denotari, certissimum est: quidni ergo & in vaticinio Jacobi, per *Judam*, universa quoque natio intelligenda erit?

Probatur 3. auctoritate SS. Patrum. S. Justini Dial. cum Tryphone pag. 271. S. Athanasii Libro de Incarnatione Verbi divini: Eusebii, tùm L.1. Hist. c.6. & 7. tùm L.8. Demonstr. Evangel. Sancti Chrysostomi Hom. 67. in Gen. S. Ambrosii L. de benedict. Patriarcharum cap. 4. S. Aug. L. 18. de Civit. Dei cap. 45. Theodoreti q. 110. in Gen. qui omnes docent, idcircò sceptrum de Tribu Juda non defecisse usque ad Messiam, quia Judæi ad Herodem usque Duces ac Principes è sua gente habuerunt.

Probatur 4. Quia hæc expositio rectè cohæret cum veritate historiæ, nec tot incommodis ac difficultatibus obnoxia videtur, quibus adversa sententia. Siquidem à soluta captivitate ex Ægypto usque ad Herodem alienigenam, semper extitit aliquis natione Judæus, qui genti præfectus fuit; semper Judæi sui juris fuere, suisque vixere legibus, si annos 70. Babylonicæ captivitatis excipias, quo etiam tempore vivebat Jechonias Rex, quem Judæi tanquam Regem venerabantur, quantùm permittere poterat præsens eorum status: sed hac captivitate liberati, & obtenta à Cyro redeundi in patriam licentia, non alio quàm domestico regimine Judæi vixerunt.

Dixi in Conclusione, per *Judam* totam quidem intelligi Judæorum nationem, servata tamen Tribui Judæ singulari quadam prærogativa: quia scilicet Jacob filiis suis singulis propriam assignat & impertitur benedictionem,

ergo & Judas suam quoque propriam habuit. Singularis verò Tribus Judę prærogativa in multis deprehenditur. 1. Quia Tribus Juda fuit Regno destinata, penes quam diu stetit ac floruit. 2. Post captivitatem Babylonicam toti genti nomen dedit: sola quippè Tribus Juda integra remanserat, cujus quædam veluti accessio fuit Tribus Levi, & dimidia Tribus Benjamin. 3. Eo ipso tempore quo rerum summa penes Assamonæos fuit alios ve Sacerdotes, regio ipsa, sedes regni, subditi fermè omnes erant de Tribu Juda. 4. De ipsa Tribu Juda nasciturus erat Messias. 5. denique, vel ab initio Tribus illa cæteris singulari privilegio anteposita fuit: primas enim tenuit in castris metandis, Num. 2. v. 3. in iisdem mutandis, Numer. 10. ℣. 14. in offerendis Deo muneribus, Numer. 7. v. 11. in recensione Tribuum, Num. 34. v. 19. in divisione terræ Chanaan, Josue 15. v. 13. in assignandis Leviticis urbibus, ibid. cap. 21. v. 4. denique in bellis adversùs Chananæos gerendis, Judic. 1. v. 2. & 19.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Vel ipsa oraculi Jacobi verba & scopus apertè demonstrant, illum non de tota gente, sed de solo Juda ejusque posteris sermonem habere. Namque 1. Jacob viritim singulis filiis aliquid proprium & singulare prædixit: *Hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis*, Gen. 49. v. 28. Ergo cùm Judam appellat & ad eum sermonem dirigit, non totam spectabat gentem, sed Judam ipsum ejusque posteros; aliàs nihil Judæ proprium, nihil singulare foret. 2. Disertè Judas illic à cæteris suis fratribus distinguitur: v. 8. paulò ante verba vaticinii, *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*. 3. Quæ præcedunt & quæ sequuntur ista verba, *Non auferetur sceptrum de Juda*, de singulari Judæ persona intelligenda esse nemo diffitetur: quomodo igitur ista, quæ intermedia sunt, *Non auferetur &c.* ad alium quàm ad Judam ipsum ejusque singularem Tribum referri meritò possunt? 4. Verba ista, *Et dux de femore*, id est, *semine ejus*, intelligi vix possunt, si non de solo Juda ejusque posteris, sed de tota gente dicta fuere: tota etenim gens seu natio Judaica ex Juda orta non est; neque quisquam nasci dicitur *ex femore* nationis, sed ex femore illius qui gentis caput & parens est, qualis erat Judas Tribus suæ auctor & princeps.

Resp. ad primum: Ultro fatemur propriam hic ac singularem esse pro Juda benedictionem, quia tùm ipse, tùm ejus Tribus supra cæteras singulari prærogativa decorata semper fuit, ut mox exposuimus.

Ad secundum & tertium: Difficultas conciliandi veritatem historiæ cum prophetiæ eventu, adigit nos ut verba illa intermedia, *Non auferetur*, ad totam gentem referamus, non ad solam Tribum Judæ: siquidem, ut jam observavimus, quingentis annis ante nativitatem Christi de Tribu Juda sceptrum defecerat, regnantibus scilicet Machabæis; quomodo igitur stare poterit prophetiæ veritas, tunc venturum Messiam, cùm sceptrum de Juda defecerit?

Ad quartum: Non eo sensu *dux de femore* Judæ nunquam defuturus dicitur, quòd serie non interrupta semper de Tribu Juda successuri essent Re-

ges

ges usque ad Messiæ adventum; repugnat enim manifestè sensus iste historiæ veritati: sed dux de femore Judæ dicitur non defuturus usque ad Messiam, tùm quòd jure hæreditario regnum ad illam Tribum pertineret, in qua diu perseveravit; tùm quòd toti genti Judas nomen dedit, in qua suprema regiminis auctoritas usque ad Herodem Regem alienigenam, viguit ac permansit.

Objicies 2. Ex speciali benedictione qua Judas à Jacobo donatur, vulgò SS. Patres ac Theologi fermè omnes inferunt, Christum ex Tribu Juda secundùm carnem oriundum fore: atqui nulla est hujusce argumenti vis, si vaticinium, de quo agimus, non de sola Tribu Juda, sed de tota gente intelligatur.

Resp. 1. ex istis præcisè verbis, *Non auferetur sceptrum de Juda*, disertè ac expressè non evinci, futurum ut Messias ex Tribu Juda ortum aliquando ducat. Reipsa quidem ex Juda nasciturus prædicitur & natus est, quod ex genealogia ipsius ab Evangelistis Matthæo & Marco contexta evidentissimè probatur: at quomodo ex istis præcisè verbis, *Non auferetur*, colligi istud possit, satis, fateor, non concipio.

Resp. 2. ut probetur Christum è Tribu Juda oriundum esse, absolutè non requiri, ut nomine Judæ sola intelligatur Judæ Tribus, sed satis esse quòd ista Tribus nobilior inter cæteras fuerit, ac pluribus præ cæteris illustrata privilegiis, inter quæ istud profectò præcipuum ac maximè singulare & commendandum, quòd Messias ex illa nasciturus erat.

Objicies 3. Sententia nostra iisdem incommodis subjacet, ac premitur difficultatibus, quibus adversa, quam impugnamus. Namque ex illa sequitur, longè citiùs advenire debuisse Messiam, tempore scilicet captivitatis Babylonicæ, quod fuit annorum 70. tunc enim expugnata per Nabuchodonosorem Jerusalem, everso Templo, omnique vasorum & ornamentorum supellectili direpta, qui ex internecione superfuerunt Judæi captivi Babyloniam translati sunt, ubi tristissima sub Chaldæorum imperio servitute oppressi, nullam amplius Regni, neque Reipublicæ formam retinuere; vel saltem venire tantùm debuit Messias, quando iterum per Titum eversa Jerosolyma, gens tota dispersa, & extincta Respublica fuit. *L. 4. Reg. c. 25.*

Resp. rationem habendam non esse 70. annorum quibus duravit captivitas Babylonica; quod quidem temporis intervallum, comparatione tot sæculorum quibus in integro floruit Judæorum Imperium, pro nihilo computari debet. Adde quòd vel ipso etiam captivitatis ac calamitatis tempore, vivebat Joachim Rex, de quo dicitur L. 4. Reg. cap. 25. v. 27. *Sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo cœperat regnare, caput Joachim Regis Juda de carcere. Et locutus est ei benignè, & posuit thronum eius super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone &c.* Ergo nequidem tempore captivitatis extincta penitus vel obscurata fuit sceptri Judaici dignitas: Joachim quippè, mutata veste quam in carcere gestaverat, *comedebat panem semper in conspectu eius* (Regis Babylonis) *cunctis diebus vitæ suæ. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à Rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.* Ibidem L. 4. Reg. cap. 25. v. 29. & 30.

Quapropter meritò asserimus, sub Herode figendum esse Messiæ adventum, non ante, nec post; tunc enim sceptrum ad extraneum seu alienigenam

nam delatum fuit: unde licèt gens tota post annos circiter sexaginta dispersa fuerit post excidium Jerosolymitanum, & consummata sub Tito veluti fuerit tunc Judæorum ruina, jam antea tamen sub Pompejo incæperat, creverat sub Herode, & tandem sub Tito ad cumulum pervenit; atque post illam ultimam & consummatam Judæorum cladem ac dispersionem, nullus relinquitur dubio locus, quin jam diu advenerit Messias, & impletum fuerit Jacobi morientis vaticinium. Neque nimis inquieto ac scrupuloso animo inquirendum, sub qua præcisè cadentis Judæorum Reipublicæ periodo advenire Messias debuerit, nec à nobis postulanda præcisa & veluti mathematica determinatio futuri hujus adventus: venit Christus, quando voluit; venit in plenitudine temporum; venit in media illa periodo seu gradu deficientis & ad ultimam ruinam vergentis Reipublicæ Judæorum, id est, sub Herode.

Objiciunt hic nobis nonnullorum SS. Patrum auctoritatem: àt nos vicissim alios ipsis opponimus. In istis igitur criticis & historicis quæstionibus, quæ hinc & inde liberè agitantur, ex auctoritate nihil præjudicandum; sed momenta hinc & inde æqua lance libranda, & sua unicuique servanda sententiæ libertas.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Adventus Messiæ, ex prophetia Danielis cap.9.

Cùm Propheta Daniel fusis ad Deum precibns supplex postularet populi à durissima captivitate Babylonica liberationem, exauditus à Deo, Gabrielis Archangeli ministerio cognovit, non tantùm quo tempore populus liberandus foret à temporali captivitate, sed etiam quo advenire deberet Messias, qui populum suum à captivitate spiritali dæmonis liberum, in libertatem filiorum Dei erat asserturus, notatis ferè singulis adventus, passionis & mortis Christi circumstantiis. En verba prophetiæ c.9. v.24. & sequentibus. *Tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem; hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt; & rursus ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium; & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Multis intricata est difficultatibus hæc Danielis prophetia, quibus enodandis jam dudum desudarunt præstantissima quæque Theologorum ingenia. Ad duo generatim capita illæ revocari possunt: primum est, prophetiam illam ad Messiam pertinere: secundum, illam in Christo Domino impletam fuisse; quæ duo hoc syllogismo concludimus. Ille qui venturus prædici-

dicitur post septuaginta hebdomades, venire debuit illis elapsis 70. hebdomadibus: atqui Christus verus Messias prædicitur venturus post 70. hebdomades, quæ jam dudum effluxerunt; ergo Christus verus Messias jam dudum venit.

Utramque minoris propositionis partem oppugnant Judæi.

I. Negant prophetiam Danielis ad Christum pertinere, eamque detorquent vel ad Cyrum, vel Agrippam juniorem, vel Nehemiam, vel Jesum Josedec Sacerdotem, vel Zorobabelem &c.

II. Negant eam in Christo impletam fuisse, quia 70. hebdomadum spatium, intra quod Messias venire debuit, conciliari non potest cum tempore quo contendimus Christum revera natum, passum & mortuum fuisse. Utrumque istud difficultatis caput expendendum nobis est ac solvendum.

Non moror quòd Judæi Danielem inter Prophetas non recenseant; mera enim est nominis æquivocatio: Judæi quippe eos solummodò Prophetas agnoscunt, qui procul ab Aulæ tumultu solitariam vitam ducebant. Verùm parum interest an Prophetæ nomen ipsi tribuant, vel denegent, modò fateantur, ut revera fatentur, Librum Danielis inter agiographos, id est, sacros seu divinitùs inspiratos, habendum esse, quod sufficit ùt plenam ac certam fidem mereatur. Et reipsa Judæi Davidis ac Salomonis auctoritatem admittunt, multaque ab ipsis prophetico spiritu prænuntiata esse fatentur, tametsi eorum Libros inter agiographos, non inter propheticos annumerent. Reipsa autem Daniel verus Propheta fuit, quem Christus ipse Matth. 24. v. 15. Prophetam appellat. Hac itaque leviori missa difficultate, ad rei caput deveniendum.

Probatur 1. *Danielis vaticinium de venturo Messia intelligendum esse.*

CONCLUSIO.

Danielis vaticinium de Christo Messia, non de alio quocunque, intelligi debet.

Probatur: Illud vaticinium de solo Messia seu Christo venturo intelligi debet, cui soli adaptari possunt characteres omnes à Daniele delineati: atqui soli Christo verò Messiæ adaptari possunt characteres à Daniele delineati. Isti porrò sunt: Qui venturus à Daniele prædicitur, antonomasticè seu per excellentiam Christus nominatur; Dux seu Princeps; Sanctus sanctorum; qui peccatum expiaturus est; qui est justitia sempiterna, quam secum est adducturus; auctor novi fœderis, sub quo vetera sacrificia sunt abroganda; qui occidendus est, & post cujus mortem Templum esset evertendum: atqui hæc omnia in Christo ad litteram impleta sunt post expletas hebdomades 70. à Daniele designatas.

I. Nominatim Messias Christus, seu Unctus per excellentiam appellatur; *Post septuaginta hebdomades occidetur Christus*. Porrò nomen istud simpliciter & absolutè sumptum, ac per excellentiam uni vero Messiæ Liberatori in Scripturis tribuitur; nulli verò ex Principibus, nisi cum aliquo addito, vel domini, vel alicujus alterius attributi: quomodo Cyrus aliquando Christus appellatur

latur Isaiæ 45. v. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*. Porrò Messias in novo Testamento simpliciter Christus dicitur. Act. 4. v. 26. & 27. *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Convenerunt enim verè in civitate ista adversùs sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Israel.*

II. Christus Dux seu Princeps dicitur. Isaiæ 55. v. 4. *Ecce testem populi dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*. Et Michææ 5. v. 6. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.*

III. Dicitur Sanctus per excellentiam, qui peccatum expiaturus est. Ps. 15. v. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Lucæ 1. v. 35. *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*. Act. 3. v. 14. *Vos autem sanctum & justum negastis*. Isaiæ 61. v. 1. *Spiritus Domini super me .... ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam*. Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*. Et Coloss. 2. v. 13. & 14. *Et vos;, cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illò, donans nobis omnia delicta.*

IV. Messias seu Christus non tantùm justus & sanctus futurus prædicitur, sed etiam sanctitas seu justitia nostra. Psal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna*. 1. Cor. 1. v. 30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.*

V. Christus est auctor novi fœderis, Jeremiæ 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum*. Dies illi de quibus Pro-
Rom. 3. v. 25. pheta, in Christo impleti sunt, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius: qui delevit quod adversùs nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*, Coloss. 2. v. 14.

VI. Sacrificia Judaica Messiæ tempore abroganda erant. Malac. 1. v. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*. Porrò Legem & Sacrificia vetera Christus abrogavit: Matth. 11. v. 13. *Omnes Prophetæ & Lex usque ad Joannem prophetaverunt*. Et Rom. 10. v. 4. *Finis Legis Christus, ad justitiam omni credenti.*

VII. Qui venturus prædicitur, occidendus est, cujus in morte pactum confirmabitur, & deficiet hostia, & tum populus dissipabitur, ac futura est abominatio desolationis. Atqui hæc omnia in Christo eventum habuere. Occisus est à Judæis, Act. 5. v. 30. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno*. In ejus morte pactum confirmatum fuit & obsignatum, Hebr. 9. v. 15. *Ideo novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis*. Et

Chri-

Christus ipse, Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. ait: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. In morte Christi defecit hostia & sacrificium Legis Mosaicæ, si non quantùm ad rem & actum, saltem quantùm ad jus: qua de re legenda Epistola S. Pauli ad Hebræos cap. 10. Istud ut significaret Christus, moriens exclamavit, Joan. 19. v. 30. *Consummatum est*. Post mortem Christi capta & eversa Jerosolyma per Titum, populus omnis dispersus est, nullumque ex eo superfuit amplius Reipublicæ Judæorum vestigium; atque impletum fuit istud Osee, *Vos non populus meus, & ego non ero vester*. Istam populi dispersionem ac consummatam Jerosolymæ ruinam sæpius, nec sine lachrymis, Christus prædixerat, Matth. 23. 24. Lucæ 19. Tùm verè contigit abominatio desolationis, cùm omnia Sacra à Gentilibus prophanata sunt, Templum exustum, violata Religio. Cùm igitur omnes vaticinii Danielis characteres apprimè in Christum cadant, & in ipso ad litteram impleti fuerint, meritò asserimus vaticinium illud de Christo esse intelligendum. *Osee 1. v. 9.*

Neque id diffitentur inter Judæos multi, teste S. Hieronymo in citatum Danielis locum; tametsi nondum impletum asserant vaticinium. Ita quoque ex Rabbinis recentioribus non pauci. Sunt tamen inter illos longè plures, qui distortas omninò & obliquas illius vaticinii interpretationes excogitarunt, quas referre & confutare necesse est.

Referuntur ac confutantur distortæ Judæorum expositiones, quibus Danielis vaticinium detorquent, nec ad Christum, sed ad alios referunt.

Vanas planè ac commentitias esse varias illas Judæorum expositiones eo ipso statim ad oculum deprehendimus, quòd nulla prorsus sit in quam cadere possint notæ ac characteres omnes quos Daniel descripsit: quod quidem facta enumeratione demonstrare facillimum erit.

Prima, quæ inter cæteras à R. Salomone dicto Jarchi subtilissimè excogitata est, contendit scopum ac finem prophetiæ non alium esse, quàm ut prænuntiet Daniel quid populo Judaico durum ac triste accidere debeat à prima Templi destructione sub Nabuchodonosore, usque ad secundam sub Tito, quod spatium temporis est annorum 490. vultque in eo utramque hanc calamitatem distingui, quòd post primam non ita accisa & attrita est Judaica gens, quin identidem respiraverit: at post secundam durissimo ac diuturno servitutis jugo affligenda est in pœnam & ultionem peccatorum, ut tandem correpti ac in melius commutati Judæi, ad Deum liberatorem recurrerent: & ita, inquit R. Salomon, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, & adducetur justitia sempiterna, ac tandem adimplebuntur de venturo Messia prophetiæ. Quantùm verò ad hebdomadarum distinctum calculum, non multùm ille sollicitus est de figendo earum initio ab Edicto Principis alicujus pro ædificanda civitate; & verba ista Danielis, *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem*, ille sic reddit, *De exitu sermonis mei*, hoc est, *sermonis quem dixi*: quasi sensus esset, *Audi & scito Daniel, quid decreverit Deus circa ædificationem civitatis*: ubi *exitus sermonis*, non tam initium est, ex quo computari debeant hebdomades, (hoc est ab ipso Edicto de ædificanda Jerusalem) quàm subjecta materia de qua Propheta loqui- *Prima expositio.*

loquitur. Quapropter hebdomades illas, de quibus Daniel, in tres partes R.Salomon dividit. 1. enim septem, deinde sexaginta duæ sunt, tùm una postrema. Duos prætereà Christos distinguit, quorum prior venturus foret post septem priores hebdomades; posterior autem post alias sexaginta duas, & in medio septuagesimæ exscindendus esset. Prior autem Christus ipse est Cyrus, quem Isaias cap.45. Christum appellat, & qui Judæos à captivitate liberos dimisit; posterior verò est Rex Agrippa qui in ultimo Jerosolymæ excidio periit.

Eamdem interpretationem nonnulli alii Rabbini adoptant & sequuntur, nisi quòd in utroque illo Christo figendo & assignando dissentiunt. Alii priorem Christum dicunt esse Josue, seu Jesum filium JosedeK, Sacerdotem magnum, qui unà cum Zorobabele in Judæam, permittente Cyro, rediit, de quo L. 1. Esdræ cap. 3. v.4. & 5. Zachariæ c.3. v.1. & c.4. v. 14. Posteriorem autem de Sacerdotio interpretantur, quod in ultima Jerosolymorum clade extinctum fuit. Vide Huetium Demonstrat. Evang. Prop.9. cap.8. n.18. Petavium L.16. cap.8. n.3. Huic interpretationi favere videntur 70. Interpretes qui sic vertunt, *Delebitur unctio*: quod quidem de Sacerdotio Eusebius L. 1. Hist. c.6. & L.8. Demonstr. Evang. Theodoretus, & alii non pauci ex Antiquis exposuerunt. Alii verò Christum illum seu Ducem ac Principem futurum esse ajunt, aut Nehemiam, aut Zorobabelem, aut Herodem Agrippam.

Verùm ista R. Salomonis interpretatio tot figmentis ac erroribus adversùs Historiæ veritatem scatet, ut per sese tota funditus ruat: idque ostendimus primò generalibus quibusdam momentis; secundò strictim percurrendo varios illos Principes aut personas, in quibus fingit R.Salomon Danielis vaticinium complementum habuisse.

I. Absurdè ille fingit, scopum prophetiæ esse ut prænuntientur quæcunque dura & aspera Judæis eventura erant: imò potius Angelus Danielem virum desideriorum solari ac recreare voluit, spe brevi finiendæ Judæorum captivitatis, ac bonorum quibus per adventum Messiæ seu Christi cumulandi essent.

II. Non minùs absurdè duos in illa prophetia Christos distinguit, Cyrum & Agrippam, cùm unus & idem sit Christus de quo loquitur Daniel.

III. Et istud quoque absurdissimum videtur, peccati finem, justitiæ adeptionem, aliaque commoda quibus tandem fruituri sunt Judæi, refundi, tanquam in veram causam, in ipsam Judæorum futuram servitutem ac captivitatem; quasi idcircò tot bonis subinde cumulandi illi forent, quòd tot malis & jam oppressi fuissent, & adhuc posteà opprimendi forent: non aliam etenim illorum futurorum bonorum causam assignat Daniel, quàm Christum ipsum.

IV. Certum & indubitatum est, septuaginta illas hebdomadas, de quibus Angelus loquitur, numerari non posse à prima Hierosolymorum eversione sub Nabuchodonosore, usque ad secundam sub Tito. Namque 70. hebdomades efficiunt tantùm annos 490. at ab una clade ad alteram intercedunt anni 657.

V. Falsò Angelus septem dumtaxat hebdomadas, hoc est quadraginta novem annos, ad primum illum Christum, nempè Cyrum, vel Zorobabe-
lem

lem &c. numeraret: à prima enim Templi ruina sub Nabuchodonosore ad postremam sub Tito, majus est quàm 490. annorum spatium; siquidem ab ipso Nabuchodonosore usque ad primum Cyri annum interjacent anni 52. qui tribus annis excedunt septem hebdomadas, intra quas, juxta interpretationem R. Salomonis, Templum ædificatum est.

VI. Falsò non minùs illarum hebdomadarum initium repetit auctor ab illa prima Templi & Civitatis eversione sub Nabuchodonosore; siquidem Angelus ipse terminos figit & assignat, *Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum*. Initium igitur repeti debet ab eo Decreto seu Edicto, quo Judæis licitum fuit Templum & Urbem iterùm ædificare: at quo tempore eversa est à Nabuchodonosore Jerusalem, nullum hujusmodi Decretum seu Edictum emissum fuerat.

VII. Immeritò ac ineptè prorsùs R. Salomon ita hebdomadas Danielis partitur, ut septem priores in unum Christum, & consequentes in alterum desinant. A Christo enim qui primò memoratur, nec distinctus ab eo qui iterùm legitur, notat Angelus futuras hebdomadas septem & sexaginta duas, uno eodemque sermonis tenore: at si hebdomades illæ disjungerentur, oratio Danielis omninò confusa & perturbata fuisset.

VIII. Denique, bona & commoda quæ Daniel Judæis futura prænuntiat intra terminos illarum septuaginta hebdomadarum, Rabbini illi indefinitè ac indeterminatè differunt post illas hebdomadas septuaginta, ut inde convinci non possint jamdiu adventasse Messiam, illiusque adventum quantùm voluerint differant: at è contra manifestum est, Angelum docere ea omnia quæ prænuntiat, eventura esse intra septuaginta illas hebdomadas à Deo præfixas ac definitas.

Superest jam ut strictim demonstremus quàm falsò ac ineptè fingant Rabbini per Christum, de quo Daniel, designari, vel Cyrum, vel Agrippam juniorem, vel Nehemiam, vel Jesum Josedec Sacerdotem, vel Zorobabelem, vel Sacerdotium ipsum seu unctionem sacram: sunt enim hæc totidem putida eorum figmenta.

Ac primò quidem Cyrus, tametsi ab Isaia Christus nuncupatus, non ille tamen Christus est, de quo Daniel: quia Christus seu Messias, de quo Propheta, venire dumtaxat debuit post sexaginta & novem hebdomadas, & post instauratam Jerusalem. Certum porrò est Cyrum è vivis excessisse, antequam inchoatæ fuissent sexaginta illæ & novem hebdomades; atque Jerusalem ædificatam rursus fuisse sub Artaxerxe Longimano, qui quartus fuit à Cyro Persarum Imperator: quæ demonstratio tam clara & invicta visa est R. Abenezra, ut in caput 9. Danielis scripserit, *opinionem illam quæ dicit Cyrum esse Messiam Domini, non esse*. Adde quòd characteres qui à Daniele describuntur, in Cyrum, aut alium quemlibet, præter Christum, cadere non possunt.

Neque etiam Agrippa junior Christus unquam dictus, nec à Daniele designatus fuit, licèt tempus quo vixit, Christo possit convenire. Ratio aperta est, quia verus Messias dux Israel futurus erat: *Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel*. Matth. 2. v. 6. in Jerusalem Regni sedem habiturus erat, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* &c. Psalmo 2. v. 6. Porrò Agrippa junior nunquam fuit dux to-

tius

tius gentis Judaicæ. Regnavit ille in Thraconitide, non Jerosolymis; nec ullam in Judæa auctoritatem habuit, quæ à morte magni Agrippæ patris ejus, in Provinciam Romani Imperii redacta, à Præfectis Romanorum gubernata fuit. Falsò etiam asseritur, eum à Romanis in excidio Jerosolymitano occisum fuisse: quandoquidem, testibus Josepho L. 2. de bello Judaico c. 16. & Cornelio Tacito L. 5. Historiarum, cum Romanis ad finem usque vitæ suæ amicitia conjunctus fuerit. *Mendacii redarguitur*, ait Baronius ad an. Chr. 73. n. 8. *auctor qui Josephi Gorionis nomine scribit, triennio cum dimidio ante Jerosolymorum excidium, Agrippam Regem à Vespasiano fuisse necatum; cùm etiam Josephi testificatione constet, eum à Vespasiano fuisse amicissimè habitum.*

To. 1. p. 697. C.

Non Nehemias.

Neque etiam Nehemias ille Christus est, quem prædixit Daniel. Quamquam enim nonnulli characteres à Daniele delineati cadere in illum utcumque possint, non tamen omnes: neque enim *Sanctus sanctorum, Justitia sempiterna, auctor novi fœderis, qui peccatum expiaturus esset*, aut dictus unquam fuit, aut dici debuit. Præterea dici non potest, Nehemiam natum fuisse eo ipso tempore quod à Daniele designatum fuit: certum quippè est illum vixisse diu ante initium septuaginta hebdomadarum; atque absurdè omninò fingeretur, eum ab Edicto, quod ab Artaxerxe pro ædificanda civitate obtinuit, usque ad finem septuaginta illarum hebdomadarum, hoc est, usque ad annos 490. vitam produxisse: Messias verò cujus adventum prædicit Daniel, sub finem illarum hebdomadarum nasciturus erat.

Non Jesus Josedec.

Nec etiam intelligi potest per Christum, apud Danielem, Jesum Josedec Sacerdos, cui adaptari non possunt omnes Messiæ characteres quos Daniel expressit. At, inquiunt nonnulli Judæorum Doctores, verus Messias à Daniele prænuntiatus, debuit esse Servator & Pontifex; debuit satanam debellare, vitam ducere vilem & asperam, deinde maxima illustrari gloria; neque solummodo Israelis Dux esse debuit, sed Judex ac vindex; quæ omnia, inquiunt, apprimè cadunt in Jesum Josedec. Non tantùm enim unà cum Zorobabele populi libertatem à captivitate impetravit, sed etiam ad patriam seu Judæam reduxit, unde Jesus, id est Salvator dictus est: Magnus etiam Sacerdos fuit, Esdræ 1. capite 3. satanam debellavit, Zachariæ 3. v. 1. sordidis vestibus induebatur, ibid. v. 3. quas ab illo auferri ibidem v. 4. Deus imperavit, *Auferte vestimenta sordida ab eo . . . & ponite cidarim mundam super caput ejus*, v. 5. Addit Angelus, seu in ejus persona Deus, v. 7. *Tu quoque judicabis domum meam, & custodies atria mea*. Denique altare Domino erexit, Esdræ 1. c. 3. v. 2. *Surrexit Josue filius Josedec, & fratres ejus Sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Israel*. Hæc omnia de Jesu Josedec dicta ultrò agnoscimus; ac fatemur illum Messiæ typum ac figuram, in aliquibus fuisse, non autem Christum ipsum, de quo loquitur Propheta Daniel; neque enim ea ipsa temporis periodo natus est Josedec, quam assignat Daniel, ut mox de Nehemiâ dictum fuit. Josedec igitur, sicut & collega ipsius Zorobabel, in multis quæ gesserunt, Christum Messiam expresserunt; aut meliùs, ut cum S. Hieronymo loquamur, verus & unicus Messias his duobus illustrissimis viris adumbratus & præfiguratus fuit, tanquam Rex à Zorobabele, tanquam Pontifex à Jesu filio Josedec.

Unus

Unus atque idem est Dominus noster atque Salvator, ait sanctus Doctor in Aggæi caput 1. *Rex & magnus Sacerdos, cujus typum, secundùm id quod Rex erat, portabat Zorobabel; secundùm id autem quod Pontifex erat, portabat omonymus ejus Jesus.* T. 3. p. 1685.

Neque in Zorobabele impleta est Danielis de Christo Messia venturo prophetia, propter easdem quas de Nehemia diximus, rationes & causas; longè enim ante initium septuaginta hebdomadarum natus est Zorobabel: neque etiam dici potest ipsius ætate defecisse hostiam & sacrificium; imò potiùs Templo instaurato, usus sacrificiorum refloruit. Denique venire non debuit Messias, nisi post ædificatam Urbem: at Zorobabel ultimum diem objerat, priusquàm ad perfectum ædificium adductum fuisset. Nō Zorobabel.

Sunt qui ista prophetiæ Danielis verba, *Ut ungatur Sanctus Sanctorum*, referunt non ad Christum, sed ad Templum seu unctionem sacram, quæ propter sacrificia quæ Deo offerebantur, *Sanctus Sanctorum* appellabatur. Verùm manifestum est Prophetam loqui de persona quæ ungenda erat, non de Templo vel unctione. Septuaginta quidem Interpretes vertunt *Unctionem*; sed concretè nomen illud sumi debet, nempe pro persona uncta, quæ per excellentiam Christus est. Et verò fatentur vel ipsimet Rabbini, imprimis R. Samuel, in secundo Templo quinque res defuisse, quæ fuerunt in primo: scilicet, *ignem, Arcam, Urim & Tummim, oleum unctionis, & Spiritum sanctum*. Igitur per ista verba, *Ut ungatur Sanctus Sanctorum*, nec Templum, nec Unctio sacra intelligi potest.

Secunda interpretatio.

Sunt etiam qui cum Marshamo Anglo, in Chronico Ægyptiaco ad sæculum decimum octavum, Danielis vaticinium referunt ad tempus Antiochi Epiphanis, cujus ætate impletum est; ac nonnulla supponunt, quibus suppositis, omnia benè cohærere arbitrantur. Supponunt nempe 1. Angelum cum Daniele sermonem habuisse anno primo Darii Medi, ut constat ex Daniele c. 9. v. 1. 2. hunc primum Darii annum incidisse in annum 21. captivitatis Babilonicæ: Daniel quippe cap. 10. v. 2. ait se per tres hebdomadas luxisse, *In diebus illis*, inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum*. Tres porrò hebdomades annorum, quas auctor intelligit, efficiunt annos viginti & unum: ab initio igitur captivitatis ad hoc usque colloquium Danielis, intercesserunt anni 21. 3. Daniel numerat septem hebdomadas & sexaginta duas, & præterea unam, & insuper mediam hebdomadem; hoc est septuaginta omnino hebdomades cum dimidia. 4. septem priores hebdomades posse à consequentibus separari. 5. septem priores ducendas esse ab exitu sermonis Angeli, hoc est ab anno 21. captivitatis. 6. consequentes hebdomades ducendas esse ab ipso captivitatis initio. 7. denique, duplicem à Daniele Christum distingui. Quibus præsuppositis & admissis, omnia sic conciliant. Secunda interpretatio Marshami.

Septem priores hebdomades apertè desinent in Cyrum, qui prior est Christus; Cyrus enim anno septuagesimo captivitatis Rex sedere cœpit, & Judæos abire in patriam permisit: at ab anno 21. captivitatis usque ad septua-

ptuagesimum præcisè sunt quadraginta novem anni, hoc est septem hebdomades.

Deinde, sexaginta duæ desinent in Antiochi Epiphanis exordia: sexaginta enim & duæ hebdomades sunt anni 434. sed ab initio captivitatis, & anno quo Antiochus Epiphanes regnare cœpit, sunt anni 434. Tùm septuagesima sequetur hebdomada, hoc est primum Antiochi septennium, per quod intervallum temporis exscindetur Christus, hoc est, Sacerdotes amovebuntur, hostia deficiet, Sacra ab Antiocho profanabuntur, quod quidem per tres circiter annos duravit, donec Templum à Juda Machabæo expurgatum fuit. 1. Mach. 1. v. 62. & 4. v. 52.

Refellitur.

Verùm ista expositio multa falsa supponit, ex quibus nonnisi falsum potest deduci.

Falsum est 1. duos à Daniele Christos distingui.

Falsum est 2. Cyrum esse Christum, seu Principem ac Ducem, de quo Daniel.

Falsum est 3. Sacerdotium tempore Antiochi Epiphanis pollutum, nomine Christi à Daniele potuisse designari.

Falsum est 4. priores hebdomades à subsequentibus divelli posse; quæ quatuor capita jam antea evicimus.

Falsum est 5. exitum sermonis, à quo hebdomades initium ducunt, esse tempus colloquii Angeli cum Daniele: sed ex jam dictis, exitus ille sumendus est ab Edicto *ut iterum ædificetur Jerusalem*.

Falsum est 6. septuaginta hebdomades ita dividi & explicari posse, ut septem priores intra spatium aliarum concludantur: sed istud longè absurdius est, septem priores ducere ab anno 21. captivitatis, reliquas autem consequentes ab exordio ejusdem captivitatis; sic etenim posteriores hebdomades priùs inciperent quàm priores, quod per sese absurdissimum est.

Falsum est 7. septuaginta hebdomadibus aliam dimidiam addendam esse: medietas enim illa est septuagesimæ, id est hebdomadis postremæ.

Falsum est 8. primum Darii annum, quo Angelus Danieli primò apparuit, incidere in annum 21. captivitatis Babylonicæ; incidit enim in annum 68. Duobus etenim dumtaxat annis Darius Medus in Assyria regnavit, cui successit Cyrus, qui anno primo Imperii captivitatem solvit, ut colligitur ex cap. 25. Jeremiæ v. 11. & 12.

Falsum est 9. tres illas hebdomadas quas in fletu ac planctu testatur Daniel se transegisse, esse hebdomadas annorum: repugnat manifestè sacer Contextus, quo patet fuisse hebdomadas dierum. *Lugebam*, ait Daniel cap. 10. v. 2. *trium hebdomadarum diebus*. Et v. 3. *Neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.*

Falsum est 10. Danielis vaticinium sub Antiocho Epiphane, annis ante Christum 175. impletum fuisse. Namque tametsi Rex ille impius, dictus primò Epiphanes, hoc est illustris, tùm Epimanes, id est furiosus, durè admodum Judæos vexaverit, direpto ac profanato Templo; attamen desolatio, de qua loquitur Daniel, non sub Antiocho Epiphane, sed longè postea, nonnisi post occisum Christum, in ultimo nempe Urbis & Gentis

Gentis excidio sub Tito Vespasiani filio, contingere debuit, declarante vel ipsomet Christo apud S. Matth. cap. 24. v. 15. eam ætate sua non advenisse, sed postea futuram: *Cùm ergo*, inquit, *videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto; tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes* &c. Deinde verò in tempus quo regnavit in Syria Antiochus Epiphanes, cadere non possunt quæ prædicit Daniel: peccato finis impositus non est, nec adducta justitia sempiterna; unctus non est sanctus sanctorum; civitas Jerusalem expugnata quidem, at non eversa & solo æquata, ut postea sub Tito contigit; occisus non est Christus: desolatio itaque perpetua non fuit; paulò post enim Judas Machabæus deletis Antiochi copiis, Jerusalem ingressus est, ac mundato & expurgato Templo, & Deo cultum, & nationi suæ pacem restituit.

Tertia interpretatio.

Sunt inter Judæos, qui Danielis vaticinium de Christo quidem seu de Messia intelligunt, eumque tandem post septuaginta hebdomadarum spatium venturum, non tamen determinando an adventus ille futurus sit intra spatium septuaginta illarum hebdomadarum, an immediatè post illas expletas; sed indefinitè ac indeterminatè illum venturum expectant post septuaginta hebdomadas elapsas.

Sunt etiam inter illos, qui contendunt numerum septuaginta hebdomadarum apud Danielem, non esse certum ac determinatum, sed indeterminatum & indefinitum, pro more Scripturæ quæ numerum certum pro incerto, perfectum pro imperfecto frequenter usurpat. Ita Osee cap. 6. v. 3. dicitur: *Vivificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos*. Matth. 18. v. 22. *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Apocal. 7. v. 5. signantur *duodecim millia* ex Tribu Juda, &c. quibus profectò in locis numerus certus pro incerto sumitur. Ergo pariter, inquiunt, apud Danielem numerus certus septuaginta hebdomadarum pro incerto ponitur: unde colligunt, vi hujus vaticinii probari apertè non posse jam advenisse Messiam; sed hoc unum, illum aliquando venturum esse.

Refellitur.

I. Quia Daniel tam disertè designat ac distinguit illas hebdomadas, & quidquid intra periodos illarum eventurum est, nempe intra spatium septem hebdomadarum Civitatem ædificandam; post verò hebdomadas sexaginta duas venturum esse Messiam & occidendum; tandem in dimidio ultimæ hebdomadæ finem hostiis ac sacrificiis imponendum esse: tam disertè, inquam, Daniel ista distinguit ac secernit, ut mirum sit illa confundi ac perturbari posse.

II. Etsi nonnunquam in Scripturis certus numerus pro incerto sumatur, non tamen hæc generalis regula est, quasi nullibi certum ac determinatum numerum assignaret Scriptura, præsertim verò in illo septuaginta hebdomadarum numero, cujus finis ac subjecta materia demonstrant numerum illum certum ac definitum esse. Finis quidem: non alius enim esse

videtur, quàm ut Daniel afflictum populum soletur & erigat spe brevì finiendæ captivitatis, ac venturi Messiæ qui à jugo æternæ ac spiritalis servitutis eum liberaturus erat. Quàm frigida porrò fuisset consolatio, si tempus indefinitum proposuisset! Deinde, subjecta materia est adventus Messiæ: at Scriptura procul dubio certum ac determinatum hujus adventus tempus assignat; omnis etenim Judæorum spes ac cogitatio in hunc adventum intenta semper & erecta erat. Porrò, si annorum numerus apud Danielem incertus & indefinitus esset, in suspenso semper hæsisset Judæorum spes & expectatio. Adde quòd cùm septuaginta illæ hebdomades in certos quosdam historicos eventus futuros distribuantur, necesse est numerum annorum indefinitum non esse, sed certum ac determinatum.

Quarta interpretatio.

Quartam interpretationem addit recentior Judæus, Isaac Orobio Hispalensis, in Colloquio quod habuit cum Philippo à Limborch è secta Remonstrantium, Amstelodami Theologiæ Professore anno 1686. quod anno 1687. typis excusum fuit sub hoc titulo, *Philippi à Limborch de veritate Religionis Christianæ amica Collatio cum erudito Judæo. Goudæ apud Justum ab Hoeve ann.* 1687. Interpretationis hujus duplex pars est.

Prima est: promissum quidem Judæis sub conditione Messiæ adventum intra spatium septuaginta hebdomadarum, si nempe intra istud spatium Judæi resipiscerent, ac seriam agerent pœnitentiam; quam cùm non egerint, dilatum esse ait Messiæ adventum.

In secunda verò parte contendit, *Danielem per Messiam non intelligere Messiam seu Christum filium Davidis, sed primum Sacerdotem, qui cum & post Nehemiam regnavit, utrumque jus & Ecclesiasticum & quasi regium in populum exercens; qui ideò vocetur* dux & unctus: *quo mixto Sacerdotum regimine, populus per sexaginta duas hebdomadas variis cum fortunis perseveravit. Tandem in medio septuagesimæ, ultimo Sacerdote* Ananeo *occiso*, additur, *& non ei, id est, non ampliùs successor aliquis fuit; isque appellatur simpliciter* unctus, *non* Princeps, *quippe jam à pluribus annis regiam potestatem Herodianæ Domus occupaverat.*

Refellitur.

Prima quidem pars: quia nullum est in vaticinio Danielis appositæ conditionis vestigium; ac tantùm abest ut Deus Messiæ adventum distulerit ob non peractam à Judæis pœnitentiam, ut is sit, vel fatentibus Judæis, adventus Messiæ finis futurus, nempe ut Judæos convertat, *cor lapideum auferat, & cor carneum eis det.* Itaque prædicit quidem Angelus populi peccatoris excidium; sed simul Messiæ adventum, & cruentam ipsius mortem. Et verò Judæos veteres in vaticinio Danielis Messiam verum intellexisse, patet ex Josepho qui L. 7. cap. 12. de bello Judaico ait: *Quod Judæos maximè ad bellum excitavit, responsum erat ambiguum, itidem in sacris Libris inventum, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus Imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multique*

Ezech. 11. v. 19. & 36. v. 26.

tique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur Imperium, qui apud Judæam creatus est Imperator. Josephus quidem oracula Prophetarum de Messia, turpi adulatione ac per violentam detorsionem de Vespasiano interpretatus est: sed interim ex ipsius narratione liquet, Judæos ita intellexisse Prophetarum vaticinia, ut tempus adventui Messiæ destinatum tunc effluxerit; & quodnam aliud fuit in Prophetis vaticinium, quod adventus ipsius certum tempus, quod quidem antequam adimpleretur aliquatenus dignosci potuit, prædefinivit, præter hanc Danielis prophetiam de septuaginta hebdomadibus, quas jam aut completas esse, aut saltem ad finem vergere deprehendebant? Ergo vaticinium hoc de Messiæ adventu intellexerunt.

Secunda verò pars refellitur, quia in ea expositione multa supponuntur, quorum quædam veritati historiæ manifestè adversantur, quædam valdè incerta ac probatu difficillima.

I. enim *per Messiam ducem* intelligit primum Sacerdotem, cumque ait cum Nehemia, post elapsas septem ab exitu sermonis pro ædificanda Jerusalem hebdomadas, regnasse. Atqui primus Sacerdos fuit Jesus seu Josua, qui rediit cum Zorobabele, & mox, cùm populus rediisset, Pontificatum gessit: Nehemias verò invenit Eliasib Sacerdotem magnum, Nehemiæ seu Esdræ 2. cap. 3. v. 1. qui fuit tertius, & Jesu nepos, Esdræ 2. c. 12. Non ergo, juxta illam explicationem, primus Sacerdos post elapsas septem hebdomadas demum restitutus fuit, nec proinde hic intelligi potest per Messiam ducem.

II. Ait *primum illum Sacerdotem & omnes eum sequentes, spatio sexaginta duarum hebdomadarum, jus Ecclesiasticum & quasi regium simul in populum exercuisse.* Atqui primi illi Sacerdotes longa serie splendore illo quasi regio planè destituti fuerunt: vixerunt subjecti Imperio Regum Persarum, & postea Syro-Macedonum; illud Imperium demum initium sumpsit in Machabæis, ut colligitur ex Josepho L. 11. 12. & 13. Antiquit. Judaic. Atqui inter Nehemiam & Judam Machabæum intercesserunt anni circiter trecenti; hæc itaque explicatio nullo modo cum historica veritate potest conciliari. Accedit, quòd neque conciliari possit cum vulgata Judæorum opinione, de duratione Templi secundi. Statuit enim post elapsas septem hebdomadas, ad necem usque ultimi Sacerdotis, elapsas esse sexaginta duas hebdomadas cum dimidia, & in fine ultimæ Templum excisum; intercesserunt ergo inter Templi restaurationem & ejus excidium, sexaginta tres hebdomades, seu anni quadringenti quadraginta & unus: communis autem Judæorum opinio fert, Templum secundum stetisse annis quadringentis & viginti; itaque hic discrimen occurrit annorum viginti & unius. Istud observare necesse non esset, nisi Judæi, quando de hac prophetia contra Christianos disputant, ita morosè urgerent, ipsum annum præcisè indicandum esse quo hebdomadæ illæ compleantur; contendantque, nisi illæ præcisè eodem anno quo Christus occisus est, finem habere comprobentur, nihil exinde concludi posse. Itaque, ut æqua sit ex utraque parte lex ac conditio, necesse est ut eorum calculus exactè omnibus prophetiæ circumstantiis respondeat.

Aliqua etiam in adducta expositione obscura sunt, incerta & dura. Quòd

enim velit per Messiam ducem alium intelligi, quàm verum ac propriè dictum Messiam seu Christum Davidis filium, non patitur orationis continua nec interrupta series, quæ unum & eumdem designat Messiam. Si dicat, unicuique diversum temporis intervallum attribui, atque unum dici venturum post septem, alterum exscindendum post sexaginta duas hebdomadas: dicemus nos, id ex textu sacro probari non posse; sed longè commodiùs utrumque numerum in unum debere conjungi, ita ut ab exitu sermonis usque ad Messiam elapsuræ dicantur hebdomades septem & sexaginta duæ. Neque istud abhorret à stylo Prophetarum, qui quandoque numerum integrum in particulas secant, ut Ezechielis 45. v. 12. *Viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli mnam faciunt.* Neque minùs contortum est, ut mox diximus, quod Auctor supponit, sub conditione dumtaxat futuræ Judæorum pœnitentiæ, promissum ipsis fuisse Messiam intra spatium septuaginta hebdomadarum venturum.

Probatur secundò, Danielis vaticinium in Christo impletum fuisse.

Tota hujusce vaticinii difficultas posita est in figendo initio ac fine septuaginta illarum hebdomadarum, quæ eo gravior est, quòd obscurior sit Regum Persarum Chronologia: inde tanta hac in parte sententiarum varietas. S. Hieronymus in caput 9. Danielis, accuratè recenset Africani, Eusebii, Hippolyti, Apollinaris, Clementis Alexandrini, Tertulliani varias expositiones, ipse verò suum proprium suspendit judicium, nec quidquam in hac tanta opinionum varietate audet pronuntiare.

De initio & fine septuaginta hebdomadarum apud Danielem.

Observandum 1. communi Scripturæ usu hebdomadas esse vel septem dierum, vel septem annorum. Pro diebus hebdomades sumuntur, Levitici 23. v. 15. & 16. ubi dicitur: *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies.* Eodem sensu hebdomadas sumit Daniel, cùm ait c. 10. v. 2. se luxisse *trium hebdomadarum diebus.* Sumuntur verò hebdomades pro annis, Levitici 25. v. 8. ubi dicitur: *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem; quæ simul faciunt annos quadraginta novem .... Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipse est Jubilæus.*

Certum porro istud videtur, septuaginta hebdomadas apud Danielem annorum esse, non dierum: septuaginta quippe hebdomades annorum efficiunt annos nonaginta supra quadringentos; septuaginta verò hebdomades dierum efficiunt dies 490. id est, annum cum quatuor mensibus. Atqui certum omnino videtur, apud Danielem non dies, sed annos computari: tùm quia istud spatium dierum brevius & nimis angustum est tanto implendo mysterio: tùm quia reipsa illo dierum 490. intervallo nihil eorum contigit, quæ à Daniele prænuntiantur; non capta civitas, non attritus populus, nec Christus occisus &c.

Nec

Nec te moveat quòd Daniel distinctè ac clarè annos non appellaverit. Namque 1. more Prophetarum loquitur obscurè ac involutè. 2. Solet Scriptura ubi de hebdomadibus dierum agit, distinctè dies illos designare: cùm igitur eos non exprimit, de annis intelligenda est. Inde facile est explodere nonnullorum inter Judæos figmentum, qui, ut eludant definitum à Daniele tempus adventus Messiæ jam diu effluxisse, supponunt apud illum septuaginta hebdomades esse vel Olympiadum, quarum quælibet quatuor constabat annis; vel Jubilæorum, qui quinquagesimo quoque anno recurrebant; vel sæculorum, quorum quodlibet annis centum definitur. Namque septuaginta hebdomades Olympiadum efficiunt annos mille nongentos & sexaginta: septuaginta verò hebdomades Jubilæorum efficiunt viginti quatuor millia annorum cum quingentis: si autem intelligantur hebdomades sæculorum, duplicandus est ultimus iste numerus. Verùm absurdum planè ac ridiculum videtur, hebdomades illas sic intelligi posse. 1. Quia nullum extat in Scripturis hujusce interpretationis exemplum. 2. Quia scopo ac consilio Spiritus sancti planè adversatur. Mens quippe Danielis erat, ut afflictum populum solaretur, ac in spem brevì futuræ liberationis, ipso adveniente Messia, erigeret: frigidum profectò solatium, cujus complementum nonnisi post tot sæculorum tractum rejiciendum erat. 3. Daniel assignat futurum Messiæ adventum ante Urbis ac Templi ruinam; imò calamitatem Judæorum refundit, tanquam in causam, in mortem Christi cujus illi rei sunt. 4. denique, Judæi non solebant tempus per Olympiades computare; usus enim ille à Græcis inductus est, occasione Ludorum Olympicorum.

Observandum 2. septuaginta illas hebdomades computari debere ***ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem***, id est, à promulgato eo Regis Persarum Edicto, quo Judæis potestatem fecit instaurandæ Urbis. Ut igitur earum initium certò figatur, inquirendum est, quis Persarum Rex, & quo Regni sui anno, Edictum illud in gratiam Judæorum emisit.

Observandum 3. quatuor à Regibus Persarum data fuisse in gratiam Judæorum Edicta. Primum à Cyro, anno Imperii sui primo, L. 1. Esdræ cap. 6. v. 3. Secundum à Dario Hystaspe, quo prius Cyri Edictum confirmatur, L. 1. Esdræ cap. 6. Tertium ab Artaxerxe Longimano, anno Regni ejus septimo, L. 1. Esdr. c. 7. v. 7. Quartum denique ab eodem Artaxerxe Longimano, anno Imperii ipsius vigesimo, L. 2. Esdr. c. 2. v. 1.

Observandum denique, Artaxerxem qui Regni sui annis 7. & 20. in gratiam Judæorum Edictum emisit, esse Artaxerxem Longimanum, non Memorem, ut Scaligero placuit. Namque Artaxerxes Memor Regnum obtinuit anno periodi Julianæ quater millesimo trecentesimo, ante æram Christianam quarto supra quadringentesimum; adeòque annus ejus vigesimus concurrit cum anno periodi Julianæ quater millesimo trecentesimo vigesimo nono, ante æram Christianam ter centesimo octogesimo quarto, quo anno superstes non fuit Nehemias, nisi vitam ejus ad annum ætatis nonum & trigesimum supra ducentesimum producamus; siquidem unus fuit eorum qui sub Cyro cum Zorobabele ascenderunt, anno periodi Julianæ quater millesimo centesimo septuagesimo octavo, ante æram Christianam sexto & trigesimo supra quingentesimum. His præobservatis

PRIMA CONCLUSIO.

Hebdomades ſeptuaginta Danielis inchoandæ non videntur, aut ab Edićto Cyri, anno ipſius Regni primo; aut ab Edićto Darii Hyſtaſpis; aut ab eo quod tulit Artaxerxes, anno Regni ſeptimo.

Probatur: Quia ab eo Edićto Regis Perſarum inchoandæ ſunt hebdomades ſeptuaginta Danielis, quod Judæis poteſtatem fecit iterum ædificandæ Jeruſalem. *Ab exitu ſermonis*, ait Angelus Danieli, *ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea & muri &c.* Atqui triplex illud Cyri, Darii & Artaxerxis anno ſeptimo Edićtum de ſolo Templo fuit, non de Urbe ac muris excitandis.

I. enim de Cyro hæc leguntur L. I. Eſdræ c. I. v. I. *In anno primo Cyri Regis Perſarum . . . . ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri*. Et v. 2. *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jeruſalem quæ eſt in Judæa.* V. 3. *Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Jeruſalem, & ædificet domum Domini Dei Iſrael.*

Neque eſt quòd opponas, Iſaiæ 45. ſuſcitatum à Deo Cyrum qui Civitatem ædificaret: v. 13. *Ego ſuſcitavi eum ad iuſtitiam, & omnes vias ejus dirigam: ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus.* Non eſt, inquam, quòd id opponas. Namque, ut obſervat S. Hieronymus in hunc Iſaiæ locum, non ſub Cyro, ſed ſub Nehemia Civitas ædificata fuit; & verba Iſaiæ non de Cyro ad litteram intelligenda ſunt, ſed nobiliori ac ſpiritali ſenſu de Chriſto ipſo, qui ibidem v. 16. dicitur *Verè Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator*. Quanquam, etſi litteraliter de Cyro verba citata interpretari placeret, non ipſa materialis civitatis ſtructura intelligenda foret, ſed civilis in eadem civitate coadunatio, quam Cyrus permiſit, cùm populum in patriam ſuam liberum dimiſit: vel denique per civitatem, non muros, non turres & alia propugnacula intellige, ſed taguriola quædam ſeu domunculas, in quas noćtu ſeſe recipere poſſent qui Templo ædificando allaborabant.

II. Edićto Darii Hyſtaſpis dumtaxat renovatur & confirmatur Edićtum Cyri. L. I. Eſdræ c. 6. v. 3. *Anno primo Cyri Regis, Cyrus Rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, quæ eſt in Jeruſalem.*

III. Neque Artaxerxes ſuo Edićto anno ſui Imperii ſeptimo, poteſtatem facit rursùs ædificandæ civitatis Jeruſalem, ſed tantùm Templi reſtaurandi, liberi Religionis, ſacrificiorum ac cæremoniarum exercitii. Lege caput 6. Lib. I. Eſdræ v. 15. & caput 7. ferè integrum. Et certè Eſdras cap. 3. L. I. narrans quæ ex Cyri Decreto Judæi fecerant, ſolius Templi mentionem facit; & cap. 4. v. I. dicitur: *Audierunt autem hoſtes Judæ & Benjamin, quia filii captivitatis ædificarent Templum Domino Deo Iſrael.* Et v. 24. conqueritur Eſdras, quòd hoſtium invidia intermiſſum opus illud fuiſſet, quod permiſerat Cyrus. *Tunc*, inquit, *intermiſſum eſt opus domus Domini in Jeruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Darii Regis Perſarum.* Opus autem domus Domini Templum deſignat, non muros civitatis. Certum alium-

aliunde est, Artaxerxem anno Imperii sui 20. à Judæis è patria redeuntibus audivisse, muros Jerusalem eversos adhuc sub ruina jacere, ac portas igni esse combustas, sicut Nehemias narrat Lib. 2. cap. 1. v. 3. Et cap. 2. v. 13. refert quo pacto ipsemet, suscepto in Judæam itinere, propriis oculis viderit vera esse quæ audiverat; unde ibidem v. 17. Judæos sic compellat: *Jerusalem deserta est, & portæ ejus consumptæ sunt igni: Venite, & ædificemus muros Jerusalem.*

Neque est quòd dicas, Artaxerxem anno Imperii septimo omnibus Esdræ petitionibus annuisse. L. 1. Esdræ cap. 7. v. 21. *Ego Artaxerxes Rex, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcumque petierit à vobis Esdras Sacerdos, absque mora detis.*

Resp. nihil tunc temporis à Rege petiisse Esdram, quod murorum Civitatis ædificationem spectaret, sed tantum ea quæ ad Templum & ad Religionem pertinerent, quod quidem ex una lectione citati cap. 7. L. 1. Esdræ manifestum est.

SECUNDA CONCLUSIO.

Septuaginta hebdomades Danielis inchoandæ videntur ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani.

Probatur: Quia ab illo anno rectè possunt ac debent inchoari septuaginta Danielis hebdomades, quo emissum est Edictum *de iterum ædificanda Jerusalem*, & à quo usque ad Christum occisum impletæ probantur septuaginta illæ hebdomades, seu anni 490. Atqui anno 20. Artaxerxis emissum est Edictum de iterùm ædificanda Jerusalem, & ab illo anno ad Christum usque occisum, septuaginta illæ hebdomades impletæ probantur; ergo à vigesimo anno Artaxerxis possunt & debent inchoari septuaginta Danielis hebdomades.

Prima pars minoris propositionis manifesta est ex L. 2. Esdræ cap. 2. integro, præsertim autem v. 8.

Disputant inter se Critici, unde primùm numerandus sit vigesimus Artaxerxis annus: an ab eo tempore quo à patre Xerxe in Regni societatem vocatus fuit, an ab eo quo mortuo Xerxe solus regnavit, de qua controversia lege Huetium Demonstr. Evang. Propositione 9. cap. 8. nu. 8. Sunt enim qui existimant cum Petavio, Pererio & aliis, pro more apud Persas recepto, Artaxerxem cùm annos natus esset duodecim, à patre Xerxe, cùm ad bellum se pararet, in Regni societatem assumptum fuisse; atque ab ista cooptatione numerandos censent Imperii Artaxerxis annos: alii è contra opinantur. Verùm quæcunque pars eligatur, certum est vigesimo Artaxerxis anno emissum esse Decretum de ædificanda Jerusalem; atque jamdiu effluxisse tempus septuaginta hebdomadibus definitum. P. 439.

Secunda ejusdem minoris propositionis pars declaratur, quia Daniel totum illud septuaginta hebdomadarum spatium in tres quasi partes dividit: primò in septem, tùm in sexaginta duas, denique in unam hebdomadam; & unicuique veluti parti suum historicum futurum eventum assignat. Atqui si septuaginta illarum hebdomadarum initium in vigesimo Artaxerxis anno figatur, omnia quæ Daniel intra illud spatium temporis eventura prænuntiat, reipsa evenisse probantur, & ipse numerus annorum 490.

(qui

(qui in septuaginta hebdomadibus includitur) elapsus evincitur.

Minor probatur: Quia si statuamus Artaxerxem Longimanum ad Regnum pervenisse anno periodi Julianæ quater millesimo ducentesimo quadragesimo primo, vigesimus ejus annus incideret in annum periodi Julianæ quater millesimum ducentesimum sexagesimum, mundi ter millesimum quingentesimum quinquagesimum; si adjeceris sexaginta novem hebdomadas annorum, hoc est annos tres & octoginta supra quadringentos, habebis annum mundi quater millesimum trigesimum tertium, æræ Christianæ trigesimum, quo baptisatus est Christus, & ducem agere cepit ministerio verbi Dei. Cùm igitur mense Nisan exierit illud Artaxerxis Edictum Nehemiæ datum pro ædificanda Civitate, septem hebdomadarum spatio, hoc est annis 49. absoluta Civitas est. Quamquam enim muri Urbis celerrimè ob imminentes undequaque hostes diebus 52. fuerint erecti, attamen platea, ut loquitur Daniel, publica ædificia, strata viarum, fora, porticus, cisternæ, aquæductus, & alia id genus quæ disturbaverat Nabuchodonosor, instauranda erant, & quidem in angustia temporum, ut Propheta loquitur, propter frementes & undequaque irruentes hostes; unde alia manu ædificabant, & alia contra hostes pugnabant. Sequuntur deinde 62. hebdomades quæ ab illa perfecta Civitatis instauratione fluxerunt, donec Christus ipse Messias advenerit, cui tota postrema hebdomas septuagesima consecrata est. Quamobrem à primo Paschate quod Christus post Baptisma celebravit, incipit annus primus septuagesimæ & ultimæ hebdomadæ, in qua fœdus confirmatum est multis: Pascha autem nostrum Christus, legalibus sacrificiis imposito fine, immolatus est ineunte anno quarto, sive in medio postremæ ejusdem hebdomadæ; tuncque defecit hostia & sacrificium, sicut Angelus Danieli prædixerat. Annus ille quartus fuit Olympiadis ducentesimæ secundæ; Julianus, quadragesimus octavus; æræ vulgaris, trigesimus tertius; Tiberii Cæsaris, decimus nonus; hebdomadum Danielis, quadringentesimus octogesimus septimus. Postea verò exitum habuere septuaginta hebdomades: tunc dissipatum est Sanctuarium, Civitas solo æquata, gens tota dispersa.

In ista porrò septuaginta hebdomadarum explicatione non usi sumus annis lunaribus, cum nonnullis Theologis, qui cùm ab anno vigesimo Artaxerxis ad Christi mortem reperiant tantùm annos solares 469. aut annos 475. vel 477. juxta varium computandi modum, coguntur ad annos lunares confugere, qui solaribus breviores sunt undecim diebus. Namque necesse non videtur ad hujusmodi annos recurrere. 1. quia non videntur Judæi annos illos lunares in usu habuisse: menses quidem Judæorum, Lunæ: at anni Solis cursu dirigebantur, quod patet ex Festis eorum quotannis eodem tempore celebratis, Exodi 23. v. 15. 16. Levitici 23. v. 10. Deuter. 16. v. 13. 2. Anni captivitatis 70. quorum Daniel meminit, solares haud dubiè erant; qui fieri ergo posset, ut Daniel in eodem capite loquens de septuaginta hebdomadibus annorum, annos diversi generis seu lunares intelligeret? Quamquam parùm refert an prædicti anni apud Danielem solares sint an lunares, cùm isti ad illos mensis intercalatione redigantur: ad lunarem enim annum solari coæquandum, solebant Judæi secundo aut tertio quolibet anno mensem intercalare, seu quolibet octennio tres menses embolismos adjicere, quod jam olim à Mosis temporibus usitatum tradit Abenesra. Neque

que lunares annos intelligere cogit isthæc angelica & prophetica loquendi ratio, *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt*: quia scilicet ita nuncupantur, vel quia decisæ sunt ac definitæ à Deo, ut fert verbum hebræum, quòd nempe ex incerto ac indefinito tempore ad certum & constitutum spatium prophetico vaticinio ac divina ordinatione contractus sit Messiæ adventus; sive quòd ex longiore intervallo, quod ab initio mundi fluxit, brevissimum restabat; quomodo in senectute vita hominis abbreviata dicitur. Vel denique hebdomades illæ abbreviatæ dicuntur, quia, ut observat Ill. Huetius Demonst. Evang. Prop. 9. art. 8. nu. 9. non effluxerant totæ, nec cursum suum absolverant, cùm cruci affixus est Christus; septuagesima quippe hebdomada adhuc erat in cursu: quam interpretationem simplicissimam appellat doctissimus Auctor. Ad hæc accedit veterum Scriptorum & SS. Patrum auctoritas, Julii Africani, Chrysostomi, Hieronymi, Theodoreti, Bedæ &c. Qui plura de hoc Danielis vaticinio scire voluerit, consulat Synopsim Criticorum, Huetium, Petavium, Pererium. P. 441.

Dices 1. Falsò supponitur in ea quam propugnamus sententia, annum Artaxerxis Longimani vigesimum incidere in annum periodi Julianæ 4260. & in annum tertium Olympiadis 81. Id autem verum non videtur, nisi velis Artaxerxem ad Regnum pervenisse anno 4241. periodi Julianæ, & anno quarto Olympiadis 76. Atqui Artaxerxes regnare tunc non cœpit: Xerxes quippe regnavit viginti & ampliùs annis, ut Historici narrant; Regnum autem primò iniit anno periodi Julianæ 4229. & anno quarto Olympiadis 73. Ergo non potuit Regnum inire Artaxerxes ejus filius & successor, anno periodi Julianæ 4241. & Olympiadis 76. anno quarto; alioqui Xerxes regnasset dumtaxat per duodecim annos.

Resp. neg. min. Revera etenim Artaxerxes Regnum adiit anno periodi Julianæ 4241. & anno quarto Olympiadis 76. Probatur verò ex Eusebio in Chronico, ubi scribit Themistoclem Græcia profugum ad Persas confugisse anno quarto Olympiadis 76. Thucidides autem Auctor coætaneus, L. 1. asserit Themistoclem *confugisse ad Artaxerxem Regem, qui nuper regnare cœperat*. Ergo in istud tempus conjici debet initium Regni Artaxerxis: sive duodecim tantùm annos regnaverit Xerxes, eoque mortuo Regnum dumtaxat inierit Artaxerxes; sive à Xerxe adhuc tunc regnante, Artaxerxes, pro Regum Persarum more, in Imperii consortium ascitus fuisset.

Dices 2. Falsò etiam supponitur, in supputandis septuaginta hebdomadibus Judæos annis solaribus, non lunaribus usos fuisse. Namque hoc supposito, vitiosa est supputatio; quia finis elapsarum hebdomarum non incidit in tempus mortis Christi, sed post illam decem annis & ampliùs: siquidem initium hebmodamarum desumitur ab anno 20. Artaxerxis Longimani; septuaginta verò hebdomades annorum solarium efficiunt annos 490. Atqui ab anno 20. Artaxerxis Longimani ad Christi mortem, non effluxerunt nisi anni 480. non verò 490. Ergo &c.

Resp. 1. cum Illustrissimo Huetio, ultimam hebdomadam omninò completam non fuisse, cùm Christus cruci affixus fuit, sed in cursu adhuc fuisse; quod satis est ad demonstrandam prophetiæ Danielis veritatem, *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacri-*

sacrificium. Atque hoc sensu contendit Illustrissimus Auctor, hebdomadas illas dici à Daniele abbreviatas.

Resp. 2. cum multis Scriptoribus, si non à morte præcisè Xerxis numeretur initium Regni Artaxerxis, sed ab anno circiter duodecimo quo antea à patre in societatem Regni vocatus fuit, non ampliùs redundare decem illos annos, sed in ipsa Christi morte impletas fuisse septuaginta hebdomadas, seu annos 490.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Præteriti adventus Messiæ, ex Templi secundi gloria, apud Aggæum & Malachiam Prophetas.

Aggæus & Malachias Prophetæ prædicunt, stante secundi Templi gloria, quæ priori longè major futura erat, venturum Messiam, qui Templum istud secundum præsentia sua esset illustraturus. Cùm igitur jam dudum Templum istud secundum funditùs & absque ulla instaurationis spe destructum sit, necesse est illo adhuc stante venisse Messiam.

En Aggæi verba c. 2. v. 4. & seq. *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Et v. 7. *Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam, & movebuntur omnes gentes; & veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum... Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quàm primæ.... Et in hoc loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Clarum est Prophetam eò loci Templum secundum cum primo comparare, atque secundum altero præstantius & excellentius in eo esse, quòd *Veniet desideratus cunctis Gentibus*, pacem secum allaturus, qui præsentia sua novum istud Templum illustraturus est. Hoc ipsum confirmat Malachias c. 3. v. 1. his verbis: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.*

Unde sic arguimus: Major prædicitur futura secundi Templi gloria, quàm primi; atque statim ac Templum istud secundum, quod prophetante Aggæo inchoabatur, absolutum fuerit, in illud Messias venturus dicitur, *statim veniet ad Templum suum Dominator*, ait Malachias: atqui non aliunde Templi secundi gloria major futura erat, quàm quòd præsentia sua Messias illud ornaturus esset, *Statim veniet ad Templum suum*: si *statim*, non ergo post tot annorum millia, ut ajunt Judæi. Porrò duo hìc omnibus perspecta sunt, 1. jamdiu absolutum fuisse sub Zorobabele Templum illud secundum ad quod venire debuit Messias. 2. jamdiu sub Tito illud funditùs dirutum fuisse, absque ulla spe instaurationis; ergo concludendum adversùs Judæos, jam diu advenisse Messiam, quem adhuc frustra illi venturum expectant.

Neque verò diffiteri possunt Judæi, quin in hoc utroque vaticinio de Messia sermo sit. In quem enim alium cadere possent notæ ac characteres quibus

bus depingitur? Quis præter ipsum futurus erat Gentium expectatio, pacis auctor, & novi fœderis Angelus? Quis *in Templum suum venturus*, & ad cujus adventum cœlum & terra commovenda erant? Unde major Templi hujus, ad quod venturus erat, gloria, quàm ex ipsa Messiæ præsentia & majestate? Quæ porrò illa pax, quam Templi Dominator allaturus erat? Non terrena certè ac temporalis: nemo etenim ignorat, & Templum hoc secundum violatum fuisse à Seluco, Antiocho, Pompejo & Tito; Judæos multis malis oppressos fuisse, atque etiamnum tristem & ignominiosam ubique vitam trahere. Pax ergo illa spiritualis ac cœlestis erat futura, quam ipsi Angeli nato Messia populis annuntiarunt, Lucæ 2. v. 14. *Gloria in altissimis Dei, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Reponunt Judæi majorem illam Templi secundi gloriam referri vel ad majorem ædificiorum Templi pompam, divitias, ornamenta, munera; vel ad durationem, quia secundum istud Templum durare debuit annis 420. id est, decennio plus quàm steterit primum.

Verùm 1. leviora ista sunt, quàm ut majorem Templo Dei gloriam conciliare dici possint; nec de rebus hujusce modi caducis tam magnificè loqueretur Deus, ut propterea commoveri debeat cœlum & terra. 2. Deus disertè profitetur se Templi gloriam ex illis rebus infirmis non æstimare: *Meum* enim *est argentum*, ait loco citato Aggæi v. 9. *meum est aurum*: quasi diceret, Ornare possem, si vellem, Templum istud, multò magis quàm ornatum fuerit Templum Salomonis; *Meum* enim *est argentum*, *meum est aurum*: sed ornabo illud re longè præstantiori, Filii mei scilicet præsentia, qui est gloria Israel. 3. Qualiacunque sint munera & dona quæ Darius, Artaxerxes, Herodes, aliique Principes ad Templi structuram & ornatum contulerint, nusquam æquare, multò minùs superare potuerunt gloriam ac splendorem Templi Salomonis, in quo erant præcipua ista decora & ornamenta, Arca fœderis, ignis perpetuus, virga Aaron, oleum sanctum, spiritus prophetiæ, præsentia Dei in Propitiatorio, Urim & Tummim, quæ omnia in secundo Templo defuisse non diffitentur ipsimet Judæi.

Fingunt nonnulli, verba Aggæi referri posse ad aliquod tertium Templum, quod Herodianum dicunt, quòd fuerit ab Herode constructum, altero vetustate collabente.

Verùm putidum istud figmentum est. Namque 1. loquitur Aggæus de Templo quod à fundamentis excitari Judæi videbant, quod indigitabat Propheta his verbis, *Domus ista*. 2. Hæc Judæis dicebat Aggæus, ad solatium & spem melioris eorum fortunæ: quid porrò solatii percipere potuissent Judæi, si de alio Templo, & quidem sub mundi finem futuro, locutus ille fuisset? 3. Templum secundum, de quo Aggæus, ita funditùs à Tito eversum fuit, ut nulla prorsus illius iterum excitandi spes affulgere possit: unde qui sub Adriano, vel Juliano istud tentarunt, irrito conatu tentarunt, ac erumpentibus è terra flammis ab opere deterriti fuere, ut narrat Ammianus Marcellinus L. 3. Hist. Templum ergo quod vocant Herodianum, hoc ipsum est Templum secundum Zorobabelis, quod Herodes ornavit ac ditavit, cujus partes aliquas vetustate collapsas aut reparavit aut amplia vit super iisdem fundamentis, maxima saltem ex parte. Vide Baronium in Apparatu, Cornelium à lapide in Aggæum.

QUAR-

QUARTUM ARGUMENTUM.

Jam præteriti adventus Messiæ, ex signis quæ adventum ejus aut comitari, aut subsequi debuerunt.

Firmum ac inconcussum est quod ex illis signis sumitur, contra Judæos, adventus Messiæ argumentum; adeo scilicet splendida illa sunt, & ad omnem obstinati animi pertinaciam frangendam comparata.

Spectantur autem illa signa, ex parte vel Messiæ, vel Judæorum, vel Gentilium.

Ex parte Messiæ.

Nativitas ex virgine Isaiæ 7. v. 14. Nasci debuit ex virgine, in urbe Bethlehem, intra tempora Imperii Assyriorum, Persarum, Macedoniorum & Romanorum; in morte ipsius Sol obscurandus erat & terra concutienda, quæ certè omnia tam conspicua sunt, ut à nemine, qui sanæ mentis fuerit, negari possint.

I. Nasci debuit ex virgine: Isaiæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium*; & *vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Cui oraculo consonat & istud Jeremiæ 31. v. 22. *creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.* Impletum autem legimus oraculum Matth. 1. v. 18.

Duo reponunt Judæi. 1. voce hebræa, *Halma*, non virginem, sed puellam seu juvenculam significari: sic reipsa nomen istud vertunt Symmachus, Aquila, & Theodotion. 2. verba Isaiæ laudata de Messia intelligi non posse, sed vel de Ezechia, vel de filio ipso Isaiæ.

Probatur verò his momentis.

I. Quia nusquam Christus Emmanuel appellatus fuit, sicut ab Isaia appellatur.

II. Quia Messiæ adventus, qui tanto post temporum intervallo venturus erat, in signum liberationis Judæorum mox futuræ, dari non potuit: quid enim solatii capere inde potuissent?

III. Ille de quo loquitur Propheta, *butyrum & mel comedet*; *ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* An verò hæc in Messiam Deum cadere possunt, quæ & ignorationem quamdam, & profectum in bono denotant?

IV. Rasin Rex Syriæ, & Phacce Rex Israelis dicuntur ab Isaia è Judæa pellendi, antequam puer ille qui promittitur, sciat reprobare malum & eligere bonum: atqui de Messia hæc intelligi non possunt; namque paulò post editum hoc Isaiæ vaticinium, expulsi sunt duo illi Reges, Christus autem verus Messias nonnisi multis postea sæculis mundo illuxit.

Resp. 1. falsò prorsus Judæos asserere, voce hebræa, *Halma*, non virginem, sed simpliciter puellam seu juvenculam significari. Obstat enim 1. nativa verbi, à quo nomen *Halma* derivatur, significatio, à verbo scilicet *halam*, quod est abscondere: puellam igitur denotat absconditam, quæ nulli viro pateat. Obstat 2. usus Scripturæ, quæ nomen *Halma* usurpat ad virginem significandam, seu puellam, ait in locum Isaiæ citatus sanctus Hieronymus, *quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit.* (To. 3. p. 71.) Hoc sensu sumitur Gen. 24. v. 42. Exodi 2. v. 8. Deuter. 22. v. 19. Ruth. 4. v. 12. Hoc sensu etiam interpretantur, qui Judæis suspecti esse non pos-

possint, septuaginta Interpretes & Paraphrastæ Chaldæi, Onkelos & Jonathan. Nec audiendi Symmachus, Aquila & Theodotion, qui studio partium & affectu in Judæos abrepti & excæcati, aliter reddunt vocem hebræam *Halma*. Symmachus quippe fuit è secta Ebionitarum, qui B. Virgini Dei matri suam integritatem virginalem detrahebant; Aquila verò & Theodotion Judæi proselyti fuerunt, ac Christo recentiores. Obstat 3. scopus & consilium Isaiæ, qui ut Achaz Judæorum Regem in urbe Jerosolymitana à Rasin & Phacee Regibus Syriæ & Israelis obsessum, ac de salute quasi desperantem confirmet, & in spem erigat futuræ liberationis per manum omnipotentis Dei, in signum & argumentum hujus omnipotentiæ, rem planè novam ac stupendam, cujus nullum hactenus extiterat exemplum, ipsi proponit, futurum nempe, *ut virgo concipiat & pariat filium*; ac quasi à majori ad minus arguit, nempe: Si potest Deus efficere ut Messias nascatur è virgine, quantò magis te à duobus illis Regibus liberare? Porrò si nomine virginis Propheta puellam vel juvenculam simpliciter intellexisset, ex cujus cum viro consortio filius nascatur, quid, quæso, in eo mirum? quid insolitum ac stupendum? Ita passim arguunt S. Justinus Dial. cum Tryphone Judæo, Tertullianus L. contra Judæos c. 9. Origenes L. 1. contra Celsum, Eusebius L. 7. Demonstr. Evang. S. Hieronymus in locum citatum Isaiæ.

Resp. 2. Isaiæ vaticinium ad alium, quàm ad Christum referri non posse, quia characteres in eo expressi nulli alteri adaptari possunt. Cui enim adaptarentur? An Ezechiæ filio Regis Achaz? at jam natus erat Ezechias, cùm oraculum istud emisit Propheta. Rex enim Achaz decimo sexto Regni anno è vivis excessit, L. 4. Reg. c. 16. v. 2. & anno ætatis 25. Ezechias sedit in Regno patris sui; igitur tempore obsidionis Jerosolymitanæ novem circiter annos ille attigerat: quo pacto ergo de illo nascituro Isaiæ vaticinium intelligi potest? An filio Isaiæ? at filius prior Isaiæ nomine Jasub jam natus erat, & cum patre ad Regem accesserat. Præterea Isaias uxorem suam, non *virginem*, *sed prophetissam* appellat, Isaiæ 8. v. 3. Non filius posterior Isaiæ, nomine *Maherschalalchazbaz*, qui paulò post in lucem prodiit, qui & re & nomine distinguitur ab Emmanuele, ibidem cap. 8. v. 3. *Dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci &c.* Et certè nullus præter Christum excogitari potest, qui ab Isaia dictus fuerit *Emmanuel*, Deus nobiscum, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.

Neque momenti ac ponderis quidquam habent quę proferuntur à Judæis momenta.

Non primum: Matth. enim cap. 1. v. 23. post ista verba Isaiæ, *Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium*, statim addit: *Et vocabunt nomen ejus, Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus*. Ergo verè Christus Dominus Emmanuel vocatus est. Quamquam verbum *vocare*, ibi sumi potest pro *esse*, ut sensus sit, *Et erit Emmanuel, id est, Nobiscum Deus*: quo sensu ipse Isaias cap. 9. v. 6. de eodem Christo ait, *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*. Et Jeremiæ cap. 23. v. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*.

Non

Non secundum: Namque 1. nec absurdum est, nec ab usu Scripturæ abhorret, rem longè post eventuram dare in signum rei non multò post futuræ. Ita L. 1. Regum cap. 2. v. 35. dicitur: *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni & Phinees: In die uno morientur ambo.* Et Jeremiæ 44. v. 29. *Et hoc vobis signum*, ait Dominus, *quòd visitem ego super vos in loco isto: ut sciatis quia verè complebuntur sermones mei contra vos in malum. Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree Regem Ægypti in manu inimicorum ejus*: quæ prophetia impleta fuit anno mundi 3433. quando Pharao in certamine prope Memphim habito captus est, tum laqueo suffocatus. 2. Duo tunc temporis anxium maximè tenebant Regem Achaz; primum, an si Jerusalem in potestatem hostium veniret, tota Judaica natio & regia familia penitus extingueretur? Alterum, an Judæi tunc à furore duorum illorum Regum liberandi forent? Quid verò his in circumstantiis Isaias? Exemplo stupendi prodigii, quod Deus operaturus est, cùm *virgo concipiet ac pariet filium*, certam spem facit, nec gentem, nec regiam stirpem, ex qua nasciturus erat Messias, tunc extinguendam fore; sicque dejectos Judæorum animos erigit, ac fiduciam inspirat in divinam omnipotentiam, quæ res eorum tametsi desperatas, potest in melius brevi convertere.

Non tertium: Quis enim non videat, his verbis, *Butyrum & mel comedet*, Messiæ humanitatem ac puerilem ætatem designari? Istis verò, *ut sciat probare malum & eligere bonum*, non ignorationem, (*in ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*) sed experimentalem, ut ajunt, scientiam: unde dicitur *profecisse sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*, Luc. 2. v. 52.

Coloss. 2. v. 3.

Non quartum: Namque antequam puer (Messias) sciat reprobare malum & eligere bonum, id est, ad eam ætatem perveniat in qua infantes usu rationis frui vulgò incipiunt, versùs annum sextum aut septimum, revera duo illi Reges fugati sunt; quamquam nonnisi post multa sæcula puer ille nasciturus esset. More scilicet Prophetarum obscuro & involuto loquitur Isaias, ac rem longiùs dissitam, quasi proximè futuram repræsentat, ad solatium Judæorum, eorumque fiduciam in Deum excitandam & confirmandam.

To. 2. p. 13. n. 6.

Sunt qui cum Grotio Comment. in caput 1. S. Matth. existimant sensu litterali & historico *virginem*, de qua Isaias, esse ipsius uxorem, quæ virgo adhuc editi vaticinii tempore Isaiæ nupsit, tum *prophetissa* vocata fuit; puerum verò, de quo dicitur, *Antequam sciat reprobare malum & eligere bonum* (duo illi Reges expulsi erant,) esse filium ipsum Isaiæ adhuc infantem, quem secum adducere jussus fuerat, cùm ad Regem accederet, cui infanti *Schearjasub* boni omnis nomen, ad spem Judæorum excitandam, inditum fuerat: ita ut huic infanti duo nomina sint imposita, primum quidem *Emmanuel*, quo ostenderetur Deus ita adesse Isaiæ ejusque liberis, ut quæ verbis signisque per ipsos essent prænotata, eadem certò evenirent; deinde verò *Maherschalalchbas*, qua voce significabatur brevi imminere Assyrii adventum, ad spoliandam Syriam ac Samariam. *Atque hoc est quod ait Isaias*, pergit Grotius, *se filiosque suos à Deo datos in signum & documentum populi: vaticinii sui certitudinem nullis humanis consiliis impediendam, repetita exclamatione Emmanuel velut obsignans*. Hæc Grotius, qui addit statim: *Hic*

Hic quidem nobis videtur simplex primòque obvius esse sensus verborum Isaiæ, in quibus tamen mysterium seu arcanum esse de Christo Christum agnoscentibus liquidò apparet &c. Ibid. n. 23.

Volunt alii verba ista, *Antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum*, nec ad Messiam, nec ad filium Isaiæ, nec ad ullum alium speciatim, sed generatim ad quemlibet puerum referenda esse; ita ut iste sit verborum Prophetæ sensus, Antequam elapsi fuerint anni cuilibet puero necessarii, *ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, duo illi Reges in fugam convertentur, hoc est, ante sex aut septem annos.

Verùm utraque hæc interpretatio ingeniosa quidem, sed Christianæ fidei minùs consona videtur. 1. Quia citata Isaiæ verba tanquam de Christo unicè dicta laudat ac profert S. Matth. c. 1. v. 23. nefas igitur ea in alium transferre. 2. Stupendi cujusdam prodigii loco proponit Isaias nasciturum ex virgine Messiam, *Virgo concipiet ac pariet filium*; atque inde illæso virginitatis flore natum ex Maria Christum Ecclesia semper intellexit. Porrò si nomine *virginis* uxor Isaiæ intelligeretur, quæ virgo quidem nupsit, sed virgo subinde non permansit, nec quidquam hìc occurreret novum ac insolitum, nec roboris aliquid haberet argumentum quod Ecclesia ex verbis Isaiæ ducit ad probandam beatæ Mariæ in partu virginitatem: prodigium quippe in eo est, quòd virgo permanens virgo mater fiat. Unde hac in parte, uxor Isaiæ, quæ virgo quidem nupsit, sed virgo non permansit, Mariæ Dei genitricis figura & typus esse non potuit; ac consequenter falsa esset Isaiæ prædictio, cui eventus non responderet. Quid verò dici potest Religioni Christianæ noxium magis ac periculosum? 3. Secundus ille Isaiæ filius re ac nomine, ut jam observatum fuit, distinguitur ab Emmanuele, Isa. 8. v. 3. & 8. 4. Gratis fingitur nullum hìc speciatim designari puerum, sed generatim tantùm. Namque observant hebraicè periti, in hebræo textu pronomen demonstrativum *hic* adhiberi; adeoque certum quemdam ac determinatum puerum ab Isaia designari, Messiam nempe filium Mariæ; aliàs hæc Isaiæ prophetia ad Christum nullatenus pertineret: id verò non patitur evangelica veritas, Matth. 1. v. 18.

II. Messias nasci debuit in urbe Bethlehem, Micheæ 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: Ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*, quod impletum fuisse narrat S. Matth. cap. 2. v. 1. *Cùm natus esset Jesus in Bethlehem Juda*. Et v. 5. & 6. sciscitabatur à Judæis Herodes, *ubi Christus nasceretur*: at illi dixerunt, *In Bethlehem Juda: sic enim scriptum est per Prophetam*. Refert deinde S. Matth. verba Micheæ mox laudata. Accuratè igitur exitus seu eventus prophetiæ respondet. Secundum signum. Nasci debuit Messias in urbe Bethlehem.

Tertium signum, quo conspicuus maximè futurus erat adventus Messiæ, assignat Daniel cap. 2. venturum scilicet Messiam intra tempora quatuor nobilissimorum Orbis Imperiorum, hoc est, Assyriorum, Persarum, Macedoniorum & Romanorum. *In diebus autem regnorum illorum*, ait Daniel c. 2. v. 44. *suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum*. Et c. 7. postquam illa quatuor regna quatuor variis bestiis designavit, sic pergit v. 13. & seq. *Aspiciebam* Tertium signum.

ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit; & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur . . . . Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, & obtinebunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculorum. Hæc porrò non alium designant, quàm Messiam. Non alius tunc temporis universa Orbis Imperia jugo suo subjecit; non alius subditos habuit, qui & sancti, & reges dici possent; non alius denique, cujus regnum usque in sæculum sæculorum esset duraturum: neque id diffitentur Judæi doctiores. Vide Huetium Prop. 7. nu. 20. pag. 377. & seq. Unde obtinuit communis inter illos opinio, Messiam, vigente Imperio Idumæorum, seu Romanorum, venturum esse, Huetius Prop. 9. c. 8. n. 4. p. 433.

Opinio Judæorum de venturo Messia, vigente adhuc Romanorum Imperio, circa annum mundi quater millesimum.

Atque hinc circa hoc ipsum tempus, versùs annum scilicet mundi quater millesimum, Messias ab omnibus expectabatur. Ita Simeon, Lucæ 2. v. 25. *expectabat consolationem Israël; & responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Sic illi quos ibidem v. 38. alloquitur Anna Prophetissa, *expectabant consolationem Israel.* Atque ubi prædicare cœpit Joannes Baptista, Judæi sciscitabantur, numquid ipse Christus foret, Joan. 1. v. 15. & 19. Et ipsemet Joannes hac spe plenus, Matt. 11. v. 3. duos è suis discipulis misit ad Christum, qui ab eo postularent an ipse esset, qui venturus erat, an alium expectare deberent. Quapropter adeo confidebant Judæi, tunc suum Regem Messiam venturum esse, à quo excusso Romanorum jugo liberandi forent, ut bellum adversùs Romanos tunc temporis susceperint: ita rerum eventus divina providentia disponente, ut quæ decreta fuerat in pœnam rejecti & occisi Messiæ, ultima & consummata eorum ruina & desolatio, eorum temeritati imputaretur. Ita Josephus L. 3. de bello Judaico c. 28. & L. 7. c. 31.

Quin & ad Paganos ipsos hæc eadem in persuasio pervasit, ut jam observavimus. Svetonius in Vespasiano cap. 4. *Percrebuerat*, inquit, *Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Idem asserit, ubi de Nerone loquitur cap. 40. Huetius Propos. 7. n. 33. pag. 392. Tacitus pariter L. 5. Hist. *Pluribus*, inquit, *persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judea rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant.*

Inde nonnulli post Christum natum, eò temeritatis adducti sunt, ut se Christum esse à Prophetis promissum, & tunc temporis venturum, affirmarent: inter quos insignis fuit *Barchochebas*, seu filius stellæ, qui cùm Judæos ad bellum contra Romanos, quo tandem oppressi sunt, movendum excitasset, subinde *Barchzibab, id* est, filius mendacii dictus est: de quo vide Eusebium, & alios apud Huetium Propos. 7. nu. 33. pag. 392. & Propos. 9. pag. 397. Simon etiam magus & Dosithæus Samaritani, idem quoque nomen apud suos usurparunt, Huetius Propos. 7. n. 33. p. 392. Herodem ipsum à pluribus ut Messiam habitum, narrant. Quin & Josephus pudenda adulatione quæ de Messia prædicta sunt, refert ad Vespasianum.

Quar-

Quarto denique loco, signa jamdiu præteriti Messiæ adventus sunt defectio Solis, terræ concussio, mortuorum resurrectio, aliaque stupenda prodigia quæ in morte Christi, universa spectante plebe, contigere, sicut Evangelica Historia fidem facit, & quæ jamdiu futura prænuntiata fuerant. Solis deliquium prædixerat Amos cap. 8. v. 9. *In die illa*, inquit, *occidet sol in meridie & tenebrescere faciam terram in die luminis*. Solemnis illa quæ contra naturæ leges eclypsis contigit in plenilunio, ac insolitus terræ motus narrantur à Phlegonte L. 13. Olympicorum Chronicorum, atque in aliis Etnicorum Commentariis reperiri testatur in Chronicis Eusebius, quos inter præcipua est Thalli auctoritas, quem Libro Historiarum suarum tertio, eamdem eclypsim memorare scribit Africanus. Unde Tertullianus Apolog. c. 21. causam Christianorum apud Paganos agens, in testimonium ac probationem hujusce miraculi, laudat ipsorum Tabularia & publica Instrumenta. *Eodem modo*, inquit, *dies medium orbem signante Sole subducta est: deliquium putaverunt qui id quoque super Christo prædicatum nescierunt; & tamen eum mundi casum relatum in archiviis vestris habetis*.

Quartum signum.

P. 20. C.

Signa ex parte Judæorum.

Duo sunt inter alia, conspicua maximè, ex parte Judæorum signa præteriti Messiæ adventus. Primum est, illum venturum esse cùm adhuc staret Respublica Judæorum, vigeret Legis ac Sacrificiorum usus: alterum, post occisum Christum dissipandam esse gentem omnem, sine ulla Tribuum distinctione, sine Duce, sine Templo, sine Sacrificiis. Utrumque autem illud splendidum signum reipsa impletum fuit.

I. Stante adhuc Republica Judæorum venire debuit, ac reipsa venit Messias. Isaiæ c. 8. v. 14. *Erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis & in petram scandali, duabus domibus Israel; in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem*. Ad quæ verba alludit S. Lucas c. 2. v. 34. & S. Paulus Rom. 9. v. 31. Rursus Isaias c. 28. v. 14. & 16. *Audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem . . . . Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum*. Jam paulò antè audivimus prophetantem Malachiam c. 3. v. 1. *Veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis; & Angelus Testamenti, quem vos vultis*. Ergo stante adhuc Templo secundo, ac vigente Religionis ac Sacrificiorum exercitio, venire debuit Messias, ac de facto illum venisse testantur Evangelistæ.

II. Post occisum Christum, quem Judaica perfidia turpissima & crudelissima morte affecit, Gens tota in pœnam tanti sceleris dissipanda fuit, ac tristissima servitute ubique premenda; quod etiam ad litteram à Prophetis prædictum fuit, & jamdiu impletum videmus. Danielis 9. v. 26. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*. Populus ille venturus, sunt Romani; Dux verò Titus, qui Jerusalem expugnavit ac funditùs diruit, ut verè dixerit Christus: *Non remanebit lapis supra lapidem*. Osee 3. v. 4. *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, &*

sine theraphim: cujus quidem prophetiæ eventum seu complementum tristi experientia jam à multis sæculis sentiunt Iudæi; non à septuaginta tantùm annis, qui terminus fuit captivitatis Babylonicæ, nec à ducentis, quibus duravit servitus Ægyptiaca, sed à mille septingentis & ampliùs annis: ad quæ si misera Gens vel leviter attenderet, haud dubiè intelligeret jam diu advenisse Messiam ab ipsis rejectum ac morti traditum, ac frustra prorsus & in vanum ab ipsis venturum expectari.

Ex parte Gentilium.

Illustre ex parte Gentilium argumentum adventus Messiæ petitur, ab extincto scilicet idolorum cultu, & conversione Gentium ad veri Dei notitiam & adorationem Gen. 12. v. 3. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*. Ibidem c. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium*. Psal. 2. v. 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Isaiæ 2. v. 2. & seq. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem.... Incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illa, & idola penitùs conterentur*. (Ibid. v. 1.) Et cap. 31. v. 7. *In die illa abjiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum*. Jam verò negare non possunt Judæi, jam diu toto terrarum orbe extinctam esse idololatriam; Legem Christi ad omnes ferè gentes ac nationes pervasisse; ejus Ecclesiam circumquaque diffundi, atque in conspectu omnium, velut civitatem supra montem positam, quæ abscondi non potest, summa luce præfulgere. Ergo fateantur vel inviti necesse est, Messiam, quem in vanum adhuc expectant, jam diu adventasse.

QUINTUM ARGUMENTUM

Preteriti Messiæ adventus, ex testimonio Josephi, L. 18. Antiquitatum. c. 4.

Christianorum causam adversùs Judæos juvare maximè debet famosum ac domesticum in gratiam Christi, Josephi viri Judæi & inter Judæos celebratissimi, testimonium. Sic ille loquitur L. 18. Antiquit. Judaic. cap. 4. *Fuit autem hoc tempore Jesus, vir sapiens; si tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magister hominum qui vera libenter amplectuntur; & plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cùmque eum à Primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primùm cœperant: nam post tertium diem redivivus ipse apparuit, cùm divini Vates hæc aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.*

Mirum certè videri debet, esse inter Christianos critices tam intemperantis viros,

viros, qui adeò illustre viri Judæi testimonium nobis Christianis eripere tentaverint, & quidem levissimis, ut nobis videtur, ducti conjecturis. Testimonium illud Josephi, tanquam adulterinum, & à primis Christianis pia fraude confictum rejiciunt Osiander, Gifanius, Montacutius, Capellus uterque, Blondellus, Tanaquillus Faber, & alii. Sunt inter nostros timidi, qui nec rejicere audent, nec apertè admittere, sed rem veluti in ancipiti suspensam relinquunt. Alii denique palam & apertè tanquam genuinum ac verum tuentur. Momentum istud more suo doctè ac eleganter pertractavit Illustrissimus Huetius Demonstr. Evang. Propos. 3. à n. 11. usque ad 19.

CONCLUSIO.

Testimonium Josephi de Christo, nobis verum ac genuinum, nec ullas falsitatis ac suppositionis notas præferre videtur.

Probatur 1. ex Codicum sive manuscriptorum, sive typis editorum consonantia; omnes enim verba Josephi citata summo consensu repræsentant.

2. Ex auctoritate Veterum, qui testimonium illud agnoverunt ac commendarunt. Ita Eusebius L. 3. Demonst. Evang. pag. 124. & L. 10. Hist. Eccl. c. 11. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. in Josepho, S. Isidorus Pelusiota L. 4. Epist. 225. Sozomenus L. 1. Hist. c. 1. Cedrenus, Nicephorus, *P. 32. & seq.* Suidas, & alii.

3. Josephi solertia & diligentia in describenda domestica Judæorum Historia, non patitur eum de Jesu Christo siluisse, cujus causa tot commotiones inter Judæos excitatæ sunt; qui tot stupenda & supra omnium hominum memoriam prodigia edidit, ac sectæ tot & tantis persecutionum procellis agitatæ, caput & parens fuit: maximè cùm Josephus Joannis Baptistæ ac Jacobi, quem fratrem Jesu appellat, mentionem cum laude fecerit, quorum tamen & fama & merita non tantæ celebritatis fuere, ac Christi.

4. Series sermonis; aptus & quasi è re natus de Christo dicendi locus, ubi nempe de Pilato loquitur; similitudo styli, & modi loquendi Josepho familiares, hujus testimonii genuinam veritatem demonstrant.

5. Verisimile non videtur, testimonium illud Historiæ Josephi pia Christianorum fraude assutum fuisse seu additum: tùm quia fraudis ac mendacii redargui facilè potuissent, & ita velut falsarii ac impostores, ad publicam fidei Christianæ invidiam & ignominiam traduci: tùm quia si tale quid audere voluissent, longè adhuc disertius & expressius confinxissent testimonium.

Longè igitur vero similius apparet, istud Josephi testimonium à Judæis, odio in Christum, ex nonnullis ejus codicibus expunctum fuisse; hincque subinde factum, ut nec S. Justinus, nec Tertullianus, nec alii ex Antiquis nonnulli, testimonium istud Judæis, quos impugnabant, opposuerint, quòd nempe in mendosos illos codices incidissent, quos subinde correctos & integros habuere Eusebius, Hieronymus, & alii. Hanc conjecturam firmat Baronius ad an. Chr. 34. n. 221. ubi testatur, *in codice pervetusto, in quo Josephi Historiæ è Græco in Hebraicum sermonem translatæ*, *To. 1. p. 254.*

antiquitùs scriptæ sunt, cùm Romæ ejus de Christo testimonium requireretur, per summam perfidorum impudentiam, abrasum inventum fuisse, adeò ut nulla ad excusandum scelus posset afferri defensio, cùm membrana ipsa id exclamare videretur. Hæc Baronius.

Expenduntur & refelluntur momenta contra veritatem testimonii Josephi.

Opponunt 1. styli discrepantiam ac varietatem; periodi ipsius cum iis quæ antecedunt & sequuntur, nullam prorsus cohærentiam, imò maximam ab ipsis dissonantiam.

Verùm hanc styli discrepantiam subodorati non sunt viri illi sagaces Eusebius, Hieronymus, Isidorus, & alii qua veteres, qua recentiores, qui hocce testimonium pro vero ac genuino Josephi textu agnovere. Præterea, disjuncta non est periodus nec aliena, sed cohæret maximè cum iis quæ Historicus narrat de Pilato, ac quasi è re ipsa nascitur: quamquam etsi non ita cohæreret, quid inde adversarii consequi possent? Nemo quippe ignorat, Josephum, non rerum, sed temporum seriem & ordinem sequi, ac res diversas & prorsus disparatas narrationes in unum & idem caput conferre.

Opponunt 2. nonnullos Josephi codices, in quibus laudatum testimonium non reperitur. Sed quid mirum? Mendosi illi sunt, ac Judæorum fraude corrupti & interpolati, sicut ex Baronio mox audivimus. Confirmari potest ex vetusto Josephi codice latino qui in Bibliotheca Sorbonica asservatur, in quo quidem desideratur laudatum testimonium; sed (quod observandum) deest folium, in quo eum locum describi oportuit; descriptam enim fuisse hanc historiam in folio quod deest, constat ex Lemmate capitulorum hujus Libri, ubi de Domino Jesu Christo diserta mentio habetur.

Opponunt 3. Veterum silentium, Justini, Tertulliani, qui adversùs Judæos congressi, tam splendidum testimonium non prætermisissent, si verum ac genuinum ipsis visum fuisset: nec etiam à S. Clemente Alexandrino, nec ab Origene, Theodoreto, imò nec à Photio laudatum illud fuit, qui sua in Bibliotheca codice 238. ubi summarium & censuram Josephi proponit, non tantùm de nostro testimonio silet, sed etiam nonnihil addit codice 48. quo apertè satis innuit, Josephum de Christo ea non scripsisse, quæ hìc à nobis referuntur. Namque expendens Librum *De universo*, qui ab aliquibus Josepho tribuitur, inde ostendit Opusillud Josephi non esse, quòd in eo Christus dicatur esse Deus, ac ipsius æterna generatio describatur, quod à Josephi mente prorsus alienum esse Photius arbitratur; ac consequenter spurium & suppositium, quod ex L. 18. Antiquitatum Judaicarum tam disertum in gratiam Christi Dei profertur testimonium.

Jam observavimus, nonnullos è Veteribus, Justinum, Tertullianum, &c. istud Josephi testimonium Judæis, cum quibus disputabant, non opposuisse: sive quia mendosis ac corruptis Josephi codicibus utebantur, sive quia sufficere arbitrabantur tot præclara & eximia quæ opponebant, Prophetarum de Christo Messia vaticinia.

Ad Photium quod spectat, certum est illum in sua Bibliotheca noluisse absolutissimum Antiquitatum Judaicarum Epitomen exscribere, cujus quatuordecim

cùm priores Libros prætermisit; & in suis, quæ ad nos pervenerunt, excerptis, multa refert, quæ certè Josephi non sunt: v. g. cùm ait, *Herodem filium fuisse Antipatris Idumæi, & Arabissæ, nomine Cypris; sub eo natum esse Christum Deum nostrum pro salute Judæorum, & quidem ex virgine matre*, &c. quæ certè verba Josephi non sunt. Sicut ergo potuit Photius nonnulla tanquam ex ipso laudare, quæ ipsius non sunt, ita potuit & nonnulla omittere quæ ipsius sunt. *Phot. Bibl. p. 967. n. 30.*

Cùm verò idem Photius codice 48. Librum *de Universo*, propterea Josepho abjudicat, quòd de Christo ejusque æterna generatione clariùs loquatur, non affirmativè, sed dubitanter loquitur Photius, nec ex sua propria, sed aliena sententia; atque clarè innuit, non satis firmam sibi videri hanc recusationis Libri *De Universo*, rationem. *Quæ res*, inquit, *ambigendi fortaße cuipiam causam præbeat, sitne hoc Josephi Opusculum*. Parùm verò juvat, quod addunt, verba Josephi non eodem modo ab auctoribus referri: varietas quippe illa in legendo Veterum textu, frequentissima est, quæ sensum ipsum, ut plurimùm non spectat, sed aliquam dumtaxat verborum immutationem. *Ibid. p. 35. nu. 30.*

Opponunt 4. Origenem Tom. 11. in Matth. & L. 1. contra Celsum, ubi disertè profitetur Jesum à Josepho nunquam pro Christo agnitum fuisse. Idem affirmat Theodoretus. Et verò, quomodo Josephus Christum verum Messiam agnovisset, qui oracula Prophetarum de venturo Messia Vespasiano Imperatori accommodat?

Respondemus, Origenem & Theodoretum, non immeritò dicere, Christum à Josepho verè cognitum non fuisse: sive quòd reipsa non crediderit eum verum esse Deum; atque cùm scripsit, *Hic erat Christus*, non ex sua privata loquebatur fide ac scientia, sed ex vulgari appellatione, quia scilicet ita Christus nuncupabatur, ut sensus sit, *Hic erat qui vocabatur Christus*, sicut conceptis verbis scripsit L. 20. cap. 8. & sicut ipsemet reddit S. Hieronymus, *Et credebatur esse Christus*. Judæi scilicet Jesum sic designare solebant, Matth. 1. v. 16. *De qua natus est Jesus qui vocatur Christus*. Et cap. 27. v. 17. *Quem vultis dimittam vobis*, ajebat Pilatus, *Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?* Vel si reipsa interiùs Christum Deum agnovit Josephus, exteriùs ipsum non est professus; ac secum ipse pugnans, facto negavit, quod animo credebat: eo ferè modo quo veteres nonnulli Philosophi, Plato, Socrates, Tullius, apud se taciti multitudinem deorum irridebant, quos tamen publicè, ne populum in se concitarent, simul cum illo venerabantur. Hac ratione ductus Origenes, affirmare potuit Christum à Josepho verè agnitum non fuisse. Jam antea observavimus, ex crassa & turpi adulatione, propria reclamante conscientia, Josephum vaticinia Prophetarum de venturo Messia, Vespasiano inscitè adaptasse.

Opponunt 5. Auctorem testimonii, quod hìc expendimus, asserere Christum non esse hominem appellandum; ergo censet illum verum Deum esse. Atqui certum est Josephum nusquam confessum fuisse Christum esse verum Deum, aliàs Christianam Religionem amplexus fuisset: imò nec ipsimet Judæi Messiam quem expectabant, verum natura & substantia Deum fore arbitrabantur.

Verùm levis ista est objectio. 1. quia vel Josephus reipsa Christum pro

vero Deo non habuit, atque oratorio dumtaxat more dixit, *eum non esse hominem appellandum*, ob stupenda scilicet prodigia quæ operabatur, quę longè suprahominis vires posita erant; vel si, quod verisimilius est, eum tanquam verum Deum agnovit, non tamen ut talem coluit, atque facto, ut jam diximus, negavit quod mente credidit: falsò autem supponitur Judæos, saltem eos qui periti erant ac Legis Doctores, non cognovisse Messiam venturum Deum verum fore. Vide quæ eam in rem diximus in nostris de Trinitate Prælectionibus.

Opponunt 6. verisimile non videri, Josephum, secta Pharisæum, tam honorificè de Christo locutum fuisse, à quo Pharisæi tam durè exagitati & objurgati fuerunt.

Resp. Josephum sola veritate superatum, quasi invitum de Christo tam præclarè scripsisse, tametsi secta Pharisæus esset, quam Christus tam sæpè oppugnavit. Plura verò de illo non addidit, quòd ejus non postularet institutum; ac timuit ne Vespasiano displiceret, si de Messia Rege plura commemoraret: imò finxit se in ea opinione versari, Vespasianum esse Messiam à Prophetis designatum.

Opponunt 7. in prætenso Josephi testimonio legi plurimos è Gentilibus ad Christum confluxisse, ejusque doctrinam amplexos fuisse; cùm tamen certum sit, ex Ethnicis unam dumtaxat & alteram mulierem, Chananæam & Samaritanam, Christo adhæsisse.

At facilis est & aperta responsio. Respicit quippe Josephus ad eam qua vivebat ætatem, anno post Christum ferè 96. quo certè tempore magna Gentilium multitudo ad Christi fidem adducta jam fuerat. Quin & Christo adhuc vivente, nonne & Centurio & Samaritani ad ejus fidem conversi sunt? Nonne multi ex Gentilibus ad eum venerunt ut eum viderent? Joan. 12. v. 20. Unde
To. 1. p. Origenes Lib. 2. contra Celsum, *Quomodo*, inquit, *Judæorum Pontifices*,
437. D. *Seniores & Scribæ invidentes ei commoti sunt contra eum, nisi quòd turbas persuasas trahebat post se? Ecce mundus totus post eum abit*, ajunt Pharisæi Joan. 12. v. 19.

Opponunt denique, Josephum, in textu quem referunt Origenes contra Celsum, & Eusebius Lib. 2. Historiæ cap. 23. causam excidii Hierosolymitani referre ad necem Jacobi, non verò Christi.

Resp. Josephum ultimam Judæorum cladem referre potiùs ad necem Jacobi quàm Christi, tùm quia genti suæ gratificari voluit, cui maximè odiosam fore præsentiebat istam tanti criminis accusationem; tùm quia Jacobi martyrium proximè secuta est illa consummata gentis Judaicæ ruina & dispersio.

SEXTUM ARGUMENTUM

Præteriti adventus Messiæ, ex miraculis Christi.

Duo separatim hic probanda sunt.

Primum, ex miraculis Christi divinam ejus missionem ac naturam invictè demonstrari. Alterum, ex comparatione miraculorum Christi cum miraculis Moysis, eò Judæos adigi, ut vel Christum agnoscant, vel Moysen rejiciant, quod septimum erit adventus Messiæ Argumentum.

Prius-

Priusquam verò rem propiùs aggrediamur, figenda statim veri miraculi idæa & notio.

Definitio Miraculi.

Miraculum est opus quoddam divinum, supernaturale, omnes humanæ naturæ vires excedens. *Miraculum voco*, ait S. Augustinus L. de utilitate credendi cap. 16. *quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet.* Et L. 27. contra Faustum cap. 3. *Quæ contra cognitum nobis solitumque naturæ cursum Deus operatur, magnalia vel mirabilia nominantur. A sæculo non est auditum*, ajebant Judæi apud S. Joan. cap. 9. v. 32. *quia quis aperuit oculos cæci nati.* Et verò Deus supremus naturæ auctor & arbiter, Legibus quas naturæ imposuit, obstrictus non est. Inde Spinosa concludit, omne veri nominis miraculum impossibile esse, quia si Deus consuetum naturæ ordinem, quem ipse statuit, immutaret, mutaretur & ipse. Ordo quippe ille naturæ, quid est, inquit ille? nisi decretum Dei æternum ac necessarium; ergo si abrumpitur ordo ille, seu consuetus naturæ cursus, consilium, seu decretum Dei mutari necesse est. At non advertit Spinosa, Deum eodem ipso simplicissimo voluntatis decreto, quo certum quemdam ac generalem rerum naturalium cursum seu ordinem præfixit, simul statuisse cursum illum in certis occasionibus ad arbitrium suspendere seu abrumpere: *Res immutat*, ait S. Augustinus, *non mutato consilio.* Quare autem immutat? quia vult: in his quippe rebus *tota ratio facti est voluntas facientis.*

T. 8. pa. 68. A. Ibid. p. 435. F. G. Spinosa. Aug. Epist. 137. al. 2. T. 2. p. 405. B.

Scriptor recentior aliam sibi finxit miraculi idæam ac notionem. Supponit ille Deum res universas generali quadam, non speciali voluntate moderari, certasque ac generales Leges statuisse, certam quandam motus mensuram, modificationes certas seu affectiones materiæ sic impressisse, ut ex earum concursu, cohærentia, collisione, uno verbo, mechanica dispositione, necesse prorsùs sit talem determinatum effectum sequi: v.g. cæco nato, de quo Joan. 9. visus restitutionem, ad quam nos quidem infirmi ac ignari mortales, velut ad miraculum, attoniti hæremus ac stupemus, quamquam reipsa nec quoad modum, nec quoad substantiam veri nominis miraculum sit, cùm naturæ leges non superet, imò ex ipsis necessariò sequatur; nec alio titulo miraculum habendum sit, quàm quòd novum est, inauditum, insitatum, nobisque prorsus incognitum.

Scriptor recétior.

Quantùm systema illud in Religionem periculi invehat, quantùm vim & naturam miraculorum elevet ac imminuat, imò & ipsimet impio Spinosæ, qui omne verum respuit miraculum, faveat, facilè demonstratur.

I. Omnium SS. Patrum ac Theologorum communi sententiæ adversatur, apud quos miraculum est opus Dei præter naturam, seu supra naturam.

II. Quæcumque supponatur motus materiæ determinatio, modificatio & configuratio partium illius, nihil certè commune habere illa potest cum illis stupendis ac planè divinis operationibus, quas Evangelistæ memorant. Quid, quæso, commune potest habere certus materiæ motus, quid lex naturæ communis ac generalis, cum unione hypostatica naturæ utriusque, divinæ ac humanæ, in Christo? Quid cum nativitate ex virgine, & divino Spiritu humanitatem Christi in utero virginis efformante? Quid cum resurrectio-

rectione à mortuis, cum expulsione dæmonis ex corpore obsessorum, cum suscitatione Lazari ex mortuis? Intelligi quidem utcumque potest, quomodo vi unionis animæ cum corpore, ex certis animæ cogitationibus, certi quidam in corpore effectus sequantur; & vicissim ex certis corporis commotionibus, certæ quædam in animo cogitationes seu affectiones exurgant: at quis intelligit quomodo certa materiæ modificatio absentem animam in corpus hominis mortui revocare possit? quomodo pariter Ananias cum uxore sua in pœnam mendacii subita morte correptus fuerit? quomodo Apostoli in die Pentecostes divino Spiritu repleti, donum prophetiæ, linguarum, & alia hujusmodi acceperint? Accedit quòd singulis momentis Apostoli mira & stupenda patrare poterant: an, quæso, singulis momentis, quasi ex condicto, opportuna occurrebat materiæ dispositio iis peragendis idonea?

III. Non generali tantùm, sed speciali, &, ut ajunt, particulari voluntate operabatur Deus in veteri Lege, cùm tot mira prodigia in gratiam Judæorum edidit, cùm Angelorum ministerio Legem promulgavir, manna dedit de Cœlo, aquam ex petra elicuit, divisit mare, Pharaonem submersit, Solem ad imperium Josue stare jussit: annon & speciali voluntate Christus Lazarum jam in sepulchro fœtidum ad vitam revocavit, dicens: *Gaudeo propter vos* (Apostolos) *ut credatis quoniam non eram ibi?* Joan. 11. v. 15. Quis facilè sibi persuadeat, ea omnia ex generali dumtaxat naturæ Lege, occasione certæ cujusdam materiæ partium dispositionis contigisse? Figmenta hæc sunt, mittamus ea.

Quæ sint in miraculo quolibet distinguenda.

In quolibet miraculo ista sunt potissimùm distinguenda, auctor, minister, finis, materia.

I. Deus solus veri miraculi auctor esse potest, quia solus omnia quæcumque vult facit, solus naturæ supremus parens est & arbiter, cui omnia ad nutum serviunt.

II. Homo quilibet, Paganus, Judæus, Hæreticus, impius, in operatione miraculorum Dei minister esse potest. Ratio est, quia virtus Dei nulli elemento, nulli signo, nulli creaturæ alligata est, sed iis ad quod vult, & prout vult, utitur; luto, ad restituendum cæco nato visum; aqua Baptismatis, ad regenerationem animæ &c.

III. Finis miraculi nusquam esse potest in testimonium seu confirmationem aut erroris aut impietatis. Ratio manifesta est, quia Deus miraculi unicus auctor, nec erroris testis esse potest, nec impietatis approbator; nec falli potest, nec fallere, cùm sit suprema veritas, suprema bonitas & justitia, neque semetipsum negare possit. Si quando igitur in patrandis miraculis Deus ministerio hæreticorum vel impiorum hominum utitur, cave putes ea fieri in testimonium seu approbationem erroris aut impietatis, sed Deus vel errorem & errantem ita vult confundere, vel catholicam aliquam confirmare veritatem, vel nostram tentare ac probare fidem, vel denique interdum obstinatam ac pervicacem punire infidelitatem, sumpta nempe ex miraculis, propter improbitatem cordis homini, majoris indurationis occasione: sicut

ficut in Pharaone contigit, qui tùm ex præstigiis suorum, tùm ex veris Moysis miraculis induratus & excæcatus fuit.

IV. denique, materia miraculi est res ipsa quam Deus operatur, quæ supernaturalis est, vel quoad substantiam, ut resurrectio Lazari, restitutio luminis cœco nato &c. vel quoad modum, ut subita & momentanea à morbo diuturno sanitatis & virium integra reparatio. His præmissis, duo asserimus.

Primum, miracula Christi certissima esse ac invicta divinæ illius missionis ac naturæ signa & argumenta.

Secundum, miracula, quæ hæretici vel improbi homines aliquando, Deo permittente, operantur, certa & indubitata non esse catholicæ eorum doctrinæ, aut vitæ probatæ argumenta: Deus etenim errori aut impietati testimonio suo favere nunquam potest.

Probatur 1. ex miraculis Christi certum & invictum colligi divinæ illius missionis ac naturæ argumentum.

Multa eaque stupenda Christum prodigia edidisse, nemo sanus inficiabitur, quæ cùm in conspectu omnium ac clarissima luce fierent, negari à Judæis non potuere, sed ea in nomine Beelzebub facta esse illi criminabantur. *Si opera non fecissem in eis*, ait Christus, Joan. 15. v. 24. *quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et cap. 10. v. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Judice igitur Christo, inexcusabiles erant Judæi, qui visis tot miraculis in eum non crediderunt. Lucæ 11. v. 20. *Si in digito Dei ejicio dæmonia*, dicebat Christus, *profectò pervenit in vos regnum Dei*; hoc est, Messias. Hæc porrò miracula in nomine Beelzebub se non operari, ostendebat Christus duplici isto argumento. 1. Quia perabsurdum est ea dæmoni tribuere, quibus ipse impugnatur ac regnum ejus destruitur. *Omne regnum in se divisum desolabitur*, ait Christus Lucæ 11. v. 17. *Si autem satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* 2. Quia si in nomine Beelzebub dæmonia ejiceret, ergo & filii eorum (Judæorum) ea pariter in nomine Beelzebub ejicere dicendi forent, quod haud dubiè Judæi ipsi non concederent. *Si ergo*, ajebat Christus ibidem v. 19. *in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt. Qui miracula facta esse non credunt*, ajebat S. Augustinus Lib. 22. de Civit. Dei c. 5. *hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quòd terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* To.7.p. 660. A.

Dices 1. Prodigia signa sunt valdè ambigua & æquivoca: namque planè incertum est, verane sint illa an falsa; dæmon quippe, quæ vera sunt, suis præstigiis sæpius fingit & imitatur. Nonne Magi Pharaonis aquas vertunt in sanguinem, sicut fecerat Moyses? Nonne pariter cum ipso virgas suas in serpentes transformant, & ranas in universam Ægyptum inducunt? Exodi 7. 8. & 9. Quin etsi supponerentur vera esse, non tamen in testimonium seu confirmationem vel fidei vel pietatis eorum à quibus fiunt, trahi semper possent. Quid ita? quia, vel ipso attestante Christo apud S. Marcum cap. 13. Pseudochristi, Pseudoprophetæ, impii, & Antichristus ipse

tam

tam multa & tam stupenda operaturi aliquando sunt, ut etiam electi, si fieri posset, in errorem inducendi forent. *Si quis vobis dixerit*, ajebat Christus Marci 13. v. 21. 22. & 23. *Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Exurgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.*

Hoc autem pendente dubio, veranè sint an falsa miracula, nulla certa regula falsa à veris secerni poterunt, nec consequenter ex iis quæ operatus est Christus, divina ejus missio & natura certò comprobari. Unde enim certa foret illa probatio? An ex persona Christi? An ex miraculis aut doctrina ipsius? Sed hæc ipsa sunt, de quibus controvertitur, nempe an Christus sit verus Messias, an vera sit ejus doctrina, an vera ejus miracula. Quòd si miracula ex doctrina, aut doctrina ex miraculis probanda est, circulus vitiosus committitur, & unum incertum ex altero æquè incerto deducitur.

Qua ratione dæmonis præstigiæ à veris miraculis secernendæ. Resp. 1. prodigia iis dumtaxat signa æquivoca videri, qui ea sedato & attento animo non considerant. Quippe si ad Ecclesiæ legem ac trutinam diligenter discutiantur omnes prætensæ actionis miraculosæ circumstantiæ, si finis, si materia, si minister, difficile non erit dolum ac fraudem detegere, verumque à falso secernere miraculum. Generalis ac certa sit hæc regula: omne quod ventitatur prodigium in confirmationem erroris aut impietatis, falsum ac spurium esse, quia Deus mendacii & impietatis testis & assertor esse non potest.

Magi Pharaonis. Ad hanc regulam si expendantur quæ coram Pharaone edita sunt à Magis portenta, ea meræ dæmonis præstigiæ videbuntur, vel oculos nostros fascinantis; vel tollentis impedimenta quæ posuerat, aut quæ tolli natura patitur, saltem occultiori vi dæmonis; vel proponentis occulta quædam opera naturæ, aut aliunde adducta, aut recens producta, applicando scilicet activa passivis. Hoc modo v. g. serpentes Magorum aliunde adduci potuerunt, & eorum virgæ subtiliter & clam subduci, Deo illud per dæmones permittente, tùm ob alias causas, tùm maximè, ut cùm mira quædam facere permissi

T. 7. p. 234. E. essent, veris miraculis vincerentur, ait S. Aug. L. 10. de Civitate Dei c. 8. Et verò draco, in quem Moyses virgam suam converteret, Ægyptiorum dracones voravit.

Potuerunt illi quidem aquam in sanguinem vertere, sicut verterat Moyses: potuerunt, ut ille, ranas in totam regionem invehere: at nec sanguinem in aquam vertere potuerunt, nec ranas ab Ægypto removere, neque

Oper. Theod. t. 1. p. 86. pariter sciniphes producere, Deo scilicet, ut observat Theodoretus, interrogatione 18. in Exodum, Magorum imbecillitatem artemque procul abesse à virtute divina, tunc manifestante; quem suum virium defectum vel ipsimet Magi ea in plaga confessi sunt, *Digitus Dei est hic*, dixerunt Exodi 8. v. 19. Tertullianus Apolog. cap. 22. graphicè dæmonum industriam de-

P. 21. A. pingit. *Omnis spiritus ales, inquit, hoc & Angeli & dæmones. Igitur momento ubique sunt: totus orbis illis locus unus est: quid ubi geratur tam facilè sciunt, quàm enuntiant. Velocitas, divinitas creditur, quia substantia ignoratur: sic & auctores interdum videri volunt eorum quæ annuntiant; & sunt planè malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam. Dispositiones etiam Dei, & tunc Prophetis concionantibus exceperunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt;*

punt; ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem dum furantur divinationem. In oraculis autem, quo ingenio ambiguitates temperent in eventus.... Benefici planè & circa curas valetudinum; lædunt enim primò, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, sive contraria, postquam desinunt lædere, & curasse creduntur.

Sunt & alia indicia quibus dæmonum præstigiæ à veris miraculis secerni possunt. 1. In hujuscemodi operibus consideranda est diuturnitas effectus & perseverantia, quæ efficax est veritatis indicium: quæ enim fictè ac fraudulenter fiunt, brevi evanescunt. Hinc Magi Pharaonis, post aliqua opera, quæ prodigiosa videbantur, deprehensi sunt deficere. Similiter falsitas miraculorum Simonis statim manifesta fuit, cùm in aera sublatus, orante Petro, confractis cruribus præceps decidit. 2. Attendendi sunt effectus quibus miraculorum veritas declaratur, quales maximè solent esse actiones vitæ, v.g. manducare, loqui in Lazaro resuscitato, videre in cæco nato, & ita de aliis. 3. Circumstantiæ quibus fiunt illa miracula: si v.g. per orationem ad Deum; si finis talium operum non sit aliquid temporale aut pravum; si adjunctum habeant aliquod Dei opus proprium, ut secretarum cogitationum manifestationem. *Finis ipse quo discernuntur*, (vera miracula) ait S. Augustinus Lib. 10. de Civitate Dei cap. 16. *incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere*. To. 7. p. 253. A.

Resp. 2. portenta quæ Pseudochristi, Pseudoprophetæ & Antichristus ipse operaturi aliquando sunt, non vera miracula, sed mera futura esse mendacia, ad seductionem erroris, ac fidei christianæ subversionem, de quibus suos Christus admonuit, ut eos cautè adversùs tot fallacias præmuniret. *Ecce*, inquit Marci 13. v. 23: *omnia prædixi vobis. Tunc revelabitur ille iniquus*, ait S. Paulus secundæ ad Thessal. 2. v. 8. & 9. *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui; & destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundùm operationem satanæ, in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt*. Nullo autem tutiori signo dignosci potest ac revinci prodigiorum illorum fallacia & mendacium, quàm ex doctrina illorum Pseudoprophetarum, quæ, cùm doctrinæ Christi adversetur, veris miraculis confirmari nunquam potest. Regulam hanc nobis præfixit S. Joannes primæ Epist. c. 4. v. 1. *Charissimi*, ait, *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus... Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris*. Eamdem regulam jam in veteri Testamento Deus præscripserat Deuter. 13. v. 1. his verbis: *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus, & sequamur deos alienos quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrùm diligatis eum, an non*. Falsum hic declaratur Pseudoprophetæ vaticinium aut prodigium, ex perverso fine ad quem ille utrumque referebat, prohibetque Deus ne audiatur.

diatur. Ex ipsa igitur doctrinæ veritate, miraculorum veritas æstimari debet; ac vicissim veritas doctrinæ, miraculis confirmari: hæc quippe duo mutuam sibi lucem & opem conferunt, nec à se invicem disjungi un-
T. 7. p. 663. C. D. quam debent. *Hæc* (miracula) inquit S. Aug. L. 22. de Civitate Dei cap. 8. *ut fidem facerent, innotuerunt; hæc per fidem, quam fecerunt, multò clariùs innotescunt.*

Ita certè in miraculis Christi factum est: tantam illa vim, splendorem tantum præ se ferebant, ut nulla arte Judæi ea eludere potuerint. A Prophetis jamdiu antea præsignata illa fuerant, ac singula quasi numerata: confirmabat ea doctrina Christi, quæ ipsamet erat Moysis doctrina; neque enim venerat *solvere Legem, sed adimplere*: vicissim ex miraculis doctrina confirmabatur: nihil hîc incertum, ambiguum nihil, sicut falsò supponit objectio; nullus, ut vocant, circulus vitiosus. Sese quippe ista mutuò demonstrant, si non in diverso causæ genere, at saltem in diverso evidentis demonstrationis gradu: miracula etenim evidentiùs statim apparent, ex quibus lucem mutuatur doctrina; ista verò semel illustrata, miraculis vim & lucem reddit, quam ab ipsis mutuata fuerat. *Hæc*, ait S. Augustinus mox citatus, *per fidem, quam fecerunt, multò clariùs innotescunt*. Quo ferè modo Ecclesia & miracula sese mutuò probant & confirmant: Ecclesia etenim ex miraculis demonstratur, non quidem quoad evidentiam vel certitudinem rei, sed quoad evidentiam & certitudinem credibilitatis; postquam enim ex miraculis credibilis facta est Ecclesia, ista vicissim miraculorum veritatem subinde judicio suo & auctoritate confirmat.

Dices 2. Cùm Donatistæ nonnulla in doctrinæ suæ confirmationem edita miracula ventitarent, S. Aug. Lib. de unitate Ecclesiæ cap. 19. reponit, litem quam cum ipsis habebat de unitate & catholicitate Ecclesiæ, ex miraculis dirimendam non esse, quæ ab hæreticis & impiis hominibus, Deo ita permittente, etiam fieri aliquando possunt, sed ex Scripturis. *Removeantur*, in-
T. 9. p. 372. A. quit, *ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus: quod cùm dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans, & ait: Ecce prædixi vobis. Unde & Apostolus admonens, Spiritus, inquit, manifestè dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus seductoribus & doctrinis dæmoniorum*. Ostendit deinde S. Doctor, exaudiri à Deo non solùm Christianos, sed & Paganos, & Judæos, & Hæreticos variis erroribus & superstitionibus deditos. Addit postea, Catholicos non asserere, *ideo sibi*
Ib. p. 373 B. C. *credi oportere, quòd in Ecclesia Christi sint, quòd eam quam tenent, commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius . . . . aut quia per totum orbem in locis sanctis tanta mirabilia, vel exauditionum, vel sanita-*
Ib. D. *tum fiunt . . . . . quæcumque enim talia in Catholica fiunt*, (pergit) *ideò sunt approbanda, quia in Catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt*.

Non tantam igitur in miraculis vim ad probandum reponit S. Augustinus, quantam nos existimamus: siquidem non ex miraculis, sed ex Scripturis controversiam dirimendam esse asseverat; neque ideò manifestam esse Ecclesiam

clesiam Catholicam, quia miracula in ea patrantur. Et certè non potest per miracula certò demonstrari quæ sit vera doctrina & vera Ecclesia, nisi priùs constet miracula illa vera esse, non falsa, non ficta: atqui constare istud non potest, nisi ex judicio Ecclesiæ; ergo non Ecclesia ex miraculis, sed miracula ex Ecclesia demonstranda sunt.

Resp. citato loco S. Augustinum hoc unum velle, miracula scilicet Scripturis anteponi non debere; atque in ea quam cum Donatistis habebat controversia, decretoriam ex Scripturis definitionem haberi. Opponebant scilicet Donatistæ, & Præsulum suorum sanctitatem, & Concilia, & apud suos edita prodigia: prolixior autem fuisset disputatio, si S. Augustinus sanctitatem Catholicorum cum Hæreticorum hypocrisi, si Catholicorum Synodos cum Hæreticorum Conciliabulis, si illorum miracula cum horum præstigiis aut prodigiis conferre voluisset; quamquam alibi sæpiùs, cùm per tempus licuit, effusam hanc pugnæ viam ingredi non detrectavit. Ut autem citato in loco breviori manu rem expediret, missis quæ ex utraque parte proferuntur miraculis, ad unam Scripturam recurrit, ut demonstret Ecclesiam intra partem Donati & Africæ limites non coarctari, sed circumquaque diffundi. *Utrùm ipsi*, ait loco citato L. de unitate Ecclesiæ, *Ecclesiam teneant, nonnisi de divinarum Scripturarum canonicis Libris ostendant*. Et Tract. 13. in Joan. num. 17. *Nemo*, inquit, *vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; & Donatus oravit, & respondit ei Deus de Cœlo. Nam aut falluntur, aut fallunt .... Teneamus ergo unitatem, Fratres mei: præter unitatem & qui fecit miracula nihil est. In unitate enim erat populus Israel, & non faciebat miracula: præter unitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant similia Moysi*. T. 9. p. 373. B. T. 3 pa. 2. p. 398. F. G. ib. p. 399. A. B.

Dices 3. Lactantius Lib. 5. Instit. divin. c. 3. refellens Philosophum quemdam, sive Porphirius ille fuerit, sive alius nescio quis, qui contendebat ab Apollonio Thianæo longè plura & majora, quàm à Christo, edita fuisse miracula, neque tamen illum aut Deum se dixisse, aut pro Deo habitum fuisse; respondet, miracula Christi, si à vaticiniis Prophetarum separentur, non sufficere ad fidem ipsi conciliandam. *Disce igitur*, ait, *si quid tibi cordi est, non idcirco à nobis Deum creditum Christum, quia mirabilia fecit, sed quia vidimus in eo facta esse omnia, quæ nobis annuntiata sunt vaticinio Prophetarum. Fecit mirabilia: magnum putassemus, ut & vos nuncupatis, & Judæi tunc putaverunt; si non illa ipsa facturum Christum Prophetæ omnes uno spiritu prædicassent. Itaque Deum credimus, non magis ex factis operibusque mirandis, quàm ex illa ipsa cruce, quam vos sicut canes lambitis, quoniam simul & illa prædicta est. Non igitur suo testimonio, (cui enim de se dicenti potest credi?) sed Prophetarum, qui omnia quæ fecit ac passus est multò antè cecinerunt, fidem divinitatis accepit: quod neque Apollonio, neque Apuleio, neque cuiquam Magorum potuit aut potest aliquando contingere*. P. 190. n. 10.

Resp. Lactantium eò loci brevitatis causa, ac seposita comparatione miraculorum Christi cum præstigiis Apollonii, de quibus se Libro secundo egisse declarat, & quorum discussio longioris operæ tunc fuisset, contendere, vel hoc uno titulo Christi miracula longè superiora esse prætensis Apollonii miraculis, quòd ista nusquam à Prophetis prænuntiata fuissent, sicut

præ-

prænuntiata sunt quæcumque fecit Christus & passus est. *Omitto nunc*, ait,
p. 289. *ipsa opera computare* (vel comparare) *quia in secundo & superiore Libro de-*
n. 40. *fraude ac prestigiis artis magicæ dixi*. Itaque Lactantius non negat reipsa miracula Christi sufficere ad fidem ipsi faciendam, sed hoc in præsentiarum gratis concesso, probat ex vaticiniis Prophetarum demonstrari vera esse Christi miracula, quod idem de miraculis Apollonii dici non potest.

Probatur 2. miracula quæ Hæretici vel improbi homines operantur, certa esse non posse sanæ illorum doctrinæ, vel probatæ vitæ signa & argumenta.

De veris miraculis hic agitur; non de falsis; nemo etenim dubitat ista dumtaxat valere ad seductionem erroris, aut impietatis demonstrationem. Quæstio igitur est, & quidem ad solvendum facillima, utrùm Deus per Infideles, per Judæos, Hæreticos, impios homines vera operari possit miracula, quæ trahi possint ad testimonium & confirmationem erroris vel impietatis.

Communis sententia est: Deum, qui supremus est naturæ Dominus & arbiter, cujuscumque ministerio creaturæ uti posse ad mira operanda; at nunquam illa trahi posse in testimonium seu approbationem erroris vel impietatis, cujus, ut jam dictum est, Deus suprema veritas ac justitia, testis & assertor esse nusquam potest. Tales fuere ii qui apud S. Matth. cap. 7. v. 22. ajunt, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus*, & *in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus*? Quibus Christus, *Nunquam novi vos, discedite à me*. Scilicet donum miraculorum ac virtutum, ad eam gratiæ speciem revocatur, quam Theologi *gratis datam* vocant, quæ tota est in utilitatem aliorum, & ad eos fines conceditur, quos divina constituit providentia. Ita vulgò SS. Ecclesiæ Doctores: unum vel alterum damus.

S. Hieronymum in caput septimum S. Matth. *Prophetare vel virtutes face-*
T. 4 pa. *re*, inquit, *& dæmonia ejicere, non est interdum ejus meriti qui operatur: sed*
1. p. 25. *vel invocatio nominis Christi hoc agit; vel ob condemnationem eorum qui invocant, aut utilitatem eorum qui vident & audiunt, conceditur; ut licèt homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cujus invocationem fiunt tanta miracula.*

S. Augustinum Lib. de unitate Ecclesiæ cap. 19. jam citato, ubi Do-
T. 9. p. natistis suorum miracula ventitantibus reponit, *Removeantur ista vel fi-*
372. A. *gmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si Hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus . . . . Porrò si aliquis in Hæreticorum memoriis orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderii sui recipit sive bonum sive malum ... Multi irato Deo exaudiuntur, de quibus dicit Apostolus: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum. Et multis propitius Deus non tribuit quod volunt, ut quod utile est, tribuat . . . . . Nonne legimus ab ipso Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis montium Judæ, quæ tamen excelsa ita displicebant Deo, ut & Reges qui ea non everterent, culparentur, & qui everterent, laudarentur? Unde intelligitur magis valere petentis affectum, quàm petitionis lo-*
ibid. F. *cum* . . . Et paulò post: *Exaudiuntur ergo multi & multis modis, non solùm* Chri-

Christiani Catholici, sed & Pagani, & Judei, & Heretici, variis erroribus & superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel à spiritibus seductoribus, qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur, Deo sublimiter atque ineffabiliter judicante quid cuique tribuendum sit: sive ab ipso Deo, vel ad pœnam malitie, vel ad solatium miserie, vel ad admonitionem querende salutis eterne. Ad ipsam verò salutem ac vitam eternam nemo pervenit, nisi qui habet Caput Christum. Idem argumentum versat S. Doctor Tract.13. in Joan. ex quo paulò antè nonnulla excerpsimus. *To.3.p.2.p.398 & seq.*

Rem totam eleganti comparatione illustrat S. Justinus respondens ad quintam Orthodoxorum quæstionem. *Sicut*, inquit, *id quod Sol oritur super malos & bonos, & id quod pluit super justos & injustos, non eo fit ut mali & injusti in malitia & injustitia sua constabiliantur, sed ut via ad justum supplicium preparetur: ita hoc ad Hereticos in errore confirmandos non fit, quòd nonnulli inter eos virtutes prestant. Nam virtutum representatio, si probatio & indicium esset vere Religionis, minimè gentium Dominus eos reprobasset, & indignos familiaritate suâ pronuntiasset, qui dixerunt: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus &c?* *Pagina 394. D*

Accedit & auctoritas Angelici Doctoris secunda secundæ q.178. art. 2. ad 3. *A malis*, ait, *qui falsam doctrinam enuntiant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem sue doctrine, quamvis quandoque fieri possint ad commendationem nominis Christi quem invocant, & virtute Sacramentorum que exhibent*. Si ergo vel improbi vel Hæretici mira quædam perpetrant, nunquam ea fiunt in confirmationem improbitatis vel erroris, sed vel ad aliquod commodum seu proximi utilitatem, quomodo facta sunt ab illo Judæo de quo S. Lucas c.9. v.49. quem cùm Discipuli Christi prohibere voluissent, ne talia tentaret, Christus v.50. dixit; *Nolite prohibere: qui enim non est adversùm vos, pro vobis est*: vel ad confirmationem alicujus catholicæ veritatis, quale illud est de alveo Baptismatis divinitùs exhausto, de quo Socrates L.7. Hist. c.17. quod sanè miraculum editum à Deo fuit, ut Baptismatis christiani, quod apud Novatianos aliosque Hæreticos, perinde ac apud Catholicos validum est, sanctitatem & characterem, unde repeti non potest, confirmaret. De miraculis vide quæ jam diximus in Tractatu de Ecclesia, T.1. à pag.146. ad pag.158.

SEPTIMUM ARGUMENTUM

Adventus Messie, ejusque divine missionis ac nature, ex comparatione seu collatione miraculorum Christi cum miraculis Moysis.

Vim ac pondus maximum apud Judæos obtinere debet præsens momentum; cùm enim illi ex miraculis Moysis fateantur illum Legislatorem à Deo specialiter missum & inspiratum fuisse, ex comparatione miraculorum Christi cum miraculis Moysis eò adiguntur, ut vel Christum verum agnoscant Messiam, vel Moysen recusent.

Missionis divinæ argumentum indubitatum esse vera miracula, seu stupenda opera, quæ vim omnem creatam excedunt, consentiunt pariter Judæi & Christiani. Moysen plura ac splendida hujuscemodi prodigia edidisse

ultro fatemur: sed longè majora & illustriora edidisse Christum, necesse est agnoscant Judæi. Unde sic arguimus: Qui ex miraculis Moysis divinam ejus missionem comprobant, ex miraculis pariter à Christo editis divinam ejus missionem ac naturam agnoscere tenentur: atqui Judæi ex miraculis Moysis divinam ejus missionem comprobant; ergo &c.

Non æqua est, reponunt illi, paritas: prodigia quippè Moysis & numero, & dignitate, & excellentia; multisque aliis titulis superiora fuere miraculis à Christo editis. At nos è contrà contendimus, longè majora & superiora esse Christi miracula.

I. Quantùm ad numerum, Judæi septuaginta sex enumerant Moysis miracula: sed esto, ita sit: (quamquam si propiùs expendantur, videbitur aut unum & idem miraculum ab illis in plura dividi; aut inter miracula id ab illis reponi, quod verum miraculum non est, licèt specialem quamdam Dei providentiam eventum illum direxisse fatendum sit, v. g. quòd à filia Pharaonis è flumine ereptus sit; aut quædam planè conficta esse, v. gr. quòd Moyses mortuus sit super ore Domini, & manibus Dei sepultus.) Sed esto, inquam, septuaginta sex prodigia operatus sit Moses, an idcircò numerum miraculorum Christi superant? minimè. S. Joannes cap. ultimo v. 25. postquam multa enumeravit Christi prodigia, *Sunt autem*, pergit, *& alia multa quæ fecit Jesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, Libros.*

Hyperbolica quidem est isthæc loquendi ratio, qualis illa Dei ad Abrahamum, quòd semen ejus æquaturum esset stellas Cœli & arenas maris; sed interim maximam multitudinem, cujus iniri numerus non possit, designat. Revera etenim Christus singulos gressus suos aliquo benefico prodigio signabat, de quo in Actibus Apostolorum cap. 10. v. 38. dicitur: *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Unde Joan. 7. v. 31. Judæorum aliqui conspectis tot Jesu miraculis, dixerunt: *Christus, cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* eaque exiguo triennii aut ad summum quadriennii spatio.

II. Judæi Moysis miracula supra miracula Christi hoc titulo extollunt, quòd, juxta communem suorum sententiam, *Moyses se totius naturæ quasi directorem & arbitrum ostenderit; quod divinitatem ad libitum, cùm opus erat, è Cœlo ad se advocabat, & sic in Cœlo quodam modo potestatem habuerit, ac omnibus elementis imperaverit.*

Verùm 1. si Historia sacra attentè consideretur, videbitur Moysen *naturæ directorem ac arbitrum minimè fuisse*: vix ullum enim miraculum fecisse legitur, nisi præcunte mandato divino, aut precibus ad Deum fusis, sicut historiam plagarum Ægypti, & miraculorum in deserto factorum inspicienti, manifestum erit; adeo ut miracula fecerit, non per virtutem sibi inhabitantem, sed quam precibus per intervalla à Deo obtinuit, aut ad Dei mandatum exeruit. At Christus virtutem miracula patrandi, utpotè ab ejus natura & essentia indistinctam, perpetuò sibi inhærentem habuit, ita ut ubicumque & quandocumque vellet, non tantùm præsens, sed & absens ea ediderit, Matth. 8. v. 6. 7. & seq. Joan. 4. v. 49. 50. & seq. Unde meritò Matth. 28. v. 18. dicebat: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Et Joan. 5. v. 17. *Pater meus usque modò operatur, & ego ope-*

operor; eadem scilicet virtute ac potestate qua operatur Deus Pater.

2. Non tantùm propria sua virtute mira operabatur Christus, sed (quod Moses non potuit, nec de Mose uspiam legitur) aliis etiam potestatem illam ac virtutem communicavit. Matth. 10. v. 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date*. Unde Lucæ 10. v. 17. Discipuli reversi cum gaudio, dixerunt: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*. Et generatim in se credentibus, Joan. 14. dicebat: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. Ac ne plura congeramus, Act. 3. v. 6. Petrus ad claudum dixit: *Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi surge & ambula*. Et v. 12. *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob glorificavit filium suum Jesum..... Et in fide nominis eius, hunc quem vos vidistis & nostis, confirmavit nomen eius; & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum*. Reipsa miraculis interdum orationem seu preces ad Deum Patrem præmittebat Christus, quia non tantùm Deus, sed homo verus erat, & se hominem demonstrare volebat; at quatenus Deus, quæ Dei sunt, propria operabatur virtute.

III. Judæi Moysis miracula Christi miraculis eo nomine majora & præstantiora ventitant, quòd Deum ipsum viderit, & cum ipso facie ad faciem locutus fuerit. At 1. ex historia Mosis liquet, non ipsum Deum, sed Angelum nomine Dei cum Mose locutum: nam & Angelus, qui nomine Dei populo præfuit, etiam expressè *Dominus* vocatur. Sic Exodi 13. v. 21. Dominus dicitur *præcessisse* castra Israelis; qui cap. 14. v. 19. *Angelus* fuisse dicitur; & qui Mosi in rubo apparuit, ipsique dixit, Exodi 3. v. 6. *Ego sum Deus patris tui*; qui v. 14. ibidem ait, *Ego sum qui sum*, ille ipse Angelus fuisse dicitur, Act. 7. v. 30. Ex quibus patet totam revelationem Mosi factam fuisse ministerio Angeli, qui personam Dei repræsentabat, ac quasi Deus ipse foret, locutus est. Quod verò dicitur: *Non in somniis nec in visione loquar ei, sed ore ad os, & facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, Exodi 33. v. 11. non significat, ipsum Deum immediatè cum Mose locutum, sed Angelum, qui cum ipso nomine Dei loquebatur, non per visiones ac somnia, sed clara & distincta voce Dei mysteria seu voluntatem ipsi declarasse. At quantò Moyse etiam hac in parte superior est Christus? Non ministerio Angeli missionem accepit, sed immediatè à Deo missus in mundum venit. Joan. 5. v. 36. & 37. *Pater misit me, & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*. Deum ipsum immediatè videt ac clarè cognoscit. Matth. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo ..... neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Est in Patre, sicut Pater in ipso. Joan. 10. v. 38. *Pater in me est, & ego in Patre*. Et v. 30. *Ego & Pater unum sumus*. An, quæso, de Moyse tale quid unquam dictum est? Et qualiscumque fuerit Moysis auctoritas ac potestas, qualiacumque fuerint miracula, quæ Dei virtute operatus est, si cum miraculis Christi conferantur, quantò ista illustriora ac splendidiora videbuntur? Illum in Cœlos ipsos imperium obtinere, adeo manifestum est, ut nulla exceptione possit obscurari. Ascendit in Cœlum, & inde promissum

Spiritum in Apostolos demisit, qui cùm sit ipsius Dei Spiritus, & Deus ipse, manifestum est Deum non nisi à Deo mitti posse. Angeli Christo ut Domino, dum in terris versaretur, ministrasse leguntur, Matth.4.v.11. Exaltato in Cœlis subjecti esse passim dicuntur, Philipp.11. v. 10. Ephes. 1. v. 20. 21. primæ Petri 3.v.22. Cœlum, cùm baptisatus est, ipsi apertum fuit, & Spiritus sanctus instar columbæ in ipsum descendit, auditaque fuit vox è Cœlo, *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*, Matth.3.v.16. & 17. Nec est quòd adeo glorientur Judæi, Moysen in omnia ferè elementa potestatem suam exercuisse. At nihil ferè in natura excogitari potest, in quod Christus divinam suam virtutem sæpissimè mira varietate non exercuerit. Sanavit unico verbo & in instanti omnis generis morbos; cœco nato visum non tam restituit, quàm dedit; mutis loquelam, surdis auditum, claudis gressum, mortuis vitam: paralyticos sanavit, leprosos mundavit, sedavit tempestatem, ambulavit super aquas, pisces in Discipulorum retia compulit, panes multiplicavit, dæmonia ejecit &c. & ita potestatem suam exercuit in mare, ventos, pisces, panes, dæmones, morbos, quin & in mortem ipsam.

His si addamus signa & miracula in ipsius gratiam à Deo facta, longè magis ejus supra Moysen excellentia conspicua erit. Conceptus est virtute Spiritus sancti, natus ex virgine: conceptio illius per Angelum matri annuntiata fuit; nativitas per immensam Angelorum multitudinem celebrata, per novæ stellæ apparitionem Magis in Oriente indicata. Ipsi post Baptismum ex aquis ascendenti Cœlum apertum est, Spiritus in eum descendit instar columbæ, & vox è Cœlo audita, *Hic est Filius meus dilectus* &c. Postea in monte transfiguratus est, eademque vox iterùm è Cœlo audita. In morte ipsius Sol obscuratus est, terra contremuit, & sepulchra mortuorum aperta sunt: &, quod omnium prodigiorum maximum est, & quo Moyses destitutus fuit, ex morte à Deo suscitatus fuit, Discipulis vivus apparuit, in Cœlum ascendit, Spiritum sanctum ad illos misit, quos multis eximiis donis ita cumulavit, ut vel ipsa Petri prætereuntis umbra, & sudaria Pauli ægris imposita, morbos sanarent. Act.5.v.15.& c.19.v.12.

Quid porrò ad hæc miseri Judæi? ficta illa omnia esse ac commentitia? At si quis perditus idem de miraculis Moysis effutire auderet; si cum impio Spinosa prætensa illa Moysis miracula explodere, & in meros naturæ effectus, quamquam non ita cognitos ac vulgares, referre, quid, quæso, responderent Judæi? Quod ipsi responderent, & nos quoque hic respondemus. Certa & indubitata sunt hinc & inde miracula omnibus cognita & perspecta, neque fides iis, à quibus illa referuntur, denegari potest, nisi eodem jure omnibus Scriptis ac Scriptoribus, & cuicumque Historiæ fidem omnem derogari pariter posse, Judæi fateantur. Ita se non impios modò, sed & ridiculos ac fatuos toti Orbi ridendos exhiberent.

IV. Denique, Judæi ajunt miracula Moysis in publica luce coram populo congregato edita fuisse. At, quæso, miracula Christi fueruntne in angulo & in secreto, nemine spectante patrata? Nonne in omnium oculis ac conspectu, & cæco nato visum restituit, & Lazarum à mortuis excitavit; & Petrus claudum omnibus notum sanavit? *Si hi tacuerint*, ajebat Christus Luc. 19. v.40. *lapides ipsi clamabunt*. Nihil non tentarunt Judæi, ut isto-

rum

tum prodigiorum vim eluderent: *A sæculo non est auditum*, (dicebant) *quòd quis aperuit oculos cæci nati*. Sollicitè hominem illum interrogabant, quis ille foret, à quo sanatus fuerat, & quomodo: à parentibus cæci postulant, an filius eorum esset: in omne latus se convertunt, ut tanti prodigii lucem obscurare possint, sed frustra; ita ut etiam discordes inter se schisma fecerint. Legatur caput nonum S. Joannis. Joan. 9. v. 32.

Accedit & mira Moysen inter & Christum consensio. De Christo scripsit Moyses: Joan. 5. v. 46. & 47. *Si crederitis Moysi*, ait Christus, *credetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Moysis scripta confirmavit Christus; ad ea Judæos sæpiùs remitit, ac violatæ Legis illos redarguit: *Est qui accusat vos Moyses*, ibidem v. 45. Et Lucæ 16. v. 30. *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos*. Et Matth. 23. v. 2. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæcumque dixerint vobis, servate & facite*. Legem Moysis accuratè observavit Christus, qui venit, *non ut Legem solveret, sed adimpleret*. Matth. 5. v. 17. Non est igitur quòd Christum verum Messiam Judæi rejiciant, cujus tanta est cum Moysis doctrina consensio. Stat igitur firmum & inconcussum argumentum nostrum, ex comparatione miraculorum Christi cum miraculis Moysis; eòque adiguntur pervicaces Judæi, ut vel Moysen rejiciant, vel agnoscant Christum à Moyse prænuntiatum.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Christus sit ille Messias toties in veteri Testamento promissus & delineatus.

CONCLUSIO.

Christus est ille Messias toties in veteri Testamento promissus & delineatus.

Probatur. Quia ille est verus Messias toties in veteri Testamento promissus & delineatus, cui conveniunt omnes de Messia prophetiæ: atqui Christo conveniunt omnes de Messia prophetiæ.

Minor inductione probatur, percurrendo præcipuas de Messia prophetias & characteres in Christo expressos, quos ad quatuor universim capita revocamus. 1. ad nativitatem. 2. ad conditionem & statum personæ illius. 3. ad doctrinam & opera. 4. ad mortem & resurrectionem.

I. Quantùm ad Messiæ nativitatem, Prophetæ notant illius tempus, locum, familiam, modum nativitatis, ejusque nonnullas circumstantias.

Ratione temporis, Messias nasci debuit eo tempore quo sceptrum seu suprema auctoritas debuit à Judæis auferri, juxta vaticinium Jacobi. Gen. 49. & post septuaginta septimanas annorum, id est, elapsis 400. annis à captivitate Babylonica, Danielis 9. tunc cùm Davidica domus in summo futura erat contemptu. At eo ipso præcisè tempore Jesus Christus verus Messias mundo illuxit.

Ratione loci, Messias Bethleemi nasci debuit; ex oraculo Michææ cap. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egre-*

egredietur qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. Christus autem natus est Bethlehemi, Matt. 2. v. 1. *Cùm ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda.*

Ratione familiæ, Messias ex Tribu Juda & ex familia Davidis oriundus fuit, Isaiæ 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jesse.* Unde turbæ apud S. Joan. ca. 7. v. 42. profitentur Messiam nasciturum Bethlehemi ex semine David. *Nonne*, inquiunt, *Scriptura dicit, Quia ex semine David & de Bethlehem Castello, ubi erat David, venit Christus?* At Jesum Christum verum Messiam nostrum ex semine David ortum esse, vel prima Evangelii, juxta S. Matthæum, verba comprobant, *Liber generationis Jesu Christi filii David.*

Ratione modi nativitatis, Messias nasci debuit ex virgine quidem, sed ad extremam paupertatem redacta. Isaiæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* At Christus natus est ex virgine matre, Matth. 1. v. 18. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Humilis & abjectus Christi adventus describitur Isaiæ 53. v. 3. & Matth. 8. v. 20. dicitur: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

Circumstantiæ adventus Messiæ à Prophetis prædictæ sunt. 1. Præcursor ejus Joannes, Malachiæ 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*; quod in Joanne Baptista impletum fuit, *qui fuit vox clamantis in deserto*, & præcessit Christum in spiritu Eliæ, ut viam illi sterneret, Matth. 3. v. 3. & cap. 11. v. 14. Lucæ 1. v. 17. 2. Messiæ seu Salvatoris nomen Jesu imponendum fore scribit Isaias cap. 12. v. 3. cap. 51. v. 5. cap. 62. v. 1. & 11. cap. 63. v. 8. & 9. Et Matth. 1. v. 21. & Lucæ 1. v. 31. narratur Christo impositum esse nomen Jesu, quod Salvatorem sonat. Similiter Messiam vocandum fore Emmanuelem, scribit Isaias cap. 7. v. 14. quod etiam impletum legitur Matth. 1. v. 23. 3. Nova stella debuit in ortu Messiæ oriri: Numer. 24. v. 17. *Orietur stella ex Jacob.* At Matth. 2. v. 2. narratur à Magis visum esse novum in Cœlo sidus: *Vidimus*, inquiunt Magi, *stellam ejus in Oriente.* 4. Reges venturi prædicuntur, ut adorent eum: Psal. 71. v. 10. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ;* quod Mat. 2. v. 2. & 11. legitur impletum. 5. Infantes versùs Messiæ nativitatem miserè trucidandos vaticinatus est Jeremias cap. 31. v. 15. quod Matthæi cap. 2. v. 18. impletum narratur. 6. Fugam Messiæ in Ægyptum prædicit Osee cap. vaticinii sui 11. v. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum:* hoc idem impletum narrat S. Matth. c. 2. v. 15.

II. Quantùm ad statum & conditionem personæ Messiæ, notant Prophetę 1. quòd erit Verbum Dei: Psalmo 106. v. 20. *Misit Verbum suum, & sanavit eos.* Et Joan. 1. v. 14. dicitur: *Et Verbum caro factum est.* Et Apocalyp. 19. v. 13. *Et vocatur nomen ejus, Verbum Dei.* 2. Messias erit Filius Dei: Psal. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* At Matth. 3. v. 17. dicitur: *Ecce vox de cœlis dicens, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* 3. Messias Deus erit: Psal. 44. v. 7. & 8. *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: virga directionis, virga Regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea*

unxit

unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. At Christus sæpissimè in novo Testamento Deus dicitur: Joan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Plura vide in nostro de SS. Trinitate Tractatu, ubi fusè momentum hoc fidei nostræ contra Socinianos prosecuti sumus. 4. Messias Propheta futurus est: Deut. 18. v. 15. & seq. 1. Machab. 14. v. 41. At Christus Jesus Propheta fuit: Matth. 13. v. 57. & cap. 16. v. 21. & seq. & cap. 21. v. 11. 5. Messias futurus est Sacerdos: Psal. 44. v. 8. & Psal. 109. v. 4. At Christus verus fuit Sacerdos & Pontifex summus: Hebræorum 2. v. 7. & c. 3. v. 1. & cap. 4. v. 14. & 15. &c. 5. Messias futurus est Princeps & Rex: Isaiæ 9. v. 6. Jeremiæ 30. v. 21. 1. Regum 2. v. 10. 2. Regum 7. v. 12. & 13. Psal. 2. v. 6. & seq. At Christus Princeps & Rex dicitur in novo Testamento: Act. 5. v. 30. & 31. Coloss. 2. v. 10. Matth. 2. v. 1. & seq. cap. 21. v. 4. & 5. &c.

III. Quantùm ad doctrinam & opera Messiæ, Messias annum placabilem promulgabit, & salutarem Evangelii doctrinam afferet, *ad medendum contritis corde, & publicandam libertatem captivis & redemptionem*, Isaiæ 61. v. 1. Plura verò à Messia patranda esse miracula, idem Isaias cap. 35. v. 4. & 5. affirmat: *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Hæc autem omnia per Christum Jesum facta fuisse, quis, nisi in Evangelicæ Historiæ lectione planè peregrinus, negare poterit? Et quidem tanta signa & prodigia fecit Christus, ut turbæ apud S. Joan. c. 7. v. 31. hoc profiteantur: *Christus cùm venerit*, inquiunt, *an signa plura edet iis quæ iste edidit?* Hinc Christus toties provocat ad opera sua, tanquam signum certissimum vocationis suæ, Joan. 5. v. 36. & 7. v. 37. 38.

IV. Quantùm ad mortem & resurrectionem, Prophetæ omnes illius circumstantias accuratissimè describunt. Judæ proditionem, & pretium triginta denariorum, Zachariæ 11. v. 13. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Flagellationem, Psal. 128. v. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Vestimentorum divisionem, Psal. 21. v. 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Manuum & pedum perforationem, ibid. v. 18. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Acetum quo potatus est in cruce, Psal. 68. v. 22. *In siti mea potaverunt me aceto.* Derisionem & capitum contumeliosam motionem, Psal. 21. v. 8. *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Solis deliquium, Amos 8. v. 9. *In die illa occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Porrò hæc omnia ad litteram impleta fuisse, ipsa Evangelii historica narratio probat. Sepulturam, Isaiæ 11. v. 10. *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* Resurrectionem, Psal. 3. v. 6. *Ego dormivi & soporatus sum; & exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Ascensum in Cœlum, Psal. 67. v. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Missionem Spiritus sancti, Joelis 2. v. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ*, &c. Hæc & plura alia legi possunt collecta ab Illustrissimo Huetio, Demonstrationis Evangelicæ Propositione nona integra, cui titulus, *Jesus Nazarenus est Messias.*

Solvuntur Objectiones Judæorum adversùs Messiæ adventum.

Objicies I. Ille nondum venit, cujus adventus signa in Scripturis expressa nondum impleta leguntur: atqui signa adventus Messiæ in Scripturis expressa nondum impleta leguntur.

I. Elias præcedere debuit adventum Messiæ. Malach.3.v.1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Quis porrò sit Angelus ille, exponitur ibidem c.4. v.5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini.*

II. Isaiæ c.2. v. 2. Messias venturus designatur in novissimis diebus, & in ejus adventu mons domus Domini exaltandus dicitur super alios montes. At nondum advenerunt novissimi illi dies, seu finis dierum; nec legimus montem Domini exaltatum suprà montes alios.

III. In diebus Messiæ pax & abundantia futura est: Psal.71.v.7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis.* Unde Isaiæ 9. v. 6. Messias vocatur *Princeps pacis.* Et c.11.v.6. in signum hujus pacis, dicitur lupus habitaturus cum agno, pardus cum hœdo, & vitulus cum leone. At nihil eorum impletum videmus; & loco pacis & abundantiæ qua frui deberent Judæi, si Messias venisset, durissima servitute exules ubique ferè premuntur.

IV. De Messia dicitur Psal.2.v.8. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Bellatorem quoque illum futurum esse ostendunt verba ista, Psal.44.v.6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* At Christus noster nec bellator fuit, nec Gentes omnes imperio suo subjecit; ergo non est Messias toties promissus, & tamdiu expectatus.

V. Isaiæ 30. v.26. in adventu Messiæ, lux Lunæ erit sicut lux Solis, & lux Solis debet esse septuplò major quàm erat antea, *Sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui:* id est, in adventu Messiæ. At nondum visa est lux Solis septuplò major, nec lux Lunæ sicut lux Solis.

VI. Ezechielis cap.40. magnifica extat descriptio Templi quod à Messia restaurandum est. At certum est nondum restauratum esse Templum illud.

VII. Jeremiæ 23. v.5. in diebus Messiæ Juda salvandus dicitur, & Israelis pacifica & tranquilla futura habitatio. Porrò in Judæis jamdiu dispersis & profugis nondum impletum istud videmus.

VIII. Denique, Ezechielis 38.& 39. Messias Gog & Magog debellaturus dicitur. At isti nondum apparuerunt; ergo nondum venit Messias.

Resp. nego minorem.

Ad primum: Elias, qui Messiam præcedere debuit, ad litteram non est Elias Thesbites, sed figuratè & analogicè est Joannes Baptista, propter similitudinem quæ illi cum Elia intercessit in zelo & fervore, qui venire debuit in spiritu & virtute Eliæ, ut dicitur Lucæ 1. v.17. & Matth. 11. v.14. Joannem Baptistam Eliæ nomine designari, patet manifestè ex cap.17. S. Matth. v.12. & 13. *Elias jam venit, & non cognoverunt eum....Tunc Discipuli intellexerunt, quia de Joanne Baptista dixisset eis.* Quòd si ad litteram Elias Thesbites intelligi debeat, non de primo, sed de secundo Messiæ adventu intelligendus est Malachias, quem reipsa præcessurus creditur Elias: qui dies à Pro-

à Propheta dicitur magnus & horribilis, cùm scilicet in majestate gloriæ suæ veniet Christus judicaturus vivos & mortuos, & unicuique bonum vel malum, prout benè vel malè gesserit, redditurus.

Ad secundum: Finis dierum, seu novissimi dies in quibus Messias venturus dicitur, non mundi finem significant, sed vel illud præfixum à Deo tempus quo venire debet Messias, quod temporis plenitudinem appellat S. Paulus Galat. 4. v. 4. vel ultimam dispensationem mysteriorum, post quam nulla alia speranda est, sed sola æternitas: finis ergo dierum vocatur non absolutè, sed comparatè, ratione scilicet præcedentium temporum, quia finis imponendus erat veteri Testamento. Etenim usque ad tempus illud omnia veluti in suspenso erant, ac in imagine & per figuras Judæis contingebant, qui ardenti Messiæ desiderio semper tenebantur, quod quidem non nisi in adventu ipsius explendum erat. Cùm verò Messiæ tempore mons Domini extollendus dicitur suprà montes alios, figurata locutio est, qua Ecclesiæ (quæ mons Sion dicitur) exaltatio & sublimitas designatur.

Ad tertium: Pax & abundantia quam Messias est allaturus, spiritualis dumtaxat est, non terrena & mundana; neque id suos latere voluit Christus: *Nolite arbitrari*, ajebat Matth. 10. v. 34. *quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* Idem repetitur Lucæ 12. v. 51. & Joan. 14. v. 27. Cùm lupus habitaturus dicitur cum agno, pardus cum hœdo, vitulus cum leone, figurata locutio est, per quam significatur Gentiles, omni deposita morum ferocitate, ad fidem Christi, velut agnos mansuetos & dociles, adducendos fore. Dici etiam non immeritò posset, ortam in adventu Messiæ pacem etiam temporalem, quia tunc summa pace universum Romanum Imperium fruebatur.

Ad quartum: Christus Gentes Imperio suo subjecit, non temporali quidem & caduca dominatione, sed spirituali & æterna, fidem interiùs occulta gratiæ suæ subministratione suadendo, mores in melius reformando: quo pariter sensu Messias bellator futurus dicitur, non illo carnali Judæorum sensu, qui Messiam Ducem armis & opibus præpotentem expectabant, à quo in plenam libertatem asserendi forent, & ab omnibus suis hostibus liberandi; sed spirituali modo bellator & victor futurus erat, quia de infidelitate, de errore, de dæmone, imò & de ipsamet morte plenam reportaturus erat victoriam.

Ad quintum: Cùm lux Solis futura dicitur septuplò major, tempore adventus Messiæ, ad litteram intelligi non potest, quia fulgorem Solis ferre nullus posset, nec ulla superesset noctis umbra propter Lunæ majorem claritatem: figuratè igitur debet exponi; vel historicè, de magnitudine gaudii quod expertura erat Ecclesia Judaica soluta Babylonica captivitate; vel mysticè, de magnitudine gloriæ, cognitionis ac lætitiæ, quam adventus Messiæ, sanatis Ecclesiæ vulneribus, ac discussis veteris Instrumenti umbris, allaturus erat.

Ad sextum: Ezechiel, interprete S. Hieronymo, non loquitur de Templo Hierosolymitano denuò instaurando, sed de templo spirituali ac mystico, Ecclesiæ scilicet, cujus symbolum & figura extitit Templum Salomonis: hujus autem templi, seu Ecclesiæ perfecta instauratio in Cœlis futura est, cùm ab omnibus hostibus liberata Ecclesia æternùm triumphabit.

Quòd

Quòd si de Templo materiali, cum Grotio & aliis Prophetam intelligere placuerit, verba Ezechielis referenda erunt ad restaurationem secundi Templi sub Zorobabele & Jesu filio Josedech, quæ interpretatio Judæis non favet.

Ad septimum: Israel salvandus dicitur in adventu Messiæ, non quidem secundùm carnem, cujus dumtaxat reliquias servandas esse, vel ipsi Judæi non diffitentur ex cap. 3. v. 14. Jeremiæ, & 8. Isaiæ v. 14. sed servandus est salute spirituali, quantùm ad animam, Rom. 9.

Ad octavum: Gratis omninò fingitur Messiam debellaturum esse Gog & Magog, & Ezechielem c. 38. de Messia loqui. Verba etenim ipsius non ad Messiam, sed ad eos Reges referri debent, qui post captivitatem Babylonicam Judæos novis calamitatibus oppresserunt, quales fuere Reges Syriæ, & populi Asiæ minoris, sic dicti à Gyge Lydorum Rege; vel à Scythis & Tartaris, ita vocatis Gen. 10. v. 2. qui jam olim Asiam minorem & Syriam occupaverant; unde in Asia Hierapolis dicta est *Magog*, teste Plinio L. 5. c. 28.

Objiciunt 2. Revera quidem, si computetur tempus à Prophetis designatum adventus Messiæ, jam illud effluxit, ac venire debuit Liberator Messias: verùm obstant Judaici populi peccata.

Resp. 1. in vaticiniis Prophetarum, quibus præfigitur tempus venturi Messiæ, nullum extare hujus conditionis vestigium (si non obstent peccata populi;) sed absoluta illa sunt. Porrò quæ Deus eventura esse absolutè decrevit, ea certissimè suo definito tempore sunt eventura.

2. Propter populi Judaici peccata, non distulit Deus illius ex Ægypto vel Babylone liberationem, quam certo tempore futuram decreverat: ut quid ergo etiamnum ob eadem peccata Messiæ adventum differret?

3. Non tanta sunt, quanta olim Judæorum scelera, quæ tot in eos calamitates cœlitùs provocarunt: non falsos Gentilium deos adorant; non vitulos aureos in deos sibi colendos erigunt &c. quod idololatriæ scelus supremum est ac execrandum. Quare igitur differtur adhuc Messiæ adventus? Frustra eum expectant, qui jam venit, qui ab ipsis rejectus fuit turpissimæ morti addictus: *Auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus*, liberè increpabat Judæis S. Petrus, Act. 3. v. 15.

4. Messias venire debuit ad delenda peccata; hic est quippè Incarnationis finis præcipuus: eoque tempore, fatentibus Judæis, venire debet, quo Judæorum scelera ad summum futura sunt. Vide Huetium Prop. 9. c. 8. n. 133. Ergo jamdiu venire debuit.

5. Incarnationis mysterium universum genus hominum spectat: pro omnibus enim venit, ac *pro omnibus mortuus est Christus*; non igitur propter gentis alicujus peccata tanto bono privari oportuit mortalium universitatem, ac tamdiu differri Liberatoris adventum.

Objiciunt 3. Christus non est ille Messias à Prophetis tam sæpè designatus. Probant

I. Quia verus Messias falsorum deorum cultum extinguere debuit, quem Christus non extinxit.

II. Verus Messias ab Ecclesia recipi ac probari debuit: at Ecclesia Judæorum, quæ sola tunc erat, eum abjecit, nedum recepit.

III. Si

III. Si Jesus verus fuisset Messias, quare Joannes Baptista misit ad illum ut resciret, an ipse Messias esset, necne?

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem, distinguo: Verus Messias debuit paulatim ac per gradus falsum deorum cultum extinguere, concedo: simul & uno eodemque momento, nego. Est quippè illa divinæ Providentiæ lex, ut non nisi per quosdam gradus ad finem perveniat: *Disponit omnia suaviter; & attingit à fine usque ad finem fortiter*. Sap.8. v.1. Non unico momento, sed septem dierum spatio mundum creavit. Quantis verò successivè prodigiis natio Judaica emollienda fuit ac præparanda, ut Liberatorem suum agnosceret, quem agnoscere noluit? *Quoties volui congregare filios tuos ... & noluisti*? Matt. 23. v. 37. Quot & quantis Prophetarum oraculis annuntiandus priùs fuit Messiæ adventus? Quot & quantis gratiarum excitationibus indurati hominis cor paulatim emolliri ac frangi debet, ut ad Deum redeat, ejusque mandatis facilem & obsequentem animum exhibeat?

Ad secundam, dist. Messias debuit ab Ecclesia nova quæ tunc formabatur, recipi, concedo: ab Ecclesia veteri, seu à Synagoga, nego. Imò sæpiùs à Prophetis prænuntiatum fuerat, rejiciendum, ac cruci affigendum fore à Judæis Messiam, quæ prophetiæ in Christo Domino ad litteram impletæ, Judæos confundunt, ac Messiam, quem expectant, jamdiu advenisse demonstrant.

Ad tertiam: Joannes ad Christum misit discipulos, qui ab ipso sciscitarentur an ipse Messias foret: non quòd ipse Joannes dubitaret, qui de Christo tam illustre testimonium dederat, Joan.1. v.29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat*, sed ut discipulorum fidem, nondum satis firmam ac solidam, viso Christo ejusque miraculis, confirmaret: *Euntes renuntiate Joanni*, ait Christus Matth. 11. v.4. *quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt*.

ARTICULUS III.

An & quomodo adversùs Gentiles demonstrari possit advenisse Christum Messiam toties à Prophetis prænuntiatum.

Adversùs Gentiles duplici argumentorum genere pugnandum est.

I. Iis omnibus generatim momentis quibus Christiana Religio evidenter credibilis redditur, prophetiarum scilicet eventu, auctoritate Evangelicæ narrationis, miraculorum splendore, Martyrum constantia, stupenda medios inter cruciatus Religionis Christianæ propagatione.

II. Momentis ex ipsismet Gentilibus ductis.

In his generalibus momentis exponendis diu hìc immorari nobis animus non est, de quibus fusè ac ex professo Theologi, ubi de fide. Paucis dumtaxat urgemus adversùs Gentiles, veterum Prophetarum de Christo testimonia, quæ in suspicionem falsi ac suppositionis apud cordatos homines venire nunquam possunt. A quibus enim ea accepimus? à Judæis nomini Christiano infensissimis, qui velut capsarii nostri summa cura & studio ea illibata conserva- *Momenta generalia. Ex oraculis Prophetarum adimpletis.*

servavere: mira autem illarum prophetiarum cum eventu consensio, invictum est veritatis argumentum. Deuter. 18. v. 22. *Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus.* : ergo Dominus locutus est, cùm ea eveniunt quæ Propheta prænuntiaverat.

Ex veritate Historiæ Evangelicæ. P. 289. Urgemus & historicam de Christo ab Evangelistis narrationem nudam & simplicem sine fuco, sine arte & astutia, sine confœderatione & inito simul consilio scriptam. A quibus? à viris rudibus, illiteratis, omni humana industria & ope destitutis, qui nulla suppliciorum acerbitate à proposito suo & à fide in Christum dimoveri nunquam potuerunt. *Hæc autem est mendaciorum natura*, inquit, Lactantius L. 5. Inst. c. 3. *ut cohærere non possint. Illorum verò* (Christianorum) *traditio, quia vera est, quadrat undique, ac sibi tota consentit; & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est.* Cujus autem historiam scribunt? hominis abjecti, ex infima plebe, & ex patre fabro, ut putabatur, nati. Quæ verò scribunt? ea quorum ipsi testes oculati fuerant, quæ publicè ac in conspectu totius Jerusalem, præsentibus Judæis pariter ac Gentilibus contigerant; quæ nec magicis artibus, nec incantationibus aut dæmonum præstigiis tribui meritò poterant, cùm & dæmones ipsos Christus expelleret, atque firma & constantia forent, non simulata, quæ operabatur prodigia: quæ nec calumnias quibus onerabatur Christus, nec turpissimam ejus mortem duos inter latrones dissimulant; quorum fama tam splendida & diffusa fuit, ut etiam in publicas Romanorum Tabulas relata fuerint. Sanè si humano consilio ducti fuissent Evangelistæ ad historiam Christi capitis sui scribendam, si fabellam, non rei veritatem ad posteros transmittere voluissent, haud dubiè in ejus honorem ac famam, ignominioso ejus supplicio dissimulato, eam magis accommodatam contexuissent.

Ex constantia Martyrum. Tertull. in Apol. c. 50 p. 39. & 40. B. Urgemus & stupendam Martyrum in propugnanda Christi Religione fortitudinem ac constantiam inter acerbissima, quibus cruciabantur, Tyrannorum supplicia, imò læti cum voluptate ad ea festinabant. *Vincimus*, clamabant illi, *cùm occidimus ..... Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra .... nec quidquam proficit exquisitior quæque crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Invictum profectò veræ Religionis Christi argumentum! quæ hac ipsa suppliciorum ac mortis acerbissimæ via crevit & amplificata est, qua penitus atteri & extingui debuisset, nisi planè divina fuisset; in qua nec inanis gloriæ spes, nec fama nominis, nec divitiarum aut voluptatis amor, sed unius æternæ felicitatis in Deo assequendæ præconcepta cogitatio, laborem leviorem reddit, & mortem ipsam vita longè jucundiorem.

Ex stupenda Religionis propagatione. To. 3. p. 1366. C Urgemus denique, miram ac stupendam Religionis Christianæ propagationem, tota licèt fremente ac contradicente natura, obsistente undequaque crudeli Tyrannorum persecutione. Quorum autem ministerio propagata illa fuit? duodecim hominum ex infima plebe, sine litteris, sine arte, sine opibus, sine ulla humana potentia & auctoritate. *Cœleste adverte consilium*, ait eleganter S. Ambr. Exposit. in Luc. c. 5. n. 44. *non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit; ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, ut veritatis ratio, non dispu-*

disputationis gratia prævaleret. Quam verò doctrinam annuntiabant illi, ut homines demulcerent, & ad se allicerent? naturæ profectò duram & asperam: demissæ mentis in res summè obscuras obsequium; carnis ac sensuum macerationem, jejunia, continentiam, in ærumnis & afflictionibus patientiam; amorem crucis & paupertatis; voluptatum fugam, divitiarum contemptum; veniam inimicorum, sui omnimodam abjectionem. *En illecebra sectæ*, ut cum Tertulliano loquamur. Hæccine, quæso, tot reperisset inter homines tam longo sæculorum usu vitiis immersos, sectatores ac discipulos, nisi divinitùs inspirata, ac Dei ope singulari ad exitum feliciter perducta fuisset?

Ad hæc generalia momenta accedunt & particularia, quibus moveri maximè debent Gentiles.

I. Ex oraculis Sybillarum, quæ tanto apud Gentiles ipsos in pretio fuere, ac de Christo tam apertè mentionem fecerunt. Quamquam enim nos ipsi ex illis Sybillarum carminibus firmum duci non posse argumentum pro demonstrando Messiæ adventu suprà dixerimus, quòd nempè planè incerta & dubia videantur, quæ de Sybillis circumferuntur, sive earum numerum spectes, sive ætatem, vitæ genus, & Librorum auctoritatem; attamen cùm & ipsi Gentiles, velut domestica testimonia, earum carmina laudaverint, imò & à multis SS. Patribus commendata videamus, iis, ut probabili saltem momento, adversùs Gentiles uti possunt Christiani.

II. Ex defectu seu silentio Oraculorum. Adveniente Messia, finem idololatriæ, ut & falsis Paganorum Oraculis silentium imponendum esse, prædixerant Prophetæ, Isaiæ 2. v. 18. & 20. Zachariæ 13. v. 2. Oracula verò tempore adventus Christi ut plurimùm obmutuisse, Historiæ prophanæ non dissimulant: Hinc tempore Tiberii nata quæstio, cur obmutuissent Oracula? cur dæmones, ut antea non operarentur; ac unde tam subitò facta fuisset illa mutatio, quæ Christiani nominis inimicis, stuporem ac timorem simul injecit? Porphyrius queritur deos iratos, ex quo venit Christus, nihil respondere: Cicero L. 2. de Divinatione, testatur temporibus suis Oracula defecisse, & causam insulsè rejicit in loci vetustatem, ex quo anhelitus quidam erumpebat, quo Pythia mente incitata oracula proferebat; nisi forsan ad irrisionem jocosè hæc scribebat. Plutarchus, qui scripsit de Oraculorum defectu, refert Thamum quemdam nautam Echinades Insulas præternavigantem, audivisse vocem quæ nuntiabat, magnum Pan mortuum fuisse, tempore scilicet Tiberii, quo Christus cruci affixus est; & Augusto oraculum Apollinis consulenti, quis postea regnaturus esset, respondisse fertur, *Me puer Hebræus diis beatis imperans, jubet has ædes relinquere, & statim in orcum abire*. Rem tam constantem negare ausus non est Julianus Apostata, (Huetius Prop. 9. c. 29. n. 4.) sed Christianorum argumento inde ducto, respondet, Vates etiam sacros tunc temporis etiam defecisse. At falsò & imperitè illud confingebat: constat etenim tùm ex cap. 11. Act. Apost. v. 28. Agabum cum aliis vaticinatum fuisse; tùm ex cap. 12. primæ ad Corinth. v. 28. Deum quosdam in Ecclesia *posuisse Apostolos, deinde Prophetas*, & v. 29. *Numquid*, ait S. Paulus, *omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ?* Ergo post adventum Christi non defecit prophetiæ donum, quod ab Apostolo, ibid. v. 8. inter gratias gratis datas nume-

numeratur. Scio equidem, anno 1673. Amstelodami typis excusas duas de Oraculis Ethnicorum Dissertationes, auctore Vandale Medico Anabaptista, in quarum prima tractat de duratione ac defectu Oraculorum apud Gentiles; in altera verò de illorum auctoribus, contendit ille, hæc omnia prætensa Oracula planè fictitia esse, nec à dæmonibus, ut vulgò credebatur, emissa, sed vel à Sacerdotibus idolorum per dolum ac fraudem, lucri cupiditate, ac conciliandæ sibi alicujus auctoritatis consilio excogitata; vel etiam à Principibus ipsis politica quadam prudentia, sive ut in officio populos continerent, sive ut ad bellum eos promptiores & alacriores redderent. Multa quidem eo in Opere Medici Vandale, plura sunt ingeniosè excogitata, nec vellem ego aut omnia hæc Oracula tanquam vera defendere, aut omnia etiam velut falsa & spuria rejicere, quòd non ignorem plures è veteribus SS. Patribus, viros sanè perspicaces & acutos, istud Oraculorum silentium, de quo Gentiles ipsi conquerebantur, Gentilibus ipsis objecisse in argumentum veri Messiæ adventus, cujus scilicet tempore, devicto ac expulso dæmone, silentium ipsi imponendum erat, omnisque nocendi auctoritas ab eo detrahenda. *Nunc judicium est mundi*, ajebat Christus Joan. 12. v. 31. *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Neque istud Oraculorum silentium, & argumentum quod inde Christiani ducebant, dissimulare ausus est Julianus Apostata, ut jam observavimus.

Neque urget quod ajunt nonnulli, etiam longè ante Christum natum aut siluisse Oracula, aut minori in gloria & pretio fuisse, sicut testatur Tullius L. 1. de Divinatione, ubi Quintum fratrem suum de Oraculo Delphico omnium celeberrimo, sic loquentem inducit: *Nunc in minore gloria est, quia minùs vaticiniorum veritas excellit*. Et Lib. 2. jocosè ridet Apollinem, quòd jam à Pyrrhi temporibus versus facere desiisset. Imò & longè post Christum Plutarchus de Oraculis sui temporis scripsit. Hæc, inquam, non urgent. Quid enim inde concludas? nisi quòd detecta fortè aliqua Sacerdotum paganorum fraude, minùs consulta tunc fuerint Oracula, ac minori in pretio esse cœperint: post Christum verò si quæ fuisse memorantur, in pœnam animi nimiùm creduli aut curiosi, permisit Deus nonnullos falsis illis oraculis in errorem induci, eaque ipsis tristitia subinde accidere, quæ in incertum prædicta ipsis fuerant.

Ex præcipuis vitæ Christi circumstantiis quas nô ignorarunt Gentiles.

Præcipuas vitæ Christi circumstantias Scriptis suis, vel ipsi Gentiles Historici consignarunt: unde Tertullianus in Apologetico, ad ipsas publicas Romanorum Tabulas provocabat, ut Christum ejusque Religionem cognoscerent. Oppidulo terræ Judæorum ortum illum fuisse, pauperibus parentibus, in Ægyptum persecutionis declinandæ causa profugisse, agnoscit Celsus, Christiani nominis hostis infensissimus, apud Origen. L. 1. adversùs ipsum. Bethleemi natum probant tabulæ censuales Romanorum, ad quas provocabat Justinus Apol. 2. & Tertullianus adversùs Marcionem. Novum sydus post Christum natum apparuisse, & ad eum venisse Magos, non diffitetur Julianus, licèt ad causas naturales imperitè hujus stellæ ortum referre conetur. Infantium atrocem cædem per Herodem factam, memorabili dicto Augustus prosecutus est, nempè, *præstare magis Herodis porcum esse, quàm filium*, alludens ad mores Judæorum, quibus prohibitus erat esus carnis porcinæ. Prophetam fuisse Christum à quo futura cognita fuere ac prænuntiata,

ta, tradidit in Chronico Phlegon Hadriani Imperatoris Libertus. Edita ab ipso prodigia confessi sunt Hebræi proceres, nec teterrimi Christi adversarii inficiati sunt, Celsus & Julianus. Mortem verò Christi tot stupendis signis & prodigiis nobilitatam reperies, ut nihil certius reperire sit in veteri Historia. Tacitus L.15. Annal. cùm à Nerone Christianos exquisitis suppliciis affectos dixisset, hæc addit: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat*. Observat Tertull. Apol.c.5. à Nerone primùm vexatos fuisse Christianos. *Consulite*, inquiebat, *Commentarios vestros: illic reperietis primùm Neronem in hanc sectam cùm maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest nonnisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum*. Mirabilis illa Solis defectio, & insolitus terræ motus, quæ moriente Christo contigerunt, à Phlegonte L. 13. Olympicorum Chronicorum, & ab aliis Ethnicorum Scriptoribus referri testatur Eusebius in Chronico, quos inter præcipua est Thalli auctoritas, quem Libro Historiarum suarum tertio eamdem eclypsim memorasse, scribit Africanus. Hinc Tertullianus Apologet. c.21. causam Christianorum apud Ethnicos agens, miraculi hujus testes citat Tabularia ipsorum, & publica Instrumenta. *Eodem momento*, ait, *dies medium orbem signante Sole subducta est: deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum nescierunt. . . . & tamen eum mundi casum relatum in Archiviis vestris habetis*.

P.6.C.

P.20.C

Mores Christianorum castigatos ac severos, imò & ab ipsis edita prodigia, non dissimulant Ethnici Scriptores. Plinius L.10. Epist.97. ad Trajanum, significat se adhibitis tormentis in crimina Christianorum diligenter inquisivisse, nec à se repertum aliud, *præter cœtus antelucanos, & carmina Christo tanquam Deo cantari solita*. Cui rescripsit Imperator, *genus hoc hominum inquirendum non esse, sed inventum puniri oportere*. *O sententiam necessitate confusam!* exclamat Tertullianus, Apologetic. cap. 2. *negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes: parcit & sævit*. Ad Hadrianum Serenius Granianus Proconsul Asiæ scripserat quoque, iniquum esse Christianos nullius criminis reos indicta causa in vulgi gratiam miserè trucidari. Rescripsit Imperator ad Minutium Fundanum Serenii successorem, jubere se, si quid adversùs Leges peccatum esset à Christianis, id ab illis animadverti; sin per calumniam accusati essent, delatorem ipsum pro criminis gravitate puniendum.

P.3. B.

Celebre est ac famosum prodigium quod precibus Christianorum contigit Marco Aurelio adversùs Marcomannos & Quados pugnanti; cùm Romano exercitui angustiis locorum presso, & aquæ penuria laboranti, imbres de Cœlo Christiani milites suis precibus impetrarunt, quo tempore Barbarorum copiæ grandine ac fulminibus obruebantur. Tam beneficum prodigium Marcus ipse Imperator Litteris suis ad Senatum datis testatus est. Factum illud velut publicum & omnibus cognitum refert Tertullianus in Libello supplici ad Scapulam Africæ Provinciæ Præsidem, & auctoritate ipsa Marci Aurelii confirmat Apolog. c.5.

Pa. 71. A. B.

His Christi ac Christianorum virtutibus ac prodigiis commoti Imperatores nonnulli, divinos honores Christo tribuere, ac Templa consecrare vo-

Pag. 6. C.D.

lue-

luerunt. Tiberius de rebus à Christo præclarè gestis certior factus à Pilato, retulit ad Senatum, ut inter deos numeraretur: renuit quidem Senatus, sive propter rei novitatem, sive propter supplicii dedecus, quo affectus fuerat Christus; sive propter Judaicæ gentis infamiam. Legatur Tertull. Apolog. c.5. Hadrianus quoque Imperator, teste Lampridio, Templa sine idolis erexit, eaque Christo dedicaturus ferebatur, nisi Sacrorum Consultores ipsum deterruissent. Hanc Lampridii auctoritatem ab exceptionibus Casauboni meritò vendicat Huetius Prop.3. n.23. pag.44. Narrat idem Lampridius, Alexandrum Severum etiam Christo Templum extruere, eumque in Deum cooptatum voluisse, ac piè coluisse in Larario, id est, in eo loco domestico ubi dii Lares coli solebant. Denique, circa tempora quibus ex sacris vaticiniis venturus Messias à Judæis expectabatur, ab ipsis quoque Gentilibus venturus memoratur; atque in aliquibus, adulationis animo, illa Judæorum oracula impleta fuisse affirmabant. Svetonius, in Nerone, Josephus, in Vespasiano, Tacitus, in Vespasiano ac Tito. Ista pervulgata de venturo Messia persuasione multi abusi sunt circa illud ipsum tempus quo venturus erat, ut se Christum fingerent. Ita Herodes; ita vecordes illi Samaritani, Dositheus & Simon Barcochebas, & alii nonnulli, de quibus jam superiùs dictum est. Nullus porrò, quod observandum, id attentare ausus fuerat ante ipsa tempora, quibus expectabatur, & reipsa venit Messias. Vide Huetium Prop.7. pag.392.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Donum miraculorum Hereticis & improbis hominibus, imò & ipsismet Gentilibus concessum aliquando legitur; ergo firmum ex illis duci non potest argumentum, pro demonstranda divina Christi missione ac natura.

Consequens videtur certum. Sicut enim miracula non possunt certa & indubitata esse signa catholicæ doctrinæ in Hæreticis, pietatis in impiis, ac in Gentilibus veræ Religionis; ita nec in Christo missionis divinæ: quod enim bonis & malis, Hæreticis & Catholicis commune est, procul dubio ambiguum & incertum videri debet, tùm probitatis, tùm sanæ doctrinæ argumentum.

Antecedens, quantùm ad Hæreticos & improbos spectat, nos ipsi paulò antè probavimus.

A Paganis verò nonnulla interdum edita fuisse miracula constat, tùm ex cap.7. & 8. Exodi, ubi Magi Ægyptii tam stupenda coram Pharaone, ac spectante Moyse perpetrarunt; & Christus ipse Matth.24. v. 24. prænuntiat tot & tanta futura esse Antichristi prodigia, ut etiam electi, si fieri posset, in errorem inducendi sint.

In vita Vespasiani n. 7. Deinde refert Svetonius, à Vespasiano Imperatore lumen cœco restitutum fuisse ejus sputo; & claudum ejus calce sanatum.

Resp. nego consequens. Consule quæ paulò antè diximus de miraculis Magorum, Hæreticorum & impiorum hominum: hæc quippè vel meræ præstigiæ fuerunt ac sensuum ludificationes; vel effectus, occulti quidem, sed qui naturæ vires non superant; vel si vera dicenda sunt miracula, in testimonium alicujus veritatis ea fieri Deus permisit, nusquam in testimonium erroris vel impietatis, cujus Deus testis esse non potest. Paulò antè nonnullas regulas proposui-

posuimus, quibus vera miracula à falsis secerni possint. Vera igitur miracula æquivoca non sunt signa & argumenta; sed eorum veritas, aut falsitas, ex vera, aut falsa doctrina, in cujus confirmationem fieri dicuntur, æstimari debet.

Quæ de Vespasiano refert Svetonius, vel ficta sunt, & ad Principis adulationem turpiter composita; vel naturæ, aut artis medicæ vires non superant. Audiatur eam in rem Cornelius Tacitus L.4. Historiar. n. 81. ubi de Vespasiano hæc habet: *Multa miracula evenere, quibus cœlestis favor, & quædam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, ad genua ejus advolvitur remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem deo auctore, ut pede ac vestigiò Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primò irridere, aspernari; atque illis instantibus, modò famam vanitatis metuere, modò obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci.. Postremo æstimari à Medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas, ope humana superabiles forent. Medici variè disserere: huic non exesam vim luminis, & redituram si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari: id fortasse cordi deis, & divino ministerio Principem electum; denique, patrati remedii gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miserofore. Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultrò incredibile, læto ipse vultu, erecta quæ astabat multitudine, jussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies: utrumque qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.*

Ex ista porrò Historici narratione constat 1. Vespasianum postulatam à se sanitatem statim irrisisse, &, ut oportebat, aspernatum fuisse. 2. illum hæsisse dubium & ancipitem inter famam vanitatis, quam metuebat, & spem felicis successus, quam adulantium voces injiciebant. 3. denique Medicos, quos Imperator consuli jusserat, respondisse, infirmitatem illam ope humana superari posse. Procul ergo qui prætensum illud Vespasiani miraculum ventitant, nobisque objiciunt.

Objicies 2. stupenda prodigia quæ Apollonius Thianæus Philosophus è secta Pythagorica, ac insignis magus, primo Ecclesiæ sæculo fecisse memoratur à Philostrato, qui vitam ejus octo Libris complexus est: quæ quidem prodigia tot & tanta fuisse narrat Historicus, ut impius Hierocles quarto Ecclesiæ sæculo, in odium Christianæ Religionis, ea cum miraculis Christi comparare, ac illis paria, imò & majora fuisse dicere non erubuerit.

Resp. nobis satis otii non esse, ut in istis fabulis ac putidissimis mendaciis confutandis immoremur. Cùm enim Philostratus, qui hæc figmenta collegit, centum post Apollonium annis vixerit, nec ullum narrationis suæ vadem satis dignum proferat, parumque aliunde accuratus ille sit, ac sibi frequenter adversetur, nullam fidem meretur: fabulas ille, quibus voluerit, vendat, non nobis. Portenta illa Apollonii meras fuisse artis magicæ incantationes ac dæmonis præstigias, quas illius ministerio nequam spiritus operabatur, probant SS. Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Lactantius Eusebius, data opera, Librum scripsit adversus Hieroclem, ubi strenuè refellit, insulsam comparationem quam inter Apollonium & Chri-

stum impius ille instituerat. Lege Photium in sua Bibliotheca codice 44. Lege Illustr. Huetium Lib. Demonstr. Evang. Propositione 9. cap. 147. ubi paucis omnia Philostrati de Apollonio figmenta explodit. Idem momentum eleganti stylo prosecutus est Illustrissimus Episcopus Aquarum Tarbellicarum, in Opere gallico cui titulus est, *Reflexions sur le Christianisme enseigné dans l'Eglise Catholique*.

P. 660.

S. Augustinus Lib. 10. de Civitate Dei c. 16. n. 1. & 2. distinguit inter miracula quæ à bonis vel à malis Angelis eduntur, iisque credendum definit, qui Deo uni sacrificium offerri docent, non aliis, qui sacrificii honorem sibi arrogant. *Cùm Deus*, inquit, *id egerit ad commendanda eloquia veritatis suæ, ut per istos immortales nuntios, non sui fastum, sed majestatem illius prædicantes, facerent majora, certiora, clariora miracula, ne infirmis piis illi qui sacrificia sibi expetunt, falsam religionem faciliùs persuaderent, eo quòd sensibus eorum quædam stupenda monstrarent; quem tandem ita desipere libeat, ut non vera eligat quæ sectetur, ubi & ampliora invenit, quæ miretur?*

T. 7. p. 252. D.

Deinde n. 2. inter miracula quæ Gentilibus tribuuntur, distinguendum esse censet his verbis: *Illa quippe miracula deorum Gentilium, quæ commendat Historia, non ea dico quæ intervallis temporum occultis ipsius mundi causis, verumtamen sub divina providentia constitutis & ordinatis monstrosa contingunt; quales sunt inusitati partus animalium, & cælo terraque rerum insolita facies, sive tantùm terrens, sive etiam nocens, quæ procurari atque mitigari dæmoniacis ritibus fallacissima eorum astutia perhibentur: sed ea dico, quæ vi ac potestate eorum fieri satis evidenter apparet, ut est quòd effigies deorum Penatium, quas de Troja Æneas fugiens advexit, de loco in locum migrasse referuntur; quòd cotem Tarquinus novacula secuit; quòd Epidaurius serpens Æsculapio naviganti Romam comes adhæsit; quòd navim qua simulacrum matris Phrygiæ vehebatur, tantisque hominum boumque conatibus immobilem redditam, una muliercula zona alligatam, ad suæ pudicitiæ testimonium movit & traxit, quòd virgo Vestalis, de cujus corruptione quæstio vertebatur, aqua impleto cribro de Tiberi, neque perfluente, abstulit controversiam. Hæc ergo atque alia hujusmodi nequaquam illis quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt: quantò minùs ea quæ illorum quoque populorum, qui tales deos coluerunt, legibus judicata sunt prohibenda atque plectenda, magica scilicet vel theurgica? quorum pleraque specie tenus mortalium sensus imaginaria ludificatione decipiunt, quale est Lunam deponere, donec suppositas, ut ait Lucanus, propior despumet in herbas: quædam verò etsi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipse quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere. Illis enim multi tantò minùs sacrificiis colendi sunt, quantò magis hæc expetunt: his verò unus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere, & Scripturarum suarum testificatione, & eorumdem postea sacrificiorum remotione demonstrat. Si ergo Angeli sibi expetunt sacrificium, preponendi eis sunt illi qui non sibi, sed Deo creatori omnium, cui serviunt.*

Ib. E.

Lucan. L. 6.

Quatuor veluti prodigiorum apud Gentiles species hic distinguit sanctus Doctor. Prima miraculi nomen non meretur: versatur etenim in quibusdam dumtaxat effectibus, quos vel certa causarum secundarum dispositio exigit, ut sunt monstra & insoliti animalium partus; vel dæmonum sensus nostros fasci-

fascinantium industriam non superant, ut cœlo terraque rerum insolita facies. Secunda prodigii cujusdam speciem quidem præseferre videtur, quale est v.g. cribrum aqua implere, aqua non diffluente &c. attamen neque vim dæmonis naturalem istud superat, per quam scilicet vel cribri foramina latenter occludat, vel aquam sustentet, ne diffluat. Tertia meras artis magicæ præstigias ac sensuum nostrorum ludificationes continet, quale est v.g. Lunam Cœlo deducere. Quarta denique prodigiorum Gentilium species vera quidem piorum miracula imitari propiùs videtur, sed ex fine, ad quem referuntur, secernenda esse ac æstimanda judicat S. Augustinus; ita ut falsa & fictitia pronuntianda sint, si ad falsum deorum cultum ordinentur. *Finis ipse*, ait sanctus Doctor, *quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere*, quæ, ut antea dixerat, *majora sunt, certiora, clariora*.

Objicies 3. Mira & stupenda Religionis Christianæ propagatio, firmum ac solidum non videtur esse illius veritatis argumentum, quia stupenda pariter ac prodigio similis videtur Religionis ac Imperii Mahumetis per omnes Orientis plagas diffusio.

Resp. planè impiam & insulsam esse comparationem inter Christum & Mahumetem, ac utriusque Religionem. An Mahumetes, sicut Christus, stupenda edidit prodigia? An Prophetæ Mahumetis, sicut & Christi, ortum, vitam, gesta prænuntiarunt? Mahumetes vi armorum, ferro ac sanguine populos sibi subjecit: Christus humilitate, mansuetudine, benefica voluntate. Mahumetes spe divitiarum ac voluptatum suos inescavit: Christus suis hac in vita nonnisi cruces & afflictiones promittit, ac divitiarum contemptum imperat. Ille milites habuit administros; Christus pauperes Apostolos: illi gladio, isti verbi prædicatione rem promoverunt. Mahumetis Religio tota sensibus immersa, quàm crassa! quàm impura! naturæ vitiatæ quàm commoda! Religio verò Christi quàm defæcata! quàm pura! naturæ nostræ quàm dura & aspera! Illa effrænem ad omnem sensuum voluptatem licentiam laxat; ista verò damnat ac severè reprimit, totumque hominem per jejunia carnisque macerationem in servitutem redigit.

Atqui tamen Religio hæc, tota licèt renuente ac contradicente natura, Orbem universum occupavit. Imperatores, Reges, Principes, nobiles, ignobiles, divites, egenos, sectatores ac discipulos habuit, numero pene infinitos. An non stupendum istud miraculum est, ac invictum veræ Religionis argumentum? Unde meritò exclamat Augustinus L. 22. de Civit. Dei c. 8. n. 1. *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Et qui miracula facta non credunt, nobis hoc unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis credidit*. *Ibid. p. 660. A. T. 7. p. 663. A.*

QUÆSTIO QUARTA.

De necessitate Incarnationis.

Necessarium aliud est absolutè ac simpliciter, aliud verò ex hypothesi dumtaxat, & secundùm quid. Solus Deus est ens per se & absolutè necessarium: *Ego sum qui sum*, ait Deus ipse ad Moysen; & Moyses ad filios Israel, *Qui est misit me ad vos*, Exodi 3. v. 14. cætera verò entia contingentia sunt, à Deo liberè condita. Rursus, quod ex hypothesi necessarium est, vel simpliciter ad finem assequendum necessarium dicitur, qualis est cibus & potus ad conservationem vitæ; vel necessarium dumtaxat secundùm quid, ad finem faciliùs comparandum, qualia sunt alimenta melioris succi, ad eamdem vitæ conservationem.

Incarnationis necessitas spectari potest in hypothesi, vel creationis mundi, vel lapsus humani generis in peccatum, vel reparationis ipsius à lapsu, vel accuratæ & condignæ satisfactionis Deo pro peccatis exolvendæ.

Status quæstionis.

Primò igitur quæritur, an ex hypothesi creationis mundi, necessaria fuerit simpliciter Incarnatio Verbi, tanquam opus perfectissimum, & absolutissimum mundi ornamentum. Ita revera docet Raymundus Lullius, de quo Vasques in præsenti disputatione q. 1. art. 2. cap. 2. Ratio hæc ipsi est, quòd Deus non potuit non facere id quod optimum erat, quale certè est opus Incarnationis. Longiùs progressus est Joannes VViclefus in Trialogo, ubi docet necessitate absoluta compulsum fuisse Deum, non tantùm ad Incarnationem Verbi, & ad hominem à perditione redimendum; sed etiam ad creationem Universi, & eorum omnium quæ in eo continentur. Lege eximium Opus Illustrissimi Bossuetii Meldensis, dum viveret, Episcopi, de Variationibus Ecclesiarum Protestantium Lib. 11. n. 152. (T. 3. p. 277. & seq.)

Secundò, ex hypothesi lapsus hominis in peccatum, quæritur, Potuitne Deus hominem à lapsu non erigere, perditum non reparare?

Tertiò, si reparare ac salvum facere hominem Deus voluit, potuitne alio modo, seu alia quàm Incarnationis via, illum reparare? potuitne gratis pœnam omnem peccato debitam relaxare?

Quartò denique, si ad reparandum hominem plenam & ad rigorem juris accuratam satisfactionem Deus pro offensa sibi illata exigere voluit, potuitne satisfactionem illam alius, quàm homo Deus, Deo persolvere?

Consentiunt ferè omnes Theologi.

I. ex hypothesi creationis mundi necessariam simpliciter non fuisse Incarnationem.

II. potuisse Deum hominem lapsum non redimere.

III. ex hypothesi condignæ satisfactionis quam Deus pro offensa sibi illata exigeret, necessariam consequenter fuisse Incarnationem, quam solus Deus homo persolvere potest.

Tota

Tota igitur controversia præsens versatur circa tertiam hypothesim: nempe, si voluit Deus hominem salvum facere, potuitne, illæsis justitiæ suæ juribus, plenam & condignam ex ipsius offensa non repetere satisfactionem; adeoque non incarnari? potuitne omnem culpam & pœnam ipsi gratis omnino relaxare? En controversiæ status.

Circa quam duæ sunt oppositæ sententiæ, affirmans una, negans altera; utraque verò suos habet inter SS. Ecclesiæ Doctores patronos ac vindices, quos postea suo loco referemus. Ex istis porrò variis & oppositis testimoniis, illud consequi videtur, quæstionem præsentem ex earum numero esse, quæ, salva fide, in utramque partem defendi possunt, & Theologica ratione potius quàm auctoritate dirimendæ sunt.

Inter Theologos qui negantem partem hìc sequuntur, sunt qui, ut SS. Patrum contraria in speciem testimonia concilient, observant Deum in reparatione ac salute hominis agere posse, vel ex suprema & absoluta, quam in res omnes habet auctoritate; vel ex potentia sua ordinaria, & jure (ut ajunt) virtutibus temperato, seu ex regulis justitiæ suæ. Ex potentia quidem absoluta & extraordinaria potuisse Deum alia, quàm Incarnationis, via hominem redimere ac salvum facere; non potuisse verò ex potentia ordinaria, & jure virtutibus temperato, ex cujus legibus reipsa se gessit Deus in negotio reparationis humanæ, exigendo à Christo plenam & condignam satisfactionem.

Observant iidem Theologi, inter attributa divina aliqua esse ita absoluta, ut nullum ad creaturas respectum seu ordinem dicant; v. g. æternitatem, immensitatem, infinitatem &c. alia verò ordinem aliquem dicere; v. gr. omnipotentiam, misericordiam, justitiam. Rursus in istis postremis attributis spectari posse, vel substantiam ipsam, seu, ut Schola loquitur, actum primum; vel externum exercitium: substantiam planè necessariam esse ac immutabilem fatentur; usum verò, seu exercitium, ex parte Dei aliquando liberum omnino esse, aliquando non esse, nisi saltem quantùm ad aliqua. Explico: Exercitium v.g. divinæ misericordiæ erga hominem, omnino liberum est. Quare? quia Deus nihil creaturæ suæ absolutè debet. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Non ita est de exercitio justitiæ: hanc enim Deus non tantùm creaturæ, sed sibimetipsi etiam debet, *qui seipsum negare non potest*, 2. ad Timot. 2. v. 13. ac justitiæ suæ jura servare integra tenetur, quæ de facto rigorosè servavit, cùm peccata nostra in Christo sponsore nostro tam severè punivit. Quantùm ad aliqua dumtaxat liberum est justitiæ divinæ exercitium, pœnæ scilicet modum, mensuram, tempus &c.

Rom. 3. v. 24. Ib. c. 9. v. 18.

Observant denique, sententiam istam idoneam maximè videri ad declarandam tùm peccati gravitatem, pro cujus expiatione necesse fuit Deum incarnari; tùm immensam Christi erga nos charitatem, qui peccata nostra in se transtulit; tùm denique ad vindicandam contra Socinianos satisfactionis Christi necessitatem.

His præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Incarnatio Verbi necessaria non fuit ex hypothesi creationis mundi.

Probatur I. Quia nihil commune habet visibilis hæc rerum universitas cum Mysterio Incarnationis, nulla inter hæc naturalis connexio; atque omnibus suis numeris perfectus coalescit mundus, ex sola entium naturalium multitudine ac varietate.

II. Tam potuisset mundus æternùm subsistere absque Incarnatione, quàm revera per quatuor annorum millia sine illa permansit. An toto illo temporis anteacti spatio mundus aliqua sibi debita perfectione caruit?

III. Pervulgata est ac ferè communis Thelogorum sententia, quòd si Adam non peccasset, Christus non venisset; ergo Incarnatio necessaria non fuit ex hypothesi creationis Universi.

Dices 1. Agens perfectissimum, qualis Deus est, id semper facit quod est optimum; agit quippe ex inclinatione conformi naturæ suæ infinitæ ac optimæ. Ita vulgò SS. Patres, imprimis S. Augustinus Lib. de quantitate animæ cap. 33. ait, *justitia summi Dei factum esse, ut non modò sint omnia, sed etiam ita sint, ut omnino meliùs esse non possint*. Et Lib. 3. de libero arbitrio c. 5. *Quidquid*, inquit, *tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem*. Lib. denique 1. contra adversarios Legis & Prophet. cap. 14. *Usque adeo*, inquit, *despiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse, & credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minimè potuisse?*

T. 1. p. 436. B.

Ibid. p. 615. B.

To. 8. p. 558. C.

Resp. dist. maj. Agens perfectissimum quod ex necessitate agit, ut Deus intus generans Filium & producens Spiritum sanctum, semper facit quod est optimum, concedo: quod liberè agit extra se, iterum distinguo: semper facit id quod est optimum, relativè ad suum consilium & finem quem sibi præfixit, concedo: optimum absolutè & in omni genere, nego. Aliàs non tantùm libertas, sed & omnipotentia Deo adimeretur, quæ tota in quolibet opere supponeretur exhausta. Quemadmodum ergo potuit Deus nihil extra se moliri, quia liber; ita & potuit, quos voluit perfectionis majoris vel minoris gradus creaturæ suæ impertiri, ad finem, quem intendit, semper idoneos & proportionatos, quia & liber & sapientissimus. Nulla igitur lege tenetur Deus ad id quod absolutè optimum est, faciendum; atque multò alia plura potest, quàm quæ reipsa vult; & quæcumque vult, etiam potest. Egregiè S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 95. *Tunc*, inquit, *in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quàm certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei: quàm multa possit, & non velit; nihil autem velit, quod non possit*. Et Lib. de natura & gratia cap. 7. *Quia Dominus*, inquit, *Lazarum suscitavit, sine dubio potuit: quia verò Judam non suscitavit, numquid dicendum est, non potuit? Potuit ergo, sed noluit: nam si voluisset, etiam hoc potestate fecisset*. Lege eumdem S. Doctorem Lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. ubi observat rebus etiam non ita perfectis nihil esse melius ad ordinem mundi constituendum, cùm ille ex variis rerum gradibus efflorescat; atque creden-

T. 6 p. 231. C. D.

T. 10. p. 130.

dendum sit, Deum ex optima semper ratione operari, tametsi in rebus factis id non deprehendamus. *Credat ergo* (*humana anima*) inquit num. 13. *Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiamsi hoc in rebus factis non videt*: Et certè divinorum consiliorum arcana, & occultos providentiæ Dei fines scrutari, nefas. *Compescat ergo se humana temeritas*, ait idem S. Augustinus Lib. 1. de Genesi ad litt. contra Manichæos cap. 2. *& id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat*. Hinc idem sanctus Doctor Lib. 3. de libero arbitr. cap. 5. ait, largissimam Dei bonitatem adhuc justissimè laudandam, etiamsi aliquo inferiore creaturæ gradu nos condidisset. T. 1. p. 615. E. F. Ibid. p. 647. D. Ibid. p. 614. & seq.

Si qui ergo ex SS. Patribus affirmare videantur, Deum id operari semper quod est optimum, atque id tantùm posse, quod vult; exponendi illi sunt, vel quia Deus sine ullo defectu seu imperfectione, malitia aut imprudentia operatur: idque appositè dicebant SS. Patres contra Manichæos, qui Deum malum mali auctorem admittebant; vel quia quæ operatur Deus, semper optima sunt & idonea maximè ad finem quem intendit. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erat valdè bona*. Vel quia Deus ea facit, quæ aut magis conveniunt & accommodata sunt naturali rerum, quas condidit, conditioni, aut magis congrua & proportionata pulchritudini & ornamento totius Universi. Licèt enim potuisset Deus producere aliam rerum universitatem meliorem, ac constantem ex entibus perfectioribus, & excellentioribus partibus, in ista tamen serie ac universitate rerum quam elegit & fecit, non potuit excogitari major venustas & convenientia. Scitè igitur S. Augustinus Lib. 11. de Civitate Dei c. 22. ait, *Deum ita esse artificem magnum in magnis, ut minor non sit in parvis; quæ prava non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt*. Gen. 1. v. 31. T. 7. p. 288. E. F.

Dices 2. Si Deus non eligeret semper id quod est absolutè melius, non esset sapientissimus artifex in actu secundo, sed tantùm in actu primo.

Resp. nego ant. Sufficit enim, ex mox dictis, quòd quæ facit Deus, optima sint, & idonea maximè ad finem quem intendit assequendum: unde voluntas ejus sola est regula ac mensura perfectionum quas creaturis communicat. Psal. 113. v. 3. *Omnia quæcunque voluit, fecit*. Et Psal. 110. v. 2. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*. Creaturas autem Deus condidit ex benevolentia, non ex necessitate; iis etenim non indiget qui solus sibi sufficit. *Inest Deo*, ait S. Augustinus L. 1. de Gen. ad litt. c. 5. *benignitas summa; ..... & quidem non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens amor in opera sua*. Et S. Thomas 1. p. q. 19. art. 2. quærens utrum Deus velit alia à se, ait: *Sic vult & se & alia; sed se ut finem, alia verò ut ad finem, in quantùm condecet divinam bonitatem etiam alia ipsam participare*. Tom. 3. par. 1. p. 120. E.

Instabis: debet aliquid esse in rebus ipsis creatis, quod respondeat dignitati & excellentiæ actionis opificis quæ infinita est: atqui sola Verbi divini Incarnatio huic infinitæ Dei perfectioni respondere potest; ergo &c.

Resp. nego ant. Causa etenim effectu suo nobilior quidem est, non verò effectus causa; aut saltem effectus causæ suæ perfectionem ac nobilitatem non adæquat. Quapropter ex Augustino mox laudato, *Deus ita magnus est in magnis, ut minor non sit in parvis; quæ parva non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt*. T. 7. p. 288. E. F.

Dices 3. Qui se amat amore infinito, *qui omnia propter semetipsum operatus est*, Prover. 16. v. 4.

I 4

tus est, ac gloriam suam in omnibus, tanquam finem, intendit, ille gloriam naturæ suæ condignam seu proportionatam, id est, infinitam, proponere sibi debet: atqui Deus amore infinito se amat, omnia propter semetipsum operatus est, ac gloriam suam in omnibus tanquam finem sibi proponit, ex sola autem Incarnatione gloriam infinitam percipere potest; ergo &c.

Resp. ad primum, distinguo: Qui se amat amore infinito, ille proponere sibi debet gloriam infinitam, essentialem & internam, concedo: externam & adventitiam, nego. Gloria interna Deo & essentialis ab ejus naturali excellentia & infinita perfectione non distinguitur: illa semper ac necessariò fruitur Deus, qua solus sibi sufficit ac perfectè beatus efficitur. Gloria verò externa petitur à rebus externis, Dei amore, cultu, laudibus, adoratione &c. ista verò Deus non indiget: *Bonorum meorum non eges*, ait David Psal. 15. v. 2. qui ex sese perfectè felix est, nec illam, ut suum, sed nostrum potius
T. 1. p. finem intendit. *Quid ergo*, ait S. Augustinus Lib. 13. Confess. cap. 4. *tibi deesset*
226. D. *set ad bonum quod tu tibi es, etiam si ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuæ?* Unde

Ad secundum, resp. dist. *Deus universa propter semetipsum operatus est*, tanquam finem ultimum creaturarum, aut propter gloriam suam, cui tanquam fini creata omnia subservire debent, concedo: tanquam proprium suum finem ad quem tendat & referatur, nego. Deus etenim propter aliquem finem à se distinctum non operatur, qui rerum omnium & primum principium est & finis ultimus; qui gloria illa externa & accidentali, ex creaturarum cultu & amore proveniente, non indiget, cùm solus sibi sufficiat; qui magis nostri, quàm sui causa cultum nostrum exigit, quo accedente major non fit, nec recedente minor. Rem egregiè exponit S. Augustinus pluribus in locis.

Ibid. p. Lib. 13. Confess. cap. 1. *Fecisti me*, inquit, ... *non ut tibi sic serviam....*
225. C. *quasi minor sit potestas tua carens obsequio meo; neque ut sic te colam quasi terram, ut sis incultus, si non te colam; sed ut serviam tibi & colam te, ut de te mihi benè sit, à quo mihi est ut sim cui benè sit.*

T. 2. p. Epistola 102. aliàs 49. ad Deo gratias, n. 17. *Nobis*, inquit, *prodest co-*
2793. D. *lere Deum, non ipsi Deo. Cùm ergo inspirat & docet quomodo colendus sit, non solùm sua nulla indigentia facit, sed nostra maxima utilitate.*

Ibid. p. Epistola autem 138. aliàs 5. ad Marcellinum, n. 6. *Nihil*, ait, *Deus jubet*
412. D. *quod sibi prosit, sed illi, cui jubet. Ideo verus est Dominus, qui servo non indiget, & quo servus indiget. In ea quippe scriptura, quæ vetus dicitur Testamentum.... dictum est, Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Ante S. Augustinum idem docuerant Tertullianus, S. Cyprianus & alii.

P. 103. C. Tertullianus de Orat. c. 3. explicans hæc verba, *Sanctificetur nomen tuum*, *Non quòd doceat homines*, inquit, *benè Deo optare, quasi sit & alius de quo ei possit optari, aut laboret, nisi optemus.... Quando non sanctum & sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cùm cæteros sanctificet ex semetipso? ..... Id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus.*

S. Cyprianus de Orat. Dominica, in eumdem locum. *Non quòd*, ait,
P. 190. *optemus Deo, ut sanctificetur nostris orationibus; sed quòd petamus ab eo, ut*

nomen

nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat?

Denique S. Thomas eamdem doctrinam sequutus est 2. 2. q. 132. art. 1. de inani gloria ad 1. *Unde patet*, inquit, *quòd Deus suam gloriam non quærit propter se, sed propter nos.*

Rem fusiùs tractat tùm 1. p. q. 19. art. 2. tùm q. 44. de creatione rerum ar. 4. ubi inquirens *an Deus agat propter finem. Dicendum*, inquit, *quòd omne agens agit propter finem .... Sunt autem quædam ... agentia imperfecta; & his convenit quòd etiam in agendo intendant aliquid acquirere: sed primo agenti .... non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solùm communicare suam perfectionem, quæ est ejus bonitas.* Cùm autem sibi objecisset, eum qui agit propter finem, videri eo indigere, sic respondet: *Dicendum quòd agere propter indigentiam, non est nisi agentis imperfecti.... sed hoc Deo non competit. Et ideo ipse solus est maximè liberalis, quia non agit propter suam utilitatem, sed propter suam bonitatem.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Ex hypothesi lapsus humani generis in peccatum, necessaria non fuit Incarnatio necessitate absoluta & simplici, sed ex quadam dumtaxat congruitate ac decentia.

Prima pars probatur. I. Quia certum est ex Scripturis, opus redemptionis humanæ planè gratuitum esse, ac purum divinæ misericordiæ beneficium. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Ad Titum 3. v. 5. *Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Ephes. 1. ver. 5. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Infinita sunt hujuscemodi Scripturæ testimonia, unde sic arguitur: Ad illud opus nulla necessitatis lege absolutè tenetur Deus, quod planè gratuitum est, ac purum misericordiæ ipsius beneficium: atqui tale est opus humanæ redemptionis; potuisset enim Deus (neque idcirco arguendus, sed adhuc laudandus) hominem propria sua culpa lapsum in massa perditionis relinquere.

Probatur 2. his rationum momentis. 1. Omne opus externum Deo liberum est: atqui Incarnatio est opus externum. 2. Nulla fingi potest necessaria connexio inter lapsum hominis, & voluntatem Dei illum reparandi. Quippe ut liberè peccavit homo, ac liberè lapsum ejus Deus permisit, ita liberè potuit illum in massa perditionis relinquere: nulla enim inde in Deum imperfectio, nulla positiva resultaret indecentia. 3. Nulla major in Deo esse potuit necessitas redimendi ac salvandi homines lapsos, quàm Angelos superbos ac rebelles: atqui istos à lapsu non erexit, non salvos fecit; *iis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, ait S. Petrus Epist. 2. c. 2. v. 4. 4. Deus ad gloriam suam nobis non indiget; *Gloriam suam non quærit propter se, sed propter nos*, ait S. Thomas mox.

mox laudatus. *Cùm docet Deus quomodo sit colendus, non solùm sine ulla in-*
To.2.p. *digentia sua facit, sed nostra maxima utilitate*, inquit S. Augustinus. Qua-
279.D. propter Sapiens meritò dixit: *Quis tibi imputabit, si perierint nationes quas*
Sap.12. n.12. *tu fecisti?* Et S. Augustinus L. de natura & gratiæ cap. 5: *Universa massa pœnas*
T.10.p. *debet, & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè*
129.F. *procul dubio redderetur*. Quantas igitur Deo gratias referre, quo grati & memoris animi ardore ac impetu in amorem illius ferri nos oportet, qui *Angelos*
Heb. 2. *non apprehendit, sed semen Abrahæ*; nosque ab æterna dæmonis servitute li-
v. 16. beratos merito passionis suæ ac mortis, æternæ beatitudinis consortes esse vo-
Rom. 8. v. 17. luit. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Secunda pars Conclusionis probatur.

1. Quia divinam misericordiam ac suavissimam decebat benignitatem, ut quod opus formaverat, ac invidia diaboli fuerat confractum, reformaret. *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Psal. 102. v. 13. & 14. Cognovit carnis nostræ infirmitatem; ac maximè congruum fuit ut ex misericordia nobis succurreret, ne diaboli potentia contra potentiam & misericordiam divinam prævaluisse diceretur: quæ infirmitatis ratio forsan Deo causa fuit, ut nobis, non Angelis, parceret. Unde Sapiens
Sap.12. v. 1. meritò exclamat: *O quàm bonus & suavis est Domine Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos qui exerrant, partibus corripis; & de quibus peccant admones & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine.* Et Psal. 144. v. 9. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et Apost. Rom. 2. v. 4. *An divitias bonitatis ejus ignoras?*

Probatur 2. Quia congruum ac consentaneum maximè videtur, ut divinæ perfectiones omnes exteriùs splendescant ac celebrentur: & sicut divina justitia in Christum ipsum sponsorem nostrum se totam tam severè exeruit, ita & misericordia in nos sese totam effunderet: cum hoc tamen discrimine, quòd exercitium justitiæ non sit omni ex parte liberum, sicut exercitium misericor-
2.Tim. 2.v.13. diæ: quia scilicet nihil nobis debet Deus, sibimetipsi verò debeat jurium suæ justitiæ conservationem; *seipsum enim negare non potest.*

Dices: Ex decentia & congruitate Incarnationis, illius necessitas rectè colligitur; quia ex infinita Dei bonitate sequitur illum habere infinitam inclinationem ac bonum: sed quò major est inclinatio ad aliquid, eò minor est libertas ad oppositum; ergo si Deus ex infinita sua bonitate habet infinitam inclinationem ad mysterium Incarnationis, liber non fuit ut non incarnaretur, sed necessariò determinatus fuit ad Incarnationem.

Resp. nego sequelam antecedentis. Ad ejus probationem, dist. Ex infinita Dei bonitate sequitur illum habere ad bonum infinitam inclinationem, entitativè, subjectivè, ac quasi materialiter infinitam, concedo: infinitam objectivè extra Deum, formaliter & appretiativè, quasi necesse sit majus bonum à Deo semper alteri bono præferri, nego. Habet igitur Deus ad Incarnationem, tanquam ad rem bonam, inclinationem entitativè, seu subjectivè, ac quasi materialiter infinitam; at non infinitam objectivè, formaliter & appretiativè, quasi vel objectum istud aut sit in se quoad entitatem infinitum, aut alteri cuilibet sit à Deo necessariò præferendum. Ratio est, quia nec ex parte intellectus, judicium dictat objectum illud habere bonitatem omnibus aliis absolutè præferendam; nec ex parte voluntatis vult Incarnationem, præfe-

rendo

rendo eam necessariò omnibus objectis; ac consequenter illa inclinatio nullo modo lædit libertatem Dei ad volendam vel non volendam Incarnationem.

Atque hinc intelligitur, quo sensu verum sit, Deum amare infinitè objectum quod amat; aut quomodo cum hoc stare possit, Deum inter objecta quæ diligit, aliqua præ aliis diligere. Scilicet amor Dei ab omnia objecta interminatus, entitativè infinitus est, non tamen infinitus appretiativè respectu omnium objectorum. *Quo sensu Deus infinitè amet omnia objecta licet unum magis quam aliud diligat.*

Explicatur vulgari exemplo: Amat aliquis filium amore intenso ut octo, amat Deum per actum charitatis intensum ut quatuor: majorem quidem amorem intensivè habet erga filium, sed majorem appretiativè erga Deum, qui excessus, modus quidam est in actu charitatis inclusus, quo ita diligit Deum, ut ipsum affectivè præferat rebus omnibus, quæ cum Deo aliqua ratione opponuntur; ita ut si filius opponeretur Deo, priùs relinqueret filium, quàm Deum. Benè ergo stat, actum amoris esse entitativè æquè vel magis intensum, & tamen magis amari unum, quam aliud appretiativè. Hoc igitur sensu Deus inæqualiter amat objecta, non inæqualitate tenente se ex parte entitatis ipsius amoris; nam hoc modo æqualiter & infinitè amat omnia quæ amat, ut docent Theologi cum S. Thoma 1. p. q. 20. art. 3. sed ex parte modi præferendi unum objectum aliis: sic enim plùs amat finem, quàm media. Nam eo ipso quòd amet medium propter finem, licèt utrumque amet actu infinito, plùs tamen amat finem, hoc est, præfert finem in modo appretiationis affectivæ, ipsi medio.

Dices 2. S. Anselmus admisisse videtur necessitatem reparandi hominem lapsum, non tantùm decentiæ & congruentiæ, sed & naturæ. Namque 1. Libro 1. *Cur Deus homo*. cap. 10. statim istud statuit fundamentum: *Sicut in Deo quamlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas; ita quamlibet parvam rationem, si majori non vincitur, comitatur necessitas*. Cùm igitur inconveniens foret, indecens ac incongruum, lapsum hominem à Deo non reparari, necesse fuit necessitate naturæ, seu absoluta, Deum incarnari ad hominem reparandum: quod enim Deo indecens ac incongruum est, planè ipsi est impossibile. 2. Eodem Lib. cap. 16. disertis verbis pronuntiat sanctus Doctor, necesse fuisse numerum lapsorum Angelorum restitui ac suppleri per homines. *Restaurandi*, ait, *Angeli procul dubio sunt. Necesse est ergo eos de humana natura; quoniam non est alia, de qua possint restaurari.* *P. 79. col. 1. C.* *P. 81. col. 1. C.*

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem, dico effatum S. Anselmi non incommodè intelligi posse de eo quod positivè vel contrariè Deo indecens est ac indignum, non autem de eo quod negativè tantùm inconveniens est. Porrò hominem lapsum non reparari, non positivè neque contrariè quidquam indecens est; nullum enim inde dedecus, aut malum, aut imperfectio Deo accedit; sed indecens est negativè, quia omitteret id facere quod est quidem conveniens ac congruum, sed ad quod faciendum nulla necessitatis lege tenetur.

Ad secundam, dico mentem S. Anselmi esse, necesse fuisse à Deo reparari hominem, ex hypothesi quòd voluerit Deus numerum Angelorum, qui lapsi sunt, supplendum esse ac per homines restaurandum: quæ hypothesis, cùm planè libera sit, libera quoque dicenda est Incarnatio, & liberatio hominis,

non

non necessaria. Scilicet sanctus Doctor in ea fuit sententia c. 16. citato & præcipuè c. 18. Deum, ante vel Angeli vel hominis lapsum, voluntate sua prædefinisse certum quemdam numerum electorum & salvandorum, quem ait majorem tota multitudine Angelorum, sive bonorum, sive malorum; ne, si minorem poneret, cogeretur fateri, necessarium fuisse ex hypothesi divini illius decreti, aliquos ex creatis Angelis in peccatum labi ac damnari. Sin autem parem tantùm admitteret, fateri quoque teneretur, aut non creandos homines, si nullus Angelorum lapsus fuisset; aut si nihilominus crearentur, nullum eorum salvum futurum; aut cadentibus Angelis, si creati essent, eo dumtaxat fine creatos videri, ut ex iis ruinæ lapsorum Angelorum repararentur. Quapropter vi illius decreti, quo Deus statuit supplendas esse in Cœlis lapsorum Angelorum sedes, statuit necesse fuisse, consequenter nimirum & ex hypothesi, hominem lapsum reparari. Quidquid tandem sit de illo Dei decreto quod S. Doctor agnoscit, de quo dicendi locus hìc non est, sufficit nobis ostendisse, in opinione S. Anselmi simpliciter & absolutè necessariam non fuisse Incarnationem, supposito hominis lapsu; sed necessariam dumtaxat, ex hypothesi quòd voluerit Deus vacuas Angelorum lapsorum sedes ab hominibus occupari & impleri.

TERTIA CONCLUSIO.

Ex hypothesi quòd lapsum hominem Deus reparare ac salvum facere voluerit, absoluta & extraordinaria sua potentia potuisset absque Incarnatione, & suæ justitiæ satisfacere, & hominem servare.

Probatur: Quia infinita est & inexhausta divina potentia; & qui sumus nos, ut ei limites adscribamus? Multò sanè plura potest Deus, quàm nos excogitare valeamus. *Non erit tibi difficile omne verbum*, ait Jeremias c. 32. v. 17. Et Matth. 19. v. 26. *Apud homines hoc impossibile est*; *apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Si verò quæsieris quæ sit ea ratio, quæ via, qua Deus de potentia sua absoluta & extraordinaria potuerit sine Incarnatione, & jura suæ justitiæ integra servare, & hominem salvum facere, fatemur nos ignorare. In hisce rebus quæ à potentia Dei suprema, extraordinaria & absoluta pendent, expedit magis silere, quàm quidquam in incertum statuere: hoc unum nosse nobis satis est, Deum id omne generatim posse, quod nec in se implicat, nec ullum defectum ullamve positivam imperfectionem in Deum inveheret.

Ad hanc supremam & absolutam Dei potentiam respexisse videntur, quotquot ex SS. Patribus asseruere, Deum alia, quàm Incarnationis ac perfectæ satisfactionis, via potuisse liberare hominem, & justitiæ suæ jura compensare.

S. Athanasius Orat. 2. aliàs 3. contra Arianos, *Etiam*, inquit, *sine ullo ejus* (Salvatoris) *adventu poterat Deus tantummodo dicere, atque ita solvere maledictionem. Verùm attendere oportet quid sit hominibus utile, non autem quid in omnibus possit Deus.* To. 1. p. 546. A.

S. Augustinus Lib. 13. de Trin. c. 10. *Eos*, inquit, *qui dicunt, Itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miseria mortalitatis hujus, ut unigenitum filium Deum sibi coæternum, hominem fieri vellet? . . . . parum est* To. 8. p. 93?. C.

sic

sic refellere, ut istum modum... asseramus bonum & divinæ congruum dignitati: verùm etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent. Et Lib. de Agone Christiano c. 11. *Sunt*, inquit, *stulti qui dicunt, Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur de femina, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus, Poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret*. To.6.p. 251.B.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 9. *Hæc*, inquit, *Salvator fecit; idque cùm voluntate sola nobis, utpote Deus, salutem afferre posset, quemadmodum & universam rerum machinam solo jussu atque imperio procreavit*. To.1.p. 157.A.B.

Theodoretus Serm. 6. contra Gentes, *Erat illi facillimum*, inquit, *vel citra carnis involucrum, hominum salutem perficere, solaque voluntate mortis potestatem dissolvere*. To.4.p. 578.A.

S. Leo Serm. 2. de nativitate. *Verax*, inquit, *misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus infallibiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit*. To.1.p 146.ca 3.

S. denique Bernardus, ut alios benè multos sileamus, Epist. 190. ad Innocentium S. Pontificem de erroribus Abaelardi, quæ in ultima editione inter Tractatus reposita est, cap. 8. sic loquitur: *Quis negat Omnipotenti ad manum fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verùm hoc non præjudicat hujus, quem è multis elegit, efficaciæ*. To.1.p. 654.E.

Istis sanctorum Patrum testimoniis repugnare & opponi videntur alia, quæ sequenti Conclusione mox referemus, quibus tanta videntur adstrui necessitas Incarnationis ad hominem liberandum, ut sine illa liberari & salvus esse absolutè non possit. Verùm conciliari ea possunt, beneficio distinctionis potentiæ ordinariæ, vel extraordinariæ.

QUARTA CONCLUSIO.

Ex potentia Dei ordinaria, & jure virtutibus temperato, seu ex legibus divinæ justitiæ, ita necessaria fuit Incarnatio Verbi, ac satisfactio per ipsum Deo persolvenda, ut sine illa homo lapsus reparari non potuisset.

Probatur 1. Quia eadem necessitate Incarnatio fuit necessaria pro reparatione hominis, qua necessaria fuit satisfactio ad eluendam offensam Deo per peccatum illatam: (solus etenim Deus homo factus par esse potuit, ut postea ostendemus, Deo persolvendæ condignæ satisfactioni) atqui ita necessaria fuit satisfactio pro eluenda offensa Deo per peccatum illata, ut de potentia Dei ordinaria non possit Deus peccatum planè impunitum relinquere, idque ex immotis justitiæ suæ regulis à quibus recedere non potest Deus, qui *semetipsum negare non potest*. Qui enim naturæ suæ necessitate justus est, sanctus, imò justitia ipsa & sanctitas; qui peccatum necessariò odit, non potest illud non punire, non potest sibimetipsi denegare quod sibi debet ex justitia; ergo ex potentia sua ordinaria, ac consuetis justitiæ regulis, quas in Scripturis delineatas habemus, non potest Deus, quin ex peccato plenam reposcat satisfactionem; ac consequenter quin incarnetur, si hominem liberare voluerit.

Con-

Constantem illam in Deo semper fuisse voluntatem puniendi peccati, quod necessariò detestatur, nec sine satisfactione dimittendi, frequentissimè declarant divinæ Scripturæ quas referemus ad Quæstionem quintam, Articulo 1. ubi fusiùs & ex professo præsens argumentum versaturi sumus.

Probatur 2. Conclusio testimoniis SS. Patrum. S. Irenæus L. 3. c. 18. aliàs 20. P. 211. n. 7. *Nisi homo*, inquit, *conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis*. Quod probat ex conditione Mediatoris, ad quam necesse est ut & Deus assumat hominem, & homo se Deo dedat.

S. Athanasius Orat. 3. aliàs 4. contra Arianos, n. 33. *Nisi quæ*, inquit, *propria sunt carnis, Verbi esse dicerentur, ab his homo non penitus fuisset liberatus*. To. 1. p. 582. D. Et Lib. de Incarnatione negat aliter redimi hominem potuisse, & à corruptela liberari, quàm ab eo qui incorruptus esset; nec ullo modo violari ejus veritas ac justitia potest.

To. 5. p. 830. G. S. Augustinus Serm. 174. aliàs 8. de verbis Apostoli. *Non liberaretur humanum genus*, ait, *nisi sermo Dei dignaretur esse humanus*. Et Serm. 14. Ib. Append. p. 321. B. de tempore, nunc 193. in Append. *Transgressio primi hominis totum deceperat mundum; ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret è Cœlo*.

To. 5. p. 1. pag. 684. D. E. S. Cyrillus Alexandrinus Dialogo de Incarnatione Unigeniti: *Apprehendit Deus*, inquit, *non propriam ac peculiarem naturam (neque enim quidquam ad nos utilitatis pervenisset) sed neque Angelorum, sed semen Abrahæ, sicut scriptum est. Ita enim, & non aliter, genus ad perniciem devolutum instaurandum erat*.

S. Leo Magnus Serm. 1. de Passione Domini, *Talibus*, ait, *vinculis tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi*. To. 1. p. 213. ca. 2.

Denique S. Anselmus, non tantùm auctoritate sua, sed & ratione rem nostram probat & conficit. In Opere cui titulus est, *Cur Deus homo*, quod ferè totum est de præsenti nostro argumento, duo contendit S. Doctor: primum est, Deum non potuisse lapsum seu peccatum hominis permittere, quin statim ejus reparationem decreverit; alterum est, hominem non debuisse nec potuisse alia quàm plenæ atque condignæ satisfactionis, atque adeo Incarnationis, via redimi ac liberari.

Ut verò hæc duo assequatur & probet, istud statim L. 1. c. 10. sententiæ suæ P. 79 co. 1. C. fundamentum ponit, quod jam retulimus, nempe: *Sicut in Deo quamlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas; ita quamlibet parvam rationem, si majori non vincitur, comitatur necessitas*. Ex quo principio colligit 1. cap. 12. peccatum non posse impunitum & sine satisfactione dimitti. *Sic* Ibi col. 2. C. *dimittere peccatum*, inquit, *non est aliud quàm non punire; & quoniam rectè ordinare peccatum sine satisfactione, non est nisi punire; si non punitur, inordinatum dimittitur. Deum verò non decet aliquid in suo Regno inordinatum dimittere. Igitur non decet Deum peccatum sic impunitum dimittere*. Et P. 80. co. 1. B. sub finem capitis, *Quapropter*, ait, *si non decet Deum aliquid injustè, aut inordinatè facere; non pertinet ad eius libertatem, aut benignitatem, aut voluntatem, peccantem, qui non solvit Deo quod abstulit, impunitum dimittere*. Rursus cap. 19. ejusdem Libri inculcat, *Tene igitur certissimè, quia* P. 83. co. 2. E. *sine satisfactione, id est, sine debiti solutione spontanea, nec Deus potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad beatitudinem, vel*

talem, qualem habebat antequam peccaret, pervenire. Cap. verò 20. docet ejusmodi satisfactionem non ab homine mero, sed à solo Deo incarnato potuisse exhiberi.

Ex his sic arguitur: Qui existimat quodlibet, vel minimum, inconveniens in Deo esse impossibile, atque planè inconveniens esse, imò injustum, ut peccatum sine debita satisfactione gratis dimittatur, atque à solo Deo incarnato posse satisfactionem illam persolvi, ille consequenter censet Incarnationem simpliciter necessariam fuisse, ex hypothesi quòd Deus hominem lapsum redimere, ac salvum facere voluerit: atqui ita docet S. Anselmus; ergo &c.

De ista S. Anselmi doctrina non unum & idem est Theologorum judicium.

Sunt qui respondent, S. Doctorem non de absoluta necessitate locutum fuisse, sed de necessitate dumtaxat decentiæ ac congruentiæ; atque inconveniens illud & indignum, quod S. Doctor ait Deum non decere, exponunt de eo quod negativè tantùm, non quòd positivè, aut contrariè, inconveniens & minùs congruum est. Verùm difficile videtur responsionem hanc cum textu citato conciliare: quia manifestè loquitur S. Doctor de illo quod non tantùm negativè seu minùs conveniens est, sed de eo quod est *injustum, & Deo indignum*, qualis ipsi videtur esse gratuita peccati venia & condonatio, absque prævia persoluta satisfactione: quemadmodum mentiri, (quod exemplum profert cap. 12. citato) Deo indignum est ac planè impossibile.

Respondent alii cum S. Bonaventura & Alensi, S. Anselmum loqui dumtaxat de necessitate consequente liberum Dei decretum de plena & condigna exigenda satisfactione. Verùm ad verba S. Anselmi non satis attendere videntur, quibus negat esse in Deo libertatem aliquid injustè agere; hoc est, peccatum dimittere sine satisfactione: *Non pertinet*, inquit c. 12. *ad ejus libertatem, aut benignitatem, aut voluntatem, peccantem qui non solvit Deo quod abstulit, impunitum dimittere*. Ergo non de necessitate consequente decretum de exigenda satisfactione loquitur S. Anselmus, sed de necessitate ipsiusmet decreti pro illa satisfactione necessariò exigenda.

Alii exponunt de necessitate per respectum ad redemptionis modum, juxta strictos juris apices. Verùm non tantùm de modo, sed de substantia ipsa satisfactionis loquitur S. Doctor, quam simpliciter necessariam esse, nec sine læsa Dei justitia omitti posse, contendit.

Alii denique ingenuè fatentur, S. Anselmum sic reipsa opinatum fuisse, sed hac in parte deserendum esse. Rectè quidem, si omnium primus, aliis reclamantibus Ecclesiæ Patribus, ita censuisset: at multi & ante ipsum, & post ipsum ita docuerunt. Nonnullos illo antiquiores Doctores hic jam appellavimus; post ipsum verò Hugo Victorinus, de Incarn. c. 8. Guilielmus Parisiensis L. de causis cur Deus homo, eamdem sententiam amplexi fuere.

Dices 1. Nos ipsi hìc ad secundam Conclusionem, istud S. Anselmi effatum, *In Deo quamlibet minimum inconveniens sequitur impossibilitas*, exposuimus de eo quod negativè, non positivè inconveniens est. Quare igitur interpretionem istam hìc deserimus, ac refellimus?

Resp. rationem esse, quia in diversa hypothesi dictum S. Anselmi axioma protulimus & exposuimus. Conclusione secunda quæstio dumtaxat erat, utrum

utrum ex hypothesi lapsus hominis in peccatum, necesse simpliciter fuerit Deum incarnari ut hominem lapsum redimeret? Responsio nostra negativa est; & ad effatum S. Anselmi dicimus, commodè illud exponi posse de eo quod positivè seu contrariè, non autem quod tantùm negativè inconveniens est. Consule quæ suprà dicta fuere. Hic verò Conclusione quarta loquimur ex hypothesi quòd Deus voluerit hominem postlapsum redimere; & quærimus, Fuitne in ea suppositione simpliciter necessaria Incarnatio? Potuitne Deus de potentia sua ordinaria gratis & absque ulla satisfactione, peccatum & pœnas ipsi debitas homini relaxare? Negat S. Anselmus, & nos cum ipso: quia in mente S. Doctoris, gratuita & sine ulla satisfactione peccati remissio, ipsi videtur, non tantùm negativè, sed etiam positivè ac contrariè Deo inconveniens, imò & indigna, ac planè injusta. Ubi vides pro diversa hypothesi, diversam esse axiomatis S. Anselmi expositionem & applicationem.

Dices 2. Ratiocinium S. Anselmi plùs æquo probat: probat enim, non tantùm de potentia ordinaria Deum non posse, illæsis justitiæ suæ juribus, gratis condonare peccatum, sed etiam de potentia absoluta & extraordinaria. Quid ita? quia ex quacumque potentia, & in quacumque hypothesi Deus non potest, quod positivè seu contrariè ipsi indecens est, indignum, injustum: atqui in mente & ratiocinio S. Anselmi, remittere peccatum gratis & absque prævia satisfactione, Deo positivè seu contrariè indecens est, indignum & injustum, quòd nempe justitiæ suæ juribus adversetur, ergo nequidem de potentia Dei absoluta & extraordinaria potest Deus remittere peccatum gratis & absque debita satisfactione. Atqui tamen nos ipsi contrarium hic Conclusione prima asseruimus.

Resp. nego maj. De iis etenim quæ absoluta sua & extraordinaria potentia, & in alio rerum ordine Deus potest, certò judicare non valemus. *Quis enim Consiliarius ejus fuit?* Quis scit, num alia foret divinæ

Rom. 11. v. 34. justitiæ, præter Incarnationem, satisfaciendi ratio? quo casu illæsa semper jura ejus persisterent, ac vim suam obtineret S. Anselmi argumentum. Quis scit, num in ea hypothesi aliud aliquid operaretur Deus, ex quo non minorem, quàm ex Incarnatione, gloriam & laudem perciperet? Hæc curiosiùs rimanda non sunt: standum in hypothesi præsenti, ac in eo, quem instituit Deus, rerum ordine, juxta quem necesse omnino fuit puniri peccatum, nec sine satisfactione dimitti.

Multa alia sunt momenta quæ contra necessitatem satisfactionis opponunt Sociniani, quæ suo proprio loco ad Quæstionem sequentem reservamus.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA.

De satisfactione & merito Christi.

OMnem de satisfactione Christi disputationem ad tria universim capita revocamus, ad ejus necessitatem, veritatem, & perfectionem.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate satisfactionis Christi.

PRiusquam ad caput quæstionis accedamus, nonnulla præmittenda sunt, ex quibus dicendis lux major affulgebit.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. in satisfactione Christi, de qua hìc controversia movetur, quatuor attendi posse. 1. peccatum, pro quo exigitur satisfactio. 2. ipsam satisfactionem. 3. Deum cui fit satisfactio. 4. Christum qui pro nobis, seu loco nostro, satisfactionem Deo exhibet. *In satisfactione quatuor sunt attendenda.*

I. Peccatum, pro quo satisfactio exigitur, sub triplici ratione considerari potest, vel debiti, quo divinæ justitiæ obstricti sumus; quo sensu Coloss. 2. v. 14. de Christo Apostolus ait: *Donans vobis omnia delicta: delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*. Vel inimicitiæ, per quam non modò inimici Dei sumus, sed & Deus ipse nos odio habet, ac cum ira & indignatione nos respicit, *odibiles, odientes invicem*. Vel criminis, quo rei sumus mortis & maledictionis æternæ. Inde peccatores in Scripturis, modò *debitores*, Matth. 6. v. 12. modò *inimici Dei*, tam activè quàm passivè, Coloss. 1. v. 21. modò *rei*, Marci 3. v. 29. appellantur. *I. Peccatum.* *Ad Tit. 3. v. 3.*

Hinc colligitur, ad redemptionem nostram tria necessaria omninò fuisse, atque tria in satisfactione requiri: nempè ut sit debiti solutio, iræ divinæ placatio, & reatus peccati expiatio.

II. Observandum quid sit satisfactio. Apud Latinos is satisfacere dicitur, qui alicui placet & acceptus est: quo sensu, Ulpiano auctore, cujus desiderium implemus, ei satisfacimus. Verùm hac generali notione satisfactionis omissa, usu communi, satisfactio spontanea est debiti solutio. *II. Quid sit satisfactio.*

Cùm verò debitum erga aliquem contrahi possit, vel propter rem aut commodatam, aut mutuo acceptam, aut furto subreptam, vel propter famam & honorem læsum, ideò generatim nomen satisfactionis usurpatur ad significandam cujuscunque debiti solutionem: propriè tamen ac strictè sumitur pro sola debiti solutione, quod contrahitur ex læsione honoris & famæ. Quippè cùm satisfit pro debito v. g. pecuniario, aut rei cujuslibet vel commodatæ, vel mutuo acceptæ, vel furto sublatæ, satisfactio hæc propriè redditio dicitur: cùm enim usus rerum exteriorum sit dare, actus justitiæ secundùm quem æqualitas in rebus exterioribus constituitur, propriè red-

ditio vocatur: cùm verò æqualitas in actionibus & personis propter honorem læsum constituitur, propriè appellatur satisfactio. Prior redditio in æqualitate rei ad rem consistit; posterior, in æqualitate personæ ad personam.

Definitio satisfactionis. Hoc posteriori sensu, satisfactio hic à Theologis sumitur, ac solet definiri, *Redditio voluntaria honoris & reverentiæ æquivalentis, ex propriis, & aliàs indebitis, ad compensandam injuriam alicui per peccatum illatam.*

Dicitur 1. *Redditio*, quia est actus justitiæ ad alterum: nemo quippè, accuratè loquendo, sibi aliquid reddit; ac debitum quoddam connotat: unde distinguitur à gratuita & simplici donatione.

Dicitur 2. *voluntaria*, tùm quia est actus virtutis justitiæ, adeoque liber esse debet; tùm quia satisfactio, de qua hic loquimur, consistit in restitutione honoris: honor autem est in honorante, ac quamdam respectu alterius submissionem importat, quæ liberum includit voluntatis actum; tùm denique, quia distinguitur à redditione involuntaria, quæ non tam est satisfactio, quàm satispassio, cùm nempè is qui coactè reddit alteri quod suum est, non tam activè se habet saltem moraliter, quàm passivè.

Dicitur 3. *æquivalentis*, id est, ejusdem æstimationis ac valoris cum debito: satisfactio quippè est actus justitiæ, quæ, ut sit accurata, perfectam æqualitatem statuere debet. Hæc verò perfecta æqualitas attenditur penes proportionem rei ad rem, non autem penes aut facultates debitoris, aut creditoris voluntatem, ac vocari solet proportio arithmetica, non geometrica. Dicitur autem æquivalentis potiùs quàm æqualis, quia in satisfactione non requiritur absolutè æqualitas entitatis, sed sufficit æqualitas valoris secundùm æstimationem & appretiationem viri prudentis.

Dicitur 4. *ex propriis & aliàs indebitis*: si enim satisfactio fiat ex bonis alterius, sive creditoris, sive alterius cujuscumque, tantùm abest ut tunc sit actus justitiæ, quin potius nova quædam inæqualitas inducitur. Unde

Sequitur 1. quòd si creditor debitori suo munus aliquod daret, ea mente ut sibi satisfaciat, non tam satisfactio ista foret, quàm virtualis & tacita quædam debiti remissio; quia debitor non censetur plenum habere dominium in illud donum: si verò creditor, in eo conferendo munere, nullum onus, nullamve conditionem apponeret, perfecta tunc foret satisfactio, quia per hanc donationem tale munus factum esset proprium debitoris, atque ita ex propriis satisfaceret.

Sequitur 2. aliquem non posse satisfacere ex iis quæ debet titulo vel charitatis, vel gratitudinis, vel alicujus alterius virtutis, quia bona illa non censentur propria, quæ aliquo titulo alteri reddenda sunt.

Nec obstat, quòd debitor, qui decem v.g. aureos alteri debet, liberetur à debito, si creditoris urgente inopia solvat illi debitos decem aureos, quos tamen ex charitatis præcepto tunc erogare tenetur: quia solutio debiti ex justitia creditorem sublevat ab illa inopia qua premebatur, nec ampliùs erga ipsum urget charitatis præceptum.

Nec etiam obstat, quòd aliquis in sacris Ordinibus constitutus, licèt aliquo fruatur Beneficio Ecclesiastico, nihilominus Officio suo satisfaciat, si semel in die Horas Canonicas recitet; quia talis obligatio non ex jure naturali nascitur, sed tantùm positivo Ecclesiastico, quod gravius non imponit onus.

III. In

III. In satisfactione Deus ipse, cui illa fit, spectari debet. Sicut autem in peccato triplicem rationem seu respectum distinximus, nempè debiti, offensæ, & reatus; ita Deus spectari potest vel ut creditor, vel ut dominus & pars offensa, vel ut judex ac rector: & licèt hoc in præsenti negotio Deus ut creditor & pars offensa se habeat, maximè tamen spectatur ut judex & rector Universi, ad quem solum attinet pœnæ inflictio, vel à pœna liberatio. Licèt enim creditor possit debitum repetere, & pars offensa jus habeat postulandi restitutionem ac compensationem damni, solus tamen Judex in auctoritate constitutus potestatem habet cogendi ad pœnam; quod hìc ritè observandum est adversùs Socinianos, qui contendunt peccatum, ut simplex debitum, & Deum, ut merum creditorem spectandum hìc esse, qui pro arbitrio & nutu voluntatis suæ possit pœnam vel exigere, vel remittere absque ulla prævia satisfactione: atqui tamen certum est Deum hic sustinere personam Judicis ac rectoris Universi, qui jus majestatis tuetur, ac se Legum custodem ac vindicem profitetur. III. Deus ipse.

Quapropter pœna quæ à Judice potest reposci, spectari potest vel in se simpliciter & absolutè, vel quoad modum ejus & circumstantias. Priori modo spectata, non potest quin à Deo justo judice repetatur: justitia quippè Deo necessaria est ac essentialis, quæ non potest impunitum omninò relinquere peccatum. Posteriori autem modo sumpta, potest à Deo variè reposci: aut respectu temporis, differri; aut respectu gradus seu acerbitatis, mitigari; aut respectu personarum, in alios rejici ac transferri.

IV. Denique, in satisfactione spectari debet Christi pro nobis satisfacientis persona. Namque ut peccatum rationem habet debiti, inimicitiæ ac criminis, & Deus se habet ut creditor, pars offensa, & judex; ita Christus triplicem debuit induere relationem: nimirum sponsoris, qui pro nobis debitum solveret; mediatoris, qui inimicitias tolleret, ac Deum iratum nobis reconciliaret; Sacerdotis & victimæ, qui se loco nostro substitueret ad pœnalem satisfactionem. IV. Christi persona.

Rursus, ut satisfactio, quæ à justitia Dei exigebatur, duo præcipuè postulabat, 1. ut ab eadem natura, quæ peccaverat, solveretur. 2. ut valoris ac pretii esset infiniti, ad tollendum demeritum infinitum peccati; in Christo duæ naturæ necessariæ fuerunt ad persolvendam satisfactionem, humana, quæ pateretur; & divina, quæ valorem ac pretium passionibus infinitum communicaret.

Denique, quia Christus pro nobis se sponsorem dedit, ac innocens pro reis substitutus ac subrogatus fuit, ut talis subrogatio æqua sit ac justa, nonnullæ prærequiruntur conditiones. Prima est communio naturæ: nempè ut peccatum in ea natura puniatur, quæ rea erat ac nocens. Heb. 2. v. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*. Secunda, consensus voluntatis, ut spontè & ultro, nemine cogente, onus illud in se suscipiat. Isaiæ 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*. Tertia, potestas & dominium membrorum suorum: nempè ut sui juris sit, qui de se ipso, prout placuerit, statuere possit. Joan. 10. v. 17. *Ego pono animam meam à me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Quarta, potestas pœnas omnes nobis debitas ferendi, & Conditiones justæ substitutionis seu subrogationis.

auferendi tam à se, quàm à nobis: aliàs si detineri à morte posset, neminem ab illa potuisset liberare. Act.2.v.24. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni; juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Quinta, sanctitas ac puritas immaculata, ut nulla labe coinquinatus, opus non haberet offerre pro se ipso, sed pro nobis tantùm. Hebr.7. v.25.26.& 27. Cùm igitur omnes illæ conditiones apprimè Christo conveniant, nullique facta sit injuria per substitutionem illius loco nostri, non est quòd à Socinianis tanquam injusta rejiciatur.

Observandum 2. circa Christi satisfactionem errasse olim Pharisæos Pseudoapostolos, qui propriam justitiam stabilire conantes, satisfactionem Christi elevare ac convellere tentarunt; Valentinianos, Gnosticos, Arianos, & Photinianos, qui divinitatem Christo detrahentes, pretium omne ac valorem ejus operibus pariter detraxerunt; Pelagianos, qui cùm gratiam Christi medicinalem in sola ipsius doctrina & exemplo reponerent, atque totum missionis Christi fructum in eo esse vellent, quòd viam salutis tùm exemplis, tùm præceptis nobis demonstraret, non autem quòd interioris gratiæ subministratione, humanum genus sanaret à morbo peccati, consequenter necessariam esse Christi satisfactionem negasse censentur. Petrus etiam Abaelardus duodecimo sæculo in eumdem errorem delapsus fuit, teste S. Bernardo Epist.190. ad Innocentium S.P. quæ est de erroribus Abaelardi.

Omnium perditissimi Sociniani, Christi & divinitatem & satisfactionem pestilentissimis Scriptis aggressi sunt. Illi non tantùm negant Christum reipsa pro nobis satisfecisse; sed nec opus fuisse ut satisfaceret, asseverant: quia Deus non tantùm gratis potest absque ulla satisfactione peccatum remittere, sed etiam vult, ac reipsa ea remiserit. Ita Socinus Lib.1. de Servatore Christo c. 1. Catechesis Racoviensis, Smalzius contra Frantzium, Crellius Lib. de satisfactione Christi contra Grotium, Vvolkelius L. 5. de vera Religione c.22. & alii ejusdem farinæ ac impietatis homines. Quem errorem ut faciliùs ac commodiùs tueantur, consequenter docent, justitiam vindicem Deo essentialem ac naturalem non esse, sed tantùm liberrimæ voluntatis ejus effectum, quæ possit esse vel non esse; eadem prorsus ratione qua Deo liberum fuit creare mundum vel non creare. Fatetur quidem Socinus, Deo talem inesse justitiam, qua si perpetuò vellet uti, posset omnes peccatores, eorum non expectata pœnitentia, disperdere, quo casu nullum impunitum peccatum dimitteret: concedit etiam, Deum nolle dimittere peccatum, nisi resipiscentibus: non negat quoque, Deum peccatis debitam pœnam secundùm normam juris & sapientiæ suæ constituisse; sed negat esse in Deo attributum aliquod quo adigatur ad satisfactionem de peccato repetendam. Ita Socinus Prælect.c.16. quod confirmat L. 1. de Servat. c. 1. & L. 3. c. 1.

L. 1. de Servat. c. 1.

Orthodoxi omnes summo consensu docent, & Christum pro nobis satisfecisse; & ut satisfaceret, necesse prorsus fuisse. Dissentiunt nihilominus, ut definiant qua necessitate ductus fuerit Christus, ut pro nobis satisfaceret. Alii enim necessitatem dumtaxat decentiæ ac congruentiæ; alii necessitatem hypotheticam, & supposita divina voluntate pro exigenda condigna satisfactione; alii necessitatem tantùm decreti ac voluntatis Dei; alii denique, quos sequimur, ut pressiùs Socinianos concludant, necessariam contendunt Chri-

Christi satisfactionem, non quidem necessitate simplici & absoluta, quasi de potentia extraordinaria & absoluta non potuisset Deus alio modo humano generi subvenire, sed de potentia Dei ordinaria & virtutibus justitiæ ac sapientiæ temperata, qualis in Scripturis revelata nobis est: quæ quidem sententia longè commodior est reprimendæ Socinianorum impietati.

His ita prænotatis, necessitas satisfactionis Christi attendi potest, vel ex parte Dei, vel ex parte hominis. Duo itaque hìc probanda nobis incumbunt.

I. Necesse fuisse Christum pro nobis satisfacere.

II. Hominem purum non potuisse, neque pro suo, neque pro alieno peccato Deo satisfacere.

Probatur necessitas satisfactionis Christi, ex parte Dei.

CONCLUSIO.

Ita necessaria fuit Christi satisfactio, ut de potentia Dei ordinaria jure ac virtutibus temperata, non potuerit homo lapsus alio pacto, quàm per condignam Christi satisfactionem, reparari.

Probatur Conclusio ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum exceptionibus vendicantur.

Duplex argumentum pro necessitate satisfactionis Christi ex Scripturis eruitur: unum ex parte naturæ Dei, seu ejus justitiæ, quæ peccatum omninò impunitum relinquere non potest: alterum, ex parte voluntatis divinæ nobis in Scripturis declaratæ, qua constat noluisse peccatum sine debita satisfactione dimittere.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex natura seu justitia Dei.

Qui natura sua justus est, qui perfectè ac necessariò peccatum odit, tanquam sanctitati ac justitiæ suæ repugnans; qui aliunde illud omne potest, quod vult, is non potest peccatum dimittere impunitum, sed necesse est ut pro illo pœnas reposcat: atqui Deus natura sua justus est, perfectè ac necessariò peccatum odit tanquam sanctitati ac justitiæ suæ repugnans, & aliunde illud omne potest, quod vult; ergo &c.

Major propositio declaratur. Natura justitiæ postulat, ut unicuique, quod suum est, reddatur; neque magis potest Deus suam negare justitiam, quàm semetipsum: aliunde Deus peccatum necessariò aversatur, quæ aversio seu odium in ipso nihil aliud est, quàm constans voluntas illud puniendi, quæ voluntas cassa esse non potest in eo cujus virtus & potentia infinita est; unde necessariò sequitur, fieri non posse, quin Deus puniat peccatum: hoc quippè debet & ipsi peccato, & suæ justitiæ, cujus jura illibata servare tenetur. Ut enim observatum paulò antè fuit, Deus hìc non se habet tantùm

ut pars læsa, quæ potest de jure suo aliquid relaxare, sed ut judex ac rector universalis, qui tenetur jus publicum ac naturale integrum servare, ne lædatur.

Reipsa quidem in usu seu exercitio vindicis justitiæ, seu in pœnis infligendis, liber Deus est, quantùm ad durationem temporis, pœnæ mensuram, ac subjectum à quo eam reposcit; sed quantùm ad pœnæ substantiam, necesse est eam peccato imponi, quisquis tandem eam ferat, aut peccator ipse, aut ejus sponsor: unde meritò ajunt Scholastici, pœnam necessariò impersonaliter imponi omni peccato, sed non personaliter omni peccanti.

Minor verò propositio probatur:

I. Justitia Dei vindex perfectio est simpliciter simplex, ac de conceptu essentiali divinitatis; atque repugnat concipere numen injustum: sicut ergo non potest Deus non retribuere benè operantibus, justam mercedem; ita malè agentibus, debitam pœnam.

II. Scriptura ultricem Dei justitiam sæpissimè laudat ac commendat. Exodi 34. v. 7. *Deus es qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam progeniem*. Psal. 5. v. 6. *Neque habitabit juxta te malignus; neque permanebunt injusti ante oculos tuos*. Et v. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Rom. 1. v. 18. *Revelatur ira Dei de Cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum, eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent*. Secundæ ad Thessal. 1. v. 6. *Justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant*.

III. Deus necessariò peccatum aversatur & odio habet, quia essentialiter justus est ac sanctus; ergo necessariò illud ex justitia punire debet. Antecedens certum est. Namque sicut Deus ita necessariò suam amat justitiam, ut non possit illam non amare; ita necessariò, ex natura contrariorum, aversari debet peccatum, quod justitiæ suæ adversatur. Consequens non minùs est certum. Sicut enim qui rem vel personam amat, ei benè vult, ac si potest, benè facit; ita verum odium post se trahit depulsionem seu destructionem illius circa quod versatur: aliàs, si posset non punire, posset non odisse; si posset non odisse, posset amare, quod de Deo cogitare impium est. Hoc unum dumtaxat discrimen est inter justitiam Dei, & ejus amorem seu misericordiam, quòd ista nemini debeatur, ac planè libera sit; illa verò sit debita, tùm ipsi peccato, ut puniatur; tùm Deo, ut læsus ipsius honor reparetur. Quapropter justitia perinde ac sanctitas Dei in Scripturis proponitur, tanquam causa à priori cur Deus peccata puniat. Josue 24. v. 19. *Deus sanctus, & fortis æmulator est; nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis*. Et Habacuch 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum*; hoc est, malum approbes.

Hanc ultricem Dei justitiam naturalis sensus ac communis omnium peccantium vox apertè demonstrat. Unde enim illi peccatis exagitatæ conscientiæ stimuli? unde terrores? unde cæca illa verbera, quibus torquentur qui malè agunt, nisi ex intima persuasione ultricis divinæ justitiæ, quæ peccatum non potest relinquere impunitum? Hinc istud Poetæ, *Primus in orbe deos fecit timor*. Hinc etiam victimæ ac sacrificia, quæ vel maximè barbari pro irato numine placando, naturæ ipsius instinctu, obtulerunt.

Respon-

Responsio Socinianorum.

Respondent Sociniani

I. Justitiam illam, de qua toties Scriptura, esse dumtaxat universalem illam justitiam, quæ æquitas & rectitudo, aliquando etiam puritas & sanctitas vocatur, qua Deus semper ea quæ recta sunt in pondere ac mensura operatur; non autem particularem, vindicem & ultricem justitiam, per quam, ut nos putamus, peccata necessariò plectuntur. *Neque enim*, ait Socinus Prælect. c. 16. *in Deo ulla justitia est quæ peccata omninò punire jubeat, cui renuntiare ipse non possit: est quidem in Deo perpetua justitia, sed hæc nihil aliud est, quàm æquitas & rectitudo.*

II. Respondent, ex odio Dei necessariò non sequi vindicem esse ac ultricem in Deo justitiam essentialem, sed hoc unum, eam liberrimum esse voluntatis ipsius effectum; ita ut puniat Deus, quia vult; non autem quòd necessariò adigatur ut velit punire. Probant 1. quia ex odio nostro necessariò vindicta non sequitur; seu quia nolumus, seu quia non possumus eos punire qui nos injuria affecerunt; ergo idem de Deo sentiendum. 2. Si Deus punire potest ubi non odit, potest etiam odisse nec punire: atqui punit Deus quem non odit, proprium nempè filium suum summè dilectum.

III. Respondent, Deum liberrimum esse in pœnis infligendis, perinde ac in cæteris externis operibus; adeòque illum tanquam partem læsam posse de jure suo remittere, absque cujusquam injuria. Cui enim eam faceret? An sibi? at volenti non fit. An homini? imò erga ipsum beneficus foret.

Refellitur Sociniana responsio.

Prima quidem: Justitia quippè quæ pœnas ex peccato reposcit, particularis seu vindex appellatur; at constat ex laudatis Scripturæ testimoniis, justitiam Dei pœnas ex peccato reposcere. Præterea, esto id demus adversariis, nomine justitiæ locis citatis rectitudinem tantùm & æquitatem universalem designari; annon inde necessariò inferendum, naturalem esse in Deo vindicem justitiam, qua peccata puniantur; ita certè. Rectitudo quippè illa & æquitas universalis necessariò postulat, ut nihil sit inordinatum, nihil injustum: at non puniri, quod puniendum est, quidquam est inordinatum. In illa ergo rectitudine & æquitate generali includitur, tanquam species in genere, æquitas illa seu justitia particularis, quæ circa punitionem peccati occupatur: atque id veritate ipsa superatus diffiteri non potuit Socinus, qui necessariam in Deo justitiam vindicem, saltem erga contumaces & impœnitentes admittit.

Secunda quoque responsio falsum prorsus supponit: odium quippè peccati in Deo absolutè necessarium est, quia non potest non odisse quod sanctitati suæ ac justitiæ adversatur. Esto exercitium odii Dei, quoad varias ejus circumstantias, tempus, locum, personas, mensuram punitionis, liberum sit: attamen quantùm ad substantiam, planè necessarium est, ac fundatur in actu Dei necessario, nempè amore suæ justitiæ ac sanctitatis.

Ad confirmationem secundæ hujus responsionis, dico 1. amplum discrimen

esse inter odium Dei, respectu peccati, & odium nostrum respectu eorum à quibus læsi sumus. Aliæ sunt viæ Dei, aliæ nostræ. Privatorum non est ulcisci illatas sibi injurias, sed eorum qui sunt in auctoritate constituti, Dei præsertim qui supremus Judex est, sibique ultionem ac vindictam reservavit; unde odium nostrum respectu mali inefficax est quoad vindictam; vel quia sæpissimè pœnas repetere non possumus, & vana est sine viribus ira; vel quia nolumus; vel quia non debemus. At Deus & potest, & debet, & vult. Quòd si aliquando pœnas aut mitigat, aut differt, aut commutat, penitus tamen non aufert, ac justitiæ suæ reddit quod ipsi debitum est.

Dico 2. argumenta ab oppositis admitti semper non posse in sana Theologia. v.g. jubemur amicos diligere: an rectè quis inde cum Pharisæis inferret, inimicos esse odio habendos? Ergo si Deus punire posset ubi non odit, non sequeretur eum odisse, & non punire. Falsò supponunt Sociniani, Deum aliquando punire, & non odisse: neque exemplum Christi, quod proponunt, aptum est. Quid enim in ipso odit Deus? non personam certè, cùm sit Filius summè dilectus. Quid ergo? peccata nostra, quæ Christus tanquam sponsor noster in se transtulit, quorum causa tam severè punitus à Deo fuit, ut se derelictum à Patre conquestus aliquando fuerit.

Tertia responsio confutatur: quia licet exercitium justitiæ divinæ, quantùm ad circumstantias, liberum sit, ipsa tamen justitia in actu primo, & quatenus est proprietas Dei essentialis, necessaria est, ac necessariò quantùm ad substantiam pœnas ex peccato repetere debet. Neque porrò eadem est ratio justitiæ, quæ bonitatis ac misericordiæ in suis externis effectibus: ab istis enim abstinere omninò potest Deus, quia nemini debentur ac planè gratuiti sunt; non ita est de justitia, quam Deus & sibimetipsi debet, & peccato. Falsò prorsus supponunt hìc Sociniani, Deum se habere tantùm ut partem læsam: Judicis publici ac rectoris universalis personam sustinet, cujus est bonum publicum ac naturale tueri. Tametsi ergo gratis condonando peccata nulli extra se posito injuriam faceret, faceret tamen justitiæ suæ, quam non decet impunè offendi; faceret legibus à se constitutis, quarum majestatem sartam tectamque servare tenetur; faceret bono publico, cujus custos est & administer; & sicut seipsum abnegare non potest, nec se naturali dominio, quod in res omnes habet, exuere; (quod tamen si faceret, nemini esset injurius) ita non potest de jure illo publico & naturali, quod peccati vindictam postulat, quidquam relaxare.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex voluntate Dei tùm in Lege tùm in Evangelio nobis revelata.

Deus tùm in veteri tùm in novo Testamento, mortis pœnam sæpiùs peccantibus interminatus est; ergo cùm nec mentiri possit, nec mutari, necesse fuit comminationem illam executioni demandari; atque vel hominem ipsum moriendo huic edicto satisfacere, vel in Christum hominis vadem ac sponsorem pœnam transferri.

Antecedens & consequens probant evidenter Scripturæ.

Antecedens, Gen. 2. v. 17. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, ait

ait Deus Adamo: *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Deut.27.v.26. *Maledictus qui non permanet in sermonibus Legis hujus*. Ezech. 18.v.20. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Rom.1.v.18. & 19. *Revelatur ira Dei de Cœlo, super omnem impietatem & injustitiam hominum*. Culpam igitur seu peccatum pęna sequitur; & quidem, ut ait Poeta, non pede claudo: Deo ita justè decernente.

Consequens etiam certum est. Quia reipsa Christus pro nobis sponsor factus, temporalis mortis pęnam subjit, ut nos à debito mortis æternæ liberaret. Matth.20. v.28. Christus venisse dicitur, *ut animam suam daret redemptionem pro multis*. Et Rom. 3. v.25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ; propter remissionem præcedentium delictorum*. Unde S. Joannes c.3. v.4. dixit, *exaltari oportuisse filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Et S. Lucas c.24. v.26. *Nonne*, ait, *hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Quapropter Apostolus in Epist. ad Hebr. tam frequenter inculcat sacrificia legalia reatum peccati tollere non potuisse: atque aliud longè nobilius & excellentius sacrificium, nempè Christi, necessarium fuisse. *Impossibile enim est*, ait Hebr. 10. v. 4. *sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dixit; Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi*. Et c.9. v. 22. & seq. *Omnia penè in sanguine secundùm Legem mundantur; & sine effusione sanguinis non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quàm ista*, quibus verbis apertè significat Apostolus, necesse fuisse nos sanguine Christi, veræ ac immaculatæ hostiæ, mundari. Porrò verisimile non videtur, Deum sapientissimum voluisse proprium suum Filium tam acerbæ & ignominiosæ morti subjici, si absolutè necessaria non fuisset satisfactio per hominem Deum oblata: & si faciliori via totum redemptionis humanæ negotium peragi potuisset.

Responsio Socinianorum.

Respondent Sociniani.

I. Legem ac comminationem Adamo denuntiatam, ipsius tantùm personam obligasse, non cæteros homines. Quòd si hi, sicut Adam, morti obnoxii sunt, non ex peccato id oriri, sed ex ipsa naturæ conditione; quia ex eo nati sunt, qui mortalis fuit: ea ferè ratione, qua filii servorum etiam servi sunt.

II. Verba ista Legis, *Maledictus qui non manserit in omnibus præceptis Legis*, ad solos Judæos pertinere, qui sub jugo Mosaicæ Legis vixere: agitur enim loco citato, de Lege Mosaica, ut pronomen *hujus* demonstrat, non de omni Lege.

III. Omnes illas comminationes, quibus Deus peccantibus mortem interminatus est, non absolutè, sed sub conditione intelligi debere, si nempè sincera non agatur pęnitentia. Ratio est, quia omnes ferè, inquiunt, Scripturæ comminationes sunt conditionatæ, nisi vel earum contrarium natura sua turpitudinem quamdam in se contineat, aut signum comminationis additum sit immutabilis planè voluntatis: v.g. si juramentum adjunctum sit,

ſit, quale legitur de Iſraelitis incredulis & contumacibus, in terram promiſſam non introducendis, Num.14.v.28. Porrò, ajunt, neutrum horum reperitur in citatis comminationibus: unde illæ cenſendæ ſunt conditionatę, quales fuere comminationes Iſaiæ ad Ezechiam c. 38. v. 1. & Jonæ ad Ninivitas c.3. v.4.

IV. Alia quàm ſatisfaciendi cauſa, mortuum eſſe Chriſtum; nempè ut nos in bono confirmaret, inſtrueret doctrina, & omnium virtutum exemplo ad ſe pertraheret.

Refellitur Sociniana reſponſio.

Prima: Quia omnes homines in Adamo tanquam in capite ac radice incluſi erant; eademque, qua ipſe, lege aſtricti, eo peccante, peccaverunt. *Per unum hominem*, ait Apoſtolus Rom.5.*v.*12.*peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Quid diſertius, ut demonſtretur, peccatum Adami non perſonale dumtaxat ac proprium ipſi fuiſſe, ſed naturæ totius humanæ proprium? *in quo omnes peccaverunt*. Et ita, cùm, eodem judice Apoſtolo ibidem v.13. *peccatum non imputetur ubi non eſt lex*, concludendum eſt, eadem lege, qua Adamus, cæteros homines obſtrictos fuiſſe. Falsò igitur aſſerunt Sociniani, homines mori ex ſola naturæ conditione, non ex peccati pœna. *Stipendia peccati mors*, Rom.6.v.23.*Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. Ezech.18.v.20.

Secunda reſponſio refellitur: Quia Lex Moſaica ſpectari poteſt vel formaliter, quatenus eſt Tabulis conſignata: vel materialiter, quatenus ſubſtantiam mandatorum continet, quibus creatura erga ſuum creatorem obligatur. Priori ſenſu non negamus Legem primariò ſpectaſſe Iſraelitas, quibus directè data eſt: at poſteriori ſenſu, communis fuit tam Gentibus quàm Judæis. *Gentes* enim *quæ legem non habent*, ait Apoſt.Rom.2.v.14.& 15.*naturaliter* (id eſt ſine lege ſcripta) *ea quæ legis ſunt, faciunt: ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Quapropter maledictio per Legem denuntiata ſtrictè ad ſolos violatores Legis Moſaicæ non coarctatur, ſed ad eos etiam qui legem naturalem violant: quod facilè colligitur ex morte quæ regnavit ab Adamo uſque ad Moyſen, nondum promulgata Lege Moſaica, juxta iſtud Apoſtoli Rom.5. v.14. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*: id eſt, qui non peccaverunt contra legem poſitivam, ſicut Adam; ſed contra legem naturalem ſcriptam in cordibus. Neque articulus demonſtrativus, *hujus*, hìc urget: apponitur quippè ad diſtinguendam legem Dei à legibus & traditionibus humanis; neque excludit, ſed includit legem naturalem, quæ quantùm ad ſubſtantiam eadem eſt cum morali.

Tertia reſponſio nihil planè ſolidi continet. 1. Quia etſi fatendum ſit; nonnullas eſſe in Scripturis comminationes conditionatas, quales ſunt Iſaiæ ad Ezechiam, Jonæ ad Ninivitas, non inde tamen rectè infertur alias non eſſe abſolutas: neque priores confundendæ ſunt cum immota legis æternę ſanctione; quandoquidem expreſsè Chriſtus Matth.5.v.18.ait, *nequidem apicem unum aut iota unum ex Lege tranſiturum, quin omnia fiant*. Et Apoſt. Hebr. 10. v.28.

v. 28. probat eos, qui Filium Dei ejusque sanguinem conculcarint, gravissimis afficiendos esse suppliciis, eò quòd si quis in Legem Mosis peccasset, absque misericordia moriendum ipsi erat: ubi à minori ad majus arguit Apostolus. In eo igitur peccant adversarii, quòd à particulari ad universale arguant; ac concludant, omnes, quas Scriptura commemorat, comminationes conditionatas esse, quia nonnullæ reipsa tales sunt, quæ arguendi ratio tota sophistica est. Probandum autem ipsis incumbit, quod nunquam probabunt, comminationes, de quibus hìc loquimur, conditionatas esse, non verò absolutas. 2. Distinguendæ sunt comminationes quæ temporales dumtaxat pœnas, ab illis quæ mortem æternam denuntiant. Illæ nonnunquam relaxari possunt, non istæ: quæstio verò nostra non est de pœnis temporalibus, sed æternis, atque omnimoda peccati impunitate, quam putamus impossibilem. 3. Confundi non debent comminationes paternæ & Evangelicæ, cum legalibus & judicialibus. Illas nonnunquam effectu cassas fieri, nihil vetat: quia ex œconomia quadam sæpius proponuntur, non ut impleantur, sed ut homo iis territus à viis suis pravis convertatur: aliæ verò non possunt irritæ fieri, quia æternum ac immutabile jus arguunt, quod sine præjudicio justitiæ tolli non potest. 4. Necesse non est ut juramentum semper accedat comminationibus vel promissis, in signum immutabilis voluntatis. Namque licèt propter infirmitatem nostram illud aliquando addatur; non minùs tamen impossibile est Deum mentiri, cùm simpliciter loquitur, quàm cùm juramento se adstrinxit. Denique, absoluta criminum impunitas aliqua turpitudinis labe aspersa videtur, qualis est in rectore ac judice officii, quod exercere tenetur in ordinis conservatione, desertio ac contemptus. Neque dicas Deum ab omni lege solutum ac liberum esse. Ita quidem, si sermo sit de lege extra Deum ipsum posita: sed ipse sua sibi lex est; & sicut semetipsum negare non potest, ita nec justitiam suam.

Quarta denique responsio nulla planè est: Quia cùm doctrinam suam variis stupendis miraculis Christus confirmasset, atque toto vitæ suæ decursu, tot splendida virtutum exempla dedisset, quid quæso necesse fuisset ea una de causa unigenitum filium suum tot diris cruciatibus expositum voluisse? Alia igitur causa & ratio fuit; nempè, justitiæ divinæ, pro illata ipsi offensa, satisfaciendum fuit.

Ad hæc ex Scripturis momenta, accedit & Theologica ratio. Scilicet, nostra circa necessitatem satisfactionis Christi sententia, nulli derogat divinæ perfectionis, imò ad earum gloriam, splendorem & commendationem plurimùm confert. Non derogat absolutæ Dei potentiæ: quia summæ in Deo perfectioni est, quòd seipsum suasque perfectiones negare non possit. Non derogat liberrimæ Dei voluntati: tùm quia nihil vult, aut velle potest contra suam justitiam & sanctitatem, cui, impunitate peccati, præjudicium quoddam inferretur: tùm quia semper exercetur Dei libertas in variis pœnæ infligendæ circumstantiis, ut sæpè dictum à nobis fuit. Non derogat misericordiæ, quæ tam liberaliter exercetur erga peccatorem cui pœnas relaxat, quas in sponsorem Christum rejicit, imò sanctitas, justitia, sapientia & charitas Dei maximum ex satisfactione Christi splendorem contrahunt, ut probatum superiùs à nobis fuit, cùm de convenientia Incarnationis verba fecimus.

Solvun-

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Nostra Conclusio falso prorsus fundamento nititur, nempè justitiam vindicem ac ultricem in Deo naturalem esse, ac prorsus necessariam.

I. Quia quod Deo essentiale est ac necessarium, non potest non esse: atqui justitia vindex in Deo potuit non esse, si nimirùm nulla extitisset, ut fieri potuit, creatura peccatrix.

II. Naturalia in Deo non sunt contraria: sed misericordia & justitia sunt contrariæ; illius enim est salvare, hujus destruere ac perdere.

III. Quod inæquale est ac suscipit magis vel minus, Deo naturale non est ac necessarium, quia in Deo omnia infinita sunt: at misericordia & justitia tales sunt; nam qui multus est in misericordia, tardus dicitur ad iram; qui justitiam in quartam tantùm generationem exerit, idem benignitatem suam ac misericordiam ad millesimam usque protendit, Exodi 20. v. 5. & 6.

IV. Si justitia Deo essentialis foret ac necessaria, æqualiter omnia peccata plecteret, nec posset hujus misereri, illum verò punire, hæc enim est conditio agentis necessarii, seu qui ex necessitate suæ naturæ ad aliquid determinatur.

V. Denique, quod liberum est, non potest esse naturale ac necessarium: at justitia in Deo libera est, quia potest Deus pro nutu & arbitrio punire vel non punire, sicut potuit creare vel non creare.

Resp. nego min.

Ad primam ejus probationem, dist. maj. Quod est in Deo necessarium, non potest non esse, saltem in actu primo, concedo: in actu secundo, subdist. si sit proprietas absoluta quæ nullum dicat ordinem ad creaturas, v.g. æternitas, infinitas &c. concedo: quæ dicat ordinem ad creaturas, v. g. justitia, misericordia &c. nego. Dist. min. justitia vindex in Deo potuit non esse, quoad actum seu exercitium, iterum dist. quantùm ad circumstantias hujus exercitii, pœnæ tempus, mensuram, durationem, subjectum, concedo: quantùm ad substantiam pœnæ, quasi possit Deus omnem omninò pœnam relaxare, ac peccatum gratis & absque ulla satisfactione impunitum dimittere, nego. Solutio ex antè dictis manifesta est. Itaque proprietates in Deo absolutæ ac naturales quæ nullum dicunt ad creaturas ordinem, sunt in ipso necessariæ, tùm quoad actum primum, tùm quoad actum secundum: at illæ quæ ad creaturas respectum aliquem seu ordinem dicunt, v.g. justitia & misericordia, necessariæ quidem sunt quoad actum primum, non ita quoad actum secundum, seu exercitium, quod quidem misericordię respectu, omni ex parte liberum est, quia misericordia perinde ac gratia planè gratuita est, nec cuiquam debetur; respectu verò justitiæ, liberum est quoad varias pœnæ circumstantias, non autem quoad ipsam pœnæ substantiam: quia nimirum necesse fuit pœnam ex peccato repetere, ac divinæ justitiæ satisfieri. Necessarium igitur non est justitiæ vindicis exercitium necessitate, ut ajunt, absoluta & antecedente, quia potuit non esse creatura peccatrix; sed necessitate dumtaxat consequente, ac supposito creaturæ peccato.

Ad

Ad secundam, nego justitiam & misericordiam inter se opponi; sunt enim ipsamet simplicissima Dei natura, ex qua varii & oppositi prodeunt effectus. Deus ut justus, punit; ut misericors, parcit: neque idcircò pugna & contradictio est inter justitiam & misericordiam, quæ circa diversa objecta occupantur, ac diversos producunt effectus.

Ad tertiam, dist. min. Justitia & misericordia suscipiunt magis & minus, quantùm ad effectum externum, concedo: quantùm ad effectum, seu ipsam internam proprietatem, nego. Licèt enim duæ istę virtutes in Deo æquè infinitæ sint, diversimodè tamen sese erga homines exerunt, dum nec omnium æqualiter miseretur Deus, nec omnes ex æquo indurat: cujus quidem inæqualitatis causa occulta esse potest, injusta esse non potest.

Ad quartam, nego sequelam: ita enim Deus necessariò justus est, ut hæc necessitas non cæca sit & physica, qualis est v.g. in igne ad comburendum, sed moralis, quæ varios justitiæ divinæ actus liberè potest exercere. Non potest quidem Deus impunitum omninò relinquere peccatum: verùm pœnæ tempus, modus, mensura, subjectum, ex beneplacito ejus pendent, quia potest Deus ad arbitrium pœnam differre, mitigare, & in alium transferre ex œconomia & prudenti dispensatione. Quapropter Deus aliquo sensu semper agit ex justitia, quia semper punit peccatum; ac licèt peccatori parcat, parcendo tamen injustè non agit, maximè cùm à Christo sponsore nostro plenam ac perfectam repetierit satisfactionem.

Ad quintam, dist. maj. Quod liberum est non potest esse necessarium, necessitate antecedente & absoluta, concedo: consequente & hypothetica, nego. Dist. min. Justitia Dei libera est, quantùm ad exercitium, & varias pœnæ circumstantias, concedo: quantùm ad actum primum, & ipsam pęnæ substantiam, nego. Distinguo consequens ad sensum maj. Justitia Dei non potest esse necessaria, necessitate antecedente & quoad actum secundum, concedo: necessitate consequente & hypothetica, supposita nempè creatura peccatrice, nego.

Instabis. Quod in Deo necessarium est necessitate orta ex ipsius natura, non potest quin in ipso sit de quacumque potentia, sive ordinaria sive extraordinaria; de quacunque scilicet potentia nihil Deus potest, quod suæ naturæ adversetur: atqui punitio peccati, etiam quoad pœnæ substantiam, Deo necessaria est necessitate orta ex ipsius substantia seu natura, hoc est, ex justitia quæ ipsi essentialis est; ergo absolutè non potest Deus non punire peccatum, nec consequenter potuit hominem lapsum redimere sine satisfactione seu Incarnatione; unde consequens est, Incarnationem absolutè necessariam fuisse, nec alia via potuisse hominem liberari: atqui tamen oppositum suprà docuimus.

Resp. dist. min. Quod necessarium est necessitate orta ex natura, tanquam actus primus, seu proprietas fluens ex natura, non potest quin in Deo sit, etiam de potentia Dei absoluta & extraordinaria, concedo: quod necessarium est necessitate orta ex natura, tanquam actus secundus, seu tanquam exercitium externum proprietatis alicujus divinæ, quod Dei libertati subjicitur, nego. Porrò actualis punitio peccati necessaria quidem in Deo est necessitate orta ex natura tanquam actus secundus, & externum divinæ justitiæ exercitium, quod quidem de potentia Dei ordinaria non potest non esse: at

de

de potentia Dei absoluta & extraordinaria potest non esse; quia posset Deus alia via seu ratione (quamquam nobis incognita) absolutè & suæ justitiæ satisfacere, & honori suo consulere non puniendo peccatum.

Instabis 1. Deus necessariò ac essentialiter odio habet peccatum; ergo de quacunque potentia non potest illud non punire.

Resp. nego conf. quia etiam illud non puniendo, justitiæ suæ ac honori læso aliunde satisfaceret.

Instabis 2. Fieri non potest, de quacunque potentia, quin Deus in actu secundo æternus sit, infinitus, immensus; ergo pariter fieri non potest quin justitiam exerceat.

Resp. disparitatem esse, quia æternitatis, infinitatis, & immensitatis Dei, propriè loquendo, nullum est exercitium, quia hæc attributa nullum dicunt ordinem, seu respectum ad creaturas: non ita justitia, quæ, supposita creatura, ad boni vel mali retributionem necessariò tendit & ordinatur.

Objicies 2. Deus, utpotè pars læsa, potest de jure suo remittere; ergo potest peccata impunita relinquere. Probant: Quia unicuique licet de jure suo cedere: quantò magis Deo, qui supremus est rerum omnium Dominus? Nec ulli fieret injuria, si Deus peccatum gratis dimitteret.

Resp. ex dictis antea non semel, vanam omninò esse hanc Socinianorum objectionem. 1. Quia Deus non tantùm hìc pars læsa est, sed judex ac rector Universi, & juris publici vindex. 2. Esto liceat privato cuilibet jus suum privatum remittere, non ita licet publicæ personæ jus publicum non asserere. 3. Nemini quidem extra se Deus injuriam faceret: at sibi suæque justitiæ faceret; & quemadmodum non potest exuere se naturali dominio quod habet in omnes creaturas, (quamquam si faceret, nemini inferret injuriam) ita non potest justitiæ suæ jura non servare.

Objicies 3. Potest Deus peccatori mitiorem pœnam imponere; quidni ergo & nullam? Supponatur v.g. tres pœnæ gradus tali peccato debitos esse, si potest Deus unum vel alterum remittere, cur non tertium? cur non omnes? Adde quòd possit Deus remunerari ultra condignum; ergo & punire citra condignum, adeoque aliquem peccati gradum impunitum dimittere.

Resp. nego consequens. Namque justitia quamdam habet graduum latitudinem, extra quam excurrere non potest: unde licèt possit Deus aliquem pœnæ gradum remittere, non potest omnes; quamquam aliunde definire non valeamus, quem Deus ex sua justitia relaxare possit. Hoc unum videtur certum, peccato debitam esse pœnam, nec illam posse omninò ac totaliter dimitti; ac consequenter certum quemdam esse gradum pœnæ essentialem ac necessariò debitum, qui solvi debet: quamquam etsi Deus pœnas aliquas gratis nobis remittat, respectu tamen Christi eas omnes ex stricta & severa justitia repetit. Quapropter nullum est istud argumentum: Potest Deus hunc & illum pœnæ gradum remittere; ergo potest omnes. Perinde est ac si quis diceret: Potest stare hominis vita sine hac vel illa sanguinis parte; ergo sine ulla. Ad id quod addunt, posse Deum ultra condignum remunerari; ergo & punire citra condignum: neganda est paritas. Deus enim ex misericordia planè gratuita miseretur & bona retribuit, ac potest pro arbitrio bonis suis creaturam cumulare: verùm ex justitiæ suæ legibus unicuique tribuere debet quod suum est, adeoque necessariò pœnam aliquam ex peccato reposce-

reposcere tenetur, licèt, ut sæpius diximus, exercitium justitiæ liberum sit, saltem quoad varias pęnæ circumstantias.

Objicies 4. Tam Deus potuit de potentia sua ordinaria reparare hominem sine satisfactione, quàm illum simpliciter non reparare: aut si non potuit, quia justus, reparare sine debita satisfactione, non potuit etiam, quia bonus ac misericors, peccatum, quod permisit, non reparare.

Major propositio videtur certa, quia par omninò est in Deo misericordiæ ac justitiæ ratio: utraque enim Deo essentialis est ac necessaria; & sicut non potuit Deus ex justitia hominem reparare sine satisfactione, ita non potuit ex innata bonitate ac misericordia lapsum hominem non erigere.

Resp. nego maj. ejusque probationem. Alia quippè est ratio justitiæ, alia misericordiæ Dei in exercitio. Ista omninò libera est, nec ulli debetur, *Cujus vult miseretur. Tolle quod tuum est, & vade.* Illam verò Deus & sibi, & peccato, & ordinatæ rerum universitati debet. *Rom. 9. v. 18. Mat. 20 v. 14.*

Objicies 5. Infinita est Dei virtus ac potentia, & quis mensus est eam? Igitur potest Deus peccata sine satisfactione dimittere.

Resp. nego conseq. Non potest quippè Deus id quod suæ repugnat sanctitati ac justitiæ: non potest semetipsum negare, nec se exuere naturali, quod in res omnes habet, dominio. Quòd ergo non possit Deus peccatum omninò impunitum & gratis dimittere, non arguit defectum potestatis in ipso, sed potius summam ejus ac infinitam perfectionem.

Objicies 6. Deus plenam omnium peccatorum veniam iis pollicetur, qui resipiscunt ac sincero corde ad illum redeunt, Jerem. 18. v. 10. Ezech. 18. v. 21. & cap. 33. v. 12. Ergo gratis & sine satisfactione peccata dimittit.

Resp. nego conseq. Resipiscere quippè nemo potest & ad Deum animo recto converti, nisi per gratiam. *Converte nos, Domine, & convertemur.* At gratia nonnisi ex meritis Christi nobis conceditur, *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quę est in Christo Jesu.* Ergo licèt gratia nobis gratis concedatur, hanc tamen proprii sanguinis pretio nobis Christus promeritus est, qui plenam & rigorosam Deo pro nobis satisfactionem persolvit. *Thren. 5. v. 21 Rom. 3 2. 24.*

Multò alia plura objiciunt Sociniani, ut ostendant Deum reipsa voluisse sine ulla satisfactione peccata condonare; imò nec potuisse alio pacto se gerere, quia injustum planè foret pęnas ab innocente reposcere. Verùm hujuscemodi momenta propiùs spectant veritatem seu existentiam satisfactionis Christi, de qua Articulo 2. hujus Quæstionis.

Probatur necessitas satisfactionis Christi ex parte hominis, qui non potuisset nec pro suo, nec pro alieno peccato, seu mortali, seu veniali, condignè Deo satisfacere.

Observandum 1. quæstionem hìc moveri de homine puro, hoc est qui sola humana constaret natura, quibuscunque aliunde donis cęlestibus instructus ille foret.

Observandum 2. pretium, seu valorem & æquivalentiam operis satisfactorii in genere moris, nihil esse aliud, quàm dignitatem ac perfectionem actionis, aptam ad compensandam injuriam alicui illatam.

Obser-

Observandum 3. dignitatem & perfectionem satisfactionis æstimari præcipuè ex conditione tùm ipsius operis, tùm personæ satisfacientis; & sicut offensæ gravitas petitur ex majori vel minori dignitate personæ quæ offenditur, ita valor satisfactionis crescit pro dignitate personæ quæ satisfacit. Rursus, sicut in bonis externis justitiæ ratio consistit in æqualitate rei ad rem, ita in restitutione honoris læsi debet esse æqualitas personæ satisfacientis cum persona læsa cui fit satisfactio.

Observandum 4. satisfactionem aliam esse de condigno & perfectam, quæ fit ad strictos juris apices, ac definiri solet, *Redditio voluntaria bonoris & reverentiæ æquivalentis, ex propriis & aliàs indebitis, ad compensandam injuriam alicui per peccatum illatam*: quam definitionem paulò antè in Prænotatis ad Articulum primum hujus Quæstionis exposuimus. Aliam verò esse imperfectam, & non condignam. De ista hìc non est quæstio, sed de condigna & perfecta satisfactione, de qua controversia est, an posset homo purus Deo hypostaticè non unitus, condignè satisfacere pro suo vel alieno peccato, tùm mortali, tùm veniali. Peccatum mortale natura sua à veniali distinctum esse, communis ferè est Theologorum sententia. Thomistæ volunt peccatum mortale intrinsecè infinitum esse: alii verò extrinsecè dumtaxat & objectivè infinitum contendunt; quamquam in superiore gravitatis ordine collocetur, quod veniale distinguitur. Verùm de hac Scholæ controversia non est hìc proprius dicendi locus. Itaque sit

PRIMA CONCLUSIO.

Homo purus non potest Deo condignè satisfacere, pro suo vel alieno peccato mortali.

Probatur 1. Ex dictis, triplex in peccato ratio attendi potest: nempè debiti, quo divinæ justitiæ obstricti sumus; inimicitiæ, qua Dei inimici constituimur; & criminis quo rei sumus mortis & maledictionis æternæ. Unde tria in satisfactione requiruntur: ut sit debiti solutio, iræ divinæ placatio, & reatus expiatio. Atqui tria hæc non posse ab homine puro perfectè ac de condigno adimpleri, constat ex Scripturis.

I. Debitum solvere homo non potest. Unde enim ex suo solveret, qui nihil habet in ordine tùm naturali, tùm supernaturali, quod in Deum auctorem referre non teneatur? *Frater non redimit*, ait David Psal. 48. v. 8. *redimet bomo: non dabit Deo placationem suam*. Id est, frater fratrem suum non redimit, quomodo igitur homo extraneus redimere illum poterit? Nihil sanè Deo potest offerre, quod ejus iræ placandæ idoneum esse possit. Unde Mat. 16. v. 26. meritò Christus ait: *Quam dabit bomo commutationem pro anima sua*? Et S. Paulus Coloss. 2. v. 14. debitum, quo erga Deum obstricti eramus, ab uno Christo persolutum affirmat: *Donans*, inquit, *omnia delicta: delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*.

II. Inimicitiam cum Deo per peccatum contractam non potest homo purus dispellere, quam, judice Apostolo, solus Christus Pontifex æternus ac impollutus auferre potest. *Talis*, inquit Hebr. 7. v. 26. *decebat ut nobis esset Ponti-*

Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus; qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Porrò homo purus, quantumvis gratiæ donis cumulatus, non est à peccatoribus segregatus, non excelsior Cœlis, non immunis à necessitate offerendi pro suo peccato; ergo nec idoneus ad iram divinam placandam, cui placandæ solus Christus par fuit. *Ipse enim*, ait idem Apostolus Ephes. 2. v. 14. *est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ, solvens inimicitias in carne sua.* Et v. 16. *Interficiens inimicitias in semetipso.* Et Rom. 5. v. 10. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.*

III. Homo purus non potest reatum pœnæ, quam per peccatum contraxit, sufficienter expiare, ob disproportionem quæ reperitur tùm inter peccatum, & offensam Dei, tùm inter pœnam temporalem, & æternam. Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Solus Christus pretio sui sanguinis infinito potuit inæqualitatem illam ac disproportionem superare: solus etiam *dolores nostros portavit*, Isa. 53. v. 4. *solus factus est pro nobis peccatum*; hoc est, hostia pro peccato, 2. Cor. 5. v. 21. *pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*, Coloss. 1. v. 20.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Augustinus Enchiridii cap. 108. *Neque*, inquit, *per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum, nisi esset & Deus.* Et Tract. 4. in Epist. 1. S. Joan. *In quo non est peccatum*, inquit, *ipse venit auferre peccatum. Nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret.* T. 6. p. 237. C. L. 3. par. 2. p. 854. E.

S. Basilius Homil. in Psal. 48. ad hæc verba, *Frater non redimit &c.* sic loquitur: *Qui ne pro suis quidem peccatis Deo queat piaculare Sacrificium offerre, quomodo poterit id pro alio efficere? Quid rursus tanti pretii in hoc sæculo possederit, ut id cum anima quæ pretiosa est natura, idoneè possit commutare, siquidem ad creatoris imaginem facta est?* Et postea: *Neque igitur fratrem in redemptionem quære, sed aliquem qui tuam excedat naturam: neque hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo dare potest placationem.* Et paulò post: *Non igitur pro seipso dabit Deo placationem. Quid enim tanti potest homo invenire, ut det pro redemptione animæ suæ? Sed unum inventum est, pro omnibus simul hominibus sufficientissimum, quod in pretium redemptionis animæ nostræ datum est, sanctus ille ac pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis effudit.* T. 1. p. 179. E. Ibid. p. 180. D. Ibid. p. 181. A.

S. Cyrillus Alexandrinus Epist. 1. ad Valerianum Episcopum: *Quo pacto*, inquit, *unus pro omnibus pretium exolveret, si illa passio puri cujuspiam hominis fuisse putatur?* T. 5. pa. 2. p. 163. D.

S. Leo Serm. 1. de Nativitate: *Nisi esset Deus non afferret remedium: nisi esset homo, non præberet exemplum.* T. 1. p. 144. c. 2.

S. Fulgentius Libro de Incarnatione & Gratia c. 4. *Nullatenus*, ait, *humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unionem Verbi Dei... transiret.* Pa. 291.

S. Anselmus ex professo L. 2. Cur Deus homo cap. 6. ostendit, non posse

nisi hominem Deum pro peccato satisfacere : *Hanc satisfactionem*, inquit, *non potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo, necesse est ut eam faciat Deus homo.*

Pa. 88. col. 1. A.

Horum vestigiis insistens Richardus à S. Victore L. de Incarn. cap. 8. *Ad hanc*, ait, (satisfactionis) *plenitudinem, oportuit ut tanta esset humiliatio in expiatione, quanta fuerat presumptio in prævaricatione..... Quando ergo homo præsumpsit contra Deum, facta est elatio de imo ad summum. Oportuit ergo ut ad expiationis remedium fieret humiliatio de summo ad imum, sed hoc omnino non potuit nisi aliqua in Trinitate personarum.*

P. 276. col. 1. D.

Probatur 3. Theologica ratione. Scilicet, ex jam dictis, ad accuratam & condignam satisfactionem duæ potissimùm conditiones requiruntur; ut sit æquivalens, & ut fiat ex propriis aliàs indebitis : atqui puri hominis satisfactio nec potest esse æquivalens, nec fieri ex propriis & aliàs indebitis.

I. Non potest esse æquivalens. Namque ut satisfactio sit æquivalens, necesse est ut tanti sit meriti ac valoris in ordine satisfactionis, quanti demeriti fuit offensa in genere offensæ: siquidem satisfactio est actus justitiæ, cujus est æqualitatem statuere inter personam offensam & personam satisfacientem; & sicut in bonis externis aut furto sublatis, aut mutuo, vel commodato acceptis, justitia accurata exigit, ut statuatur æqualitas rei ad rem, ita in læsione honoris necesse est ut satisfactio condigna statuat æqualitatem personæ ad personam. Atqui satisfactio puri hominis, quibuscunque tandem gratiæ donis instructus sit, tanti meriti ac valoris esse non potest, quanti demeriti fuit offensa. Namque offensa Dei infinitam quamdam gravitatem contrahit, saltem objectivè & extrinsecè, ex infinita Dei majestate, quæ læditur: ex vulgata quippe Philosophorum sententia, offensa crescit pro majore personæ offensæ dignitate ; quò major est enim personæ dignitas ac præstantia, eò major ipsi debita est reverentia. Hinc Philosophus L. 5. Moralium cap. 5. observat, jus talionis locum non habere, ubi est personarum inæqualitas. *Si quis*, inquit, *Magistratum gerens, alterum percusserit, non est repercutiendus; si quis verò eum, qui Magistratum gerit, verberaverit, non modò reverberandus est, sed etiam supplicio afficiendus.* E contra verò, valor operis satisfactorii moraliter æstimatur ex ipsa persona satisfaciente Porrò homo purus, quamtumlibet in gratia crescat, nunquam potest opere satisfactorio finito adæquare gravitatem infinitam offensæ: finitum autem est opus satisfactorium hominis puri, pro conditione scilicet illius naturæ; sicut infinita est offensa Deo illata, pro conditione naturæ Dei infinitæ, à qua infinitatem quamdam contrahit.

Neque dicas, opus satisfactorium non minùs infinitum dici debere objectivè & extrinsecè, quia circa Deum tendit, quàm peccatum ipsum. Namque, quidquid sit in præsentiarum de illa peccati infinitate, quam alii extrinsecam tantùm & objectivam dicunt, alii verò intrinsecam, non quidem in genere entis, sed moris; seposita jam ista quæstione, dispar est ratio operis satisfactorii, & offensæ, in eo quòd satisfactio nullatenus, ne objectivè quidem ac extrinsecè, valorem ac pretium suum mutuetur ab objecto, seu persona offensa cui satisfactio exhibetur: è contra verò, gravitas offensæ tota repetitur ex persona cui illata est injuria, eaque major vel minor

minor æstimatur, pro majori vel minori dignitate personæ læsæ seu offensæ.

II. Puri hominis satisfactio non potest esse ex propriis & aliàs indebitis.

Non ex propriis: Quidquid enim habemus, sive in ordine naturæ, sive gratiæ, Deo acceptum referre debemus. *In ipso enim vivimus, movemur & sumus.* Act. 17. v. 28. Et 2. Cor. 3. v. 5. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Unde meritò idem Apostolus 1. Cor. 4. vers. 7. ait: *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?*

Non ex indebitis: Deo etenim tanquam supremo Domino omnia debemus titulo justitiæ, religionis, & gratitudinis, à quo omnia accepimus; ergo puri hominis satisfactio non potest esse æquivalens, non ex propriis, non ex indebitis, ac consequenter sufficiens & condigna esse non potest.

SECUNDA CONCLUSIO.

Homo purus, nequidem pro veniali peccato suo, vel alieno, condignè Deo satisfacere potest.

Conclusio hæc iisdem planè probatur momentis, quibus prima. Satisfactio quippe illa neque esset ex propriis, quia gratuitam gratiam supponeret, qua postulamus ut quotidiana nobis remittantur peccata; neque consequenter ex indebitis, *Quid habes quod non accepisti?* Non esset quoque æquivalens: quamquam enim per veniale peccatum homo non avertatur à Deo tanquam ab ultimo suo fine, cui voluntas habitu adhæret, inest tamen illi peccato veræ offensæ ratio, qua de honore Deo debito nonnihil detrahitur, qua ex parte extrinsecè saltem & objectivè ac secundùm quid infinita est, ad cujus proinde æquivalentem compensationem necessaria est persona infinitè perfecta, qualis est solus Deus.

Neque dicas, inde confundi peccatum veniale cum mortali, siquidem utriusque par & similis est infinitas, saltem objectiva & extrinseca. Namque præter illam extrinsecam & objectivam infinitatem, ponderari debent in peccato materiæ gravitas aut levitas, actus peccaminosi intensio vel remissio, & alia de quibus Theologi ubi de peccatis: quæ omnia non eadem, sed diversa ratione occurrunt in peccato mortali & veniali.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem. Ille Deo condignè satisfacere potest, qui tantum bonum potest Deo reddere, quantum ipsi malum per peccatū intulit: atqui id posset homo purus, gratia sanctificante uberiori præditus.

Minor probatur: Quia homo per auxilium gratiæ elicere potest actum perfectæ contritionis, per quem tantum Deo refertur bonum, quantum ipsi malum per offensam peccati illatum fuerat. Sicut enim per peccatum homo à Deo avertitur, & convertitur ad creaturam; ita per contritionem perfectam avertitur à creatura, & ad Deum convertitur: conversio autem ad Deum tanti valoris est ac meriti, quanti demeriti est aversio à Deo.

Resp. 1. dist. maj. Qui potest tantum bonum referre ex propriis, & aliàs indebitis, concedo: non ex propriis, neque ex indebitis, nego. Dist. pariter min. Potest homo purus gratia instructus tantum bonum Deo referre, non ex propriis, neque ex indebitis, concedo: bonum quippe illud ut meritorium foret, deberet esse ex gratia, quæ planè gratuita est, & in Deum auctorem referri debet: ex propriis & indebitis, nego. Porrò, ex dictis, ut condigna sit satisfactio, fieri debet ex propriis & indebitis.

Resp. 2. nego min. ad cujus probationem neganda pariter minor propositio. Namque contritio perfecta & conversio ad Deum, non tanti meriti est, in ordine satisfactionis, quanti demeriti est offensa, in ordine offensæ. Ratio est, quia offensa est infinita propter infinitam Dei majestatem læsam, à qua offensa speciem gravitatis desumit; contritionis verò & satisfactionis valor, non ex objecto tantùm, sed moraliter ex ipsa maximè persona satisfaciente æstimatur, quæ cùm finita sit, valor quoque satisfactionis finitus est, ac consequenter impar compensandæ offensæ infinitæ. Inde est, quòd etsi in conversione ad Deum, & aversione ab illo, idem sit objectum, nempe Deus ipse, & idem consequenter sit valor extrinsecus utriusque, non idem tamen sit valor intrinsecus, quia in diverso est ordine: offensa nimirum in ordine infinito, propter Dei majestatem infinitam quam respicit; contritio verò in ordine finito, propter personam finitam à qua elicitur, & à qua moraliter suam speciem mutuatur. Unde

Majoris claritatis causa major propositio sic potest distingui: Ille potest Deo condignè satisfacere, qui potest Deo tantum referre bonum, quantum malum intulit, si hoc possit per actum adæquantem malitiam & gravitatem infinitam offensæ, concedo: si per actum non adæquantem, nego. Porrò actu contritionis finitus nunquam adæquare potest seu compensare offensæ gravitatem infinitam, saltem objectivè ac extrinsecè.

Instabis 1. Contritio perfecta qua Deus rebus omnibus præfertur, tantum Deo placet, quantùm illi displicuit peccatum, quo creatura Deo anteponitur; ergo per contritionem perfectam Deo æquivalens redditur.

Resp. nego ant. Plùs quippe Deo peccatum displicet, quàm placeat charitatis actus: quia nempe major est gravitas in offensa, quàm meritum sit in actu charitatis; atque plùs Deus læditur per peccatum, quàm honoretur per actum charitatis. Ratio est, quia cùm homo Deum amat, ipsi reddit quod debet; & honor ille in hominem ipsum, cui proficit, relabitur: at cùm homo Deum offendit, longiùs à suo recedit officio, Deumque creaturæ postponit ac subjicit, quæ injuria in Deum ipsum refunditur; atque quid gravius est & acerbius, Deum creaturæ subjicere, quàm honorificum creaturam Deo subjicere: quemadmodum indignius quidquam est, Regem subdito mancipare, quàm honorificum Regi sit, mancipium ipsi subdere.

Instabis 2. Deus potest conferre homini gratiam infinitam, ex qua infinitam in suo genere satisfactionem Deo posset exhibere.

Resp. 1. nego maj. Neque enim certum est posse Deum homini conferre gratiam intensivè & actu infinitam. Ratio dubitandi hæc est, quia non videtur homo capax recipiendi gratiam infinitam, cùm ipse finitus sit; atque, ut vulgò dicitur, quidquid recipitur ad modum recipientis recipiatur.

Resp. 2. nego conseq. Quia etsi homo eliceret actus satisfactorios infinitos

ex

ex gratia infinita, isti nihilominus essent in ordine inferiori respectu injuriæ Deo illatæ, quæ in supremo ordine offensæ collocatur, & infinita est: non ita satisfactio, quæ finita foret pro conditione personæ finitæ satisfacientis.

Instabis 3. Potest homo purus per actum contritionis perfectæ mereri vitam æternam; ergo & de condigno satisfacere.

Resp. nego conseq. & paritatem. Disparitas est, quia cæteris paribus plùs ad satisfaciendum, quàm ad merendum requiritur. In merito enim tantùm attenditur proportio rei ad rem, hoc est, actus meritorii ad præmium; talis autem proportio reperitur inter actus perfectæ contritionis seu charitatis, & inter vitam æternam: quapropter potest homo justus de condigno mereri vitam æternam. At in satisfactione potissimùm spectatur proportio personæ offensæ cum persona satisfaciente, quæ proportio nulla esse potest Deum inter & hominem purum. Deinde dispar adhuc in eo est meriti & satisfactionis ratio, quòd in merito necesse sit interveniat liberalis Dei acceptatio & promissio, qua ex misericordia obstrinxit se, futurum ut talibus ex charitate elicitis operibus æternam vitam rependeret: neque enim opera nostra seorsim sumpta, tanti pretii ac valoris sunt, ut vitam æternam mereantur, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis*, ait Apostolus Rom. 8. v. 18. *ad futuram gloriam*. Verùm in condigna satisfactione nihil ex liberalitate, nihil gratis remittitur, sed totum debitum accuratè atque ex stricta justitia persolvitur.

Instabis 4. Omne finitum in se ac simpliciter adæquari potest per aliud finitum: sed peccati gravitas finita est in se ac simpliciter, licèt objectivè sit infinita; ergo potest compensari seu adæquari per finitam satisfactionem.

Resp. dist. maj. Omne finitum compensari seu adæquari potest per aliud finitum, in eodem ordine, concedo: in diverso ordine, nego. Sic v.g. linea, quantumlibet protendatur, potest ab alia ejusdem ordinis adæquari; è contra nusquam poterit homo, tametsi finitus, adæquare perfectionem Angeli. Quare? quia homo & Angelus in diverso sunt ordine, hic in superiori, ille verò in inferiori. Pari de causa peccatum veniale, quamdiu veniale permanet, nunquam pertinget ad gravitatem peccati mortalis. Porrò satisfactio & offensa sunt in ordine diverso, ut dictum sæpiùs fuit: illa in ordine finito, hæc in ordine infinito, ob infinitam Dei majestatem quæ per peccatum læditur.

Instabis 5. Homo inferioris ordinis qui superiorem lædit, potest ei satisfacere: quidni & homo purus, Deo?

Resp. nego conseq. & paritatem. Disparitas est, quia homo in quacumque suprema dignitate constitutus, semper finitus, & offensa ipsi irrogata pariter finita est; unde potest ab homine finito compensari per opus tanti pretii in æstimatione viri prudentis, ut offensam abundè compenset: v.g. si plebejus qui Regem læsit, vitam ejus servet. At Deus, qui per peccatum offenditur, est in supremo ac infinito ordine, unde non potest ipsi à creatura finita condigna offerri satisfactio.

Objicies 2. Tanta esse potest dignitas ac tantus valor in satisfactione puri hominis, quanta indignitas fuit in offensa. Si quid enim obstaret, maximè quia peccati gravitas attenditur, tùm ex vili conditione personæ quæ offen-

dit, tùm ex dignitate ac præeminentia personæ quæ offenditur; satisfactionis autem valor ex dignitate dumtaxat personæ satisfacientis repetitur: atqui hæc ratio nulla est, imò falsa; aliàs peccata hominum graviora forent peccatis Angelorum, quia homines Angelis inferiores sunt: atqui tamen certum est Angelorum peccata graviora esse peccatis hominum; ergo &c.

Resp. nego maj. ad cujus probationem dico peccatum vilioris personæ gravius esse peccato sublimioris, si parem habeat vim ac virtutem potentiarum seu facultatum; secus verò si sit naturæ infirmioris ac debilioris, qualis homo est comparatione ad Angelum. Dici etiam posset, peccatum Angelorum gravius fuisse propter ingratitudinem majorem: cùm enim à Deo majora accepissent dona, plùs ipsi debebant, atque major fuit ingratitudinis eorum culpa.

Objicies 3. Potest Deus purum hominem constituere caput totius humani generis, sicut reipsa Adamum constituit, eique tantam conferre gratiam, ut eam posteris suis communicaret, si præcepto divino obsequeretur; secus verò proprium suum peccatum in eos transmitteret, si Dei legem violaret, quam reipsa primus parens violavit, *in quo omnes peccaverunt*. At in ea suppositione, homo cæterorum caput constitutus posset aliis de condigno gratiam mereri: quidni & satisfacere?

Resp. nego conseq. & paritatem. Disparitas jam paulò antea exposita fuit inter meritum & satisfactionem, in eoque posita est, quòd in merito de condigno necesse sit intervenire liberalem & gratuitam Dei promissionem & acceptationem; aliàs, qui bonum opus ex charitate eliceret, ex condigno gratiam semper mereretur, qua fieret ut in peccatum nunquam subinde labi posset, atque ita fieret impeccabilis, quod certè à vero alienum est: non ita est in satisfactione condigna, ubi nulla intervenit gratuita remissio, sed stricta est rei ad rem, & personæ ad personam æqualitas.

Objicies 4. Potest aliquis satis pati pro peccato mortali; ergo & satisfacere. Antecedens patet: quia si homo peccati lethalis reus pœnam intensivè & quoad gradus infinitam per aliquod tempus ferret, sicut eam extensivè & quoad durationem infinitam patietur per totam æternitatem, nonne æquivalenter pateretur pro reatu peccati mortalis? Consequens etiam certum videtur: quia qui satis patitur, ille solvit omne debitum contractum, adeoque plenè satisfacit.

Resp. nego ant. & conseq. Antecedens quidem. 1. Quia certum non est posse hominem ferre pęnam intensivè infinitam, cujus homo finitus videtur incapax. 2. Concessa illa hypothesi, nego pœnam illam temporalem intensivè infinitam, æquivalentem fore pęnæ æternæ seu extensivè infinitæ: quia pęnæ æternitas, non tantùm totam illam reddit gravissimam, quatenus infinitè extenditur, sed etiam quamlibet ejus pęnæ partem illa æternitas afficit, auget & aggravat; cùm nullus sit qui non eligat potius per aliquod tempus pęnam sustinere intensivè infinitam, quàm finitam per totam æternitatem. Consequens etiam negandum est: quia plùs requiritur ad satisfaciendum, quàm ad satis patiendum. Namque præter adæquationem pęnæ cum peccato commisso, necesse est ut gravitas offensæ compensetur & adæquetur per condignitatem operis satisfactorii, & quidem in eodem ordine: at opus satisfactorium puræ creaturæ nusquam

condi-

condignum esse potest, & ejusdem ordinis cum offensa Dei, quæ infinita est.

Objicies ultimò contra secundam Conclusionem. Si homo justus satisfacere non potest de condigno pro peccato veniali, sequeretur illud veniale æquale fore mortali, atque eadem cum ipso æterna pęna plectendum esse. Probatur: Quia ideo peccatum mortale meretur pęnam æternam, quia homo nunquam potest pro illo plenè satisfacere: atqui eadem planè ratio foret venialis peccati, si homo pro illo satisfacere non posset: quamdiu enim non solvitur pro peccato, tamdiu non remittitur; adeoque necesse foret veniale peccatum æterna pęna puniri, quod absurdum est.

Resp. dist. maj. Si homo justus non posset pro peccato veniali satisfacere, neque directè, neque indirectè, veniale illud æquale foret mortali quoad pęnæ æternitatem, concedo: si non posset satisfacere directè tantùm, nego. Dist. min. Homo justus non potest satisfacere pro peccato veniali, directè, concedo: indirectè, nego. Itaque pro aliquo peccato potest duobus modis satisfieri: directè ac immediatè, quando directè compensatur injuria illata per actum æquivalentem gravitati offensæ; vel indirectè, quando non satisfit quidem adæquatè pro offensa, sed aliquid merito obtinetur, cui annexa est peccati venia. Porrò non potest reipsa quis directè ac immediatè satisfacere pro peccato veniali, quia, ut jam non semel dictum fuit, opus quodlibet satisfactorium semper esset ordinis inferioris respectu offensæ, quæ infinita est saltem objectivè ac extrinsecè, ipsum verò opus finitum: at potest homo justus saltem indirectè satisfacere pro veniali peccato, quia per actum perfectæ charitatis potest mereri gratiam, cui annexa est peccati remissio. Non ita est de peccato mortali: homo quippe qui illius reus est, gratiam de condigno mereri non potest; & si cum ipso moriatur, æternùm punitur; tamdiu quippe pęna solvenda est, quamdiu non dimittitur peccatum: at post mortem peccatum non dimittitur, in inferno enim nulla redemptio.

Atque inde fit ut peccatum veniale aliquando (quanquam per accidens) puniatur pœna æterna, cùm nimirum adjunctum habet mortale, quod post hanc vitam non condonatur. Ut enim docet S.Thomas, prima secundæ q.87. art. 5. ad tertium. *Æternitas pœnæ non respondet quantitati pœnæ in veniali, sed irremissibilitati illius; & ita si quis decedat cum peccato mortali simul & veniali, æternam pœnam sustinebit pro peccato veniali, quia in inferno nulla est redemptio.*

Instabis 1. Si homo justus Deo satisfacere non posset condignè pro veniali peccato, posset à vita æterna excludi; tamdiu quippe arcetur à Regno Cęlorum, quamdiu culpæ obnoxius est: atqui homo justus à vita æterna excludi non potest, ad quam, tanquam ad debitam mercedem & justitiæ coronam, jus habet; ergo &c.

Resp. dist. maj. Posset excludi à vita æterna, si ratio habeatur strictissimæ Dei justitiæ, quæ plenam & accuratam satisfactionem potest exigere, concedo: si spectetur natura gratiæ justificantis, & debitum ipsi connaturale, nego. Dist. pariter min. Non potest vir justus ab æterna vita excludi, si spectetur natura gratiæ & debitum ipsi connaturale, concedo: namque cùm homo justus Deo gratus & acceptus sit, & gratiam mereri possit, cui ex condigno annexa est vita æterna, consequenter meretur ut veniale pec-

 catum

catum ipsi condonetur: si verò ratio habeatur strictissimæ ac severissimæ Dei justitiæ, quæ potest plenam & accuratam repetere satisfactionem, nego. Quippe si Deus vellet ut homo justus in veniale peccatum lapsus sibi condignè satisfaceret, id certè non posset homo ille; quia quodcumque supponeretur ejus opus, ac cujuscumque dignitatis, semper ordinis inferioris & insufficientis foret respectu offensæ Dei reparandæ.

Instabis 2. Qui actum perfectæ charitatis eliceret, v.gr. moriendo pro Christo, nonne condignè ille Deo satisfaceret pro expianda veniali culpa? Nonne tantum ipsi honoris deferret, quantùm per peccatum ei abstulerat?

Resp. martyrium quidem esse perfectissimum charitatis ac Religionis Christianæ opus, non tamen hujusmodi, ut seclusa Dei misericordia & gratuita acceptatione, injuriam Deo illatam per veniale peccatum perfectè ac condignè resarciat, quia nulla est æqualitas inter personam offensam, & personam satisfacientem: quamcumque enim pœnam homo sustineat, semper impar erit reparandæ injuriæ Deo per peccatum illatæ, eò quòd injuria infinita sit, satisfactio verò finita. Per martyrium quidem expungitur debitum omne luendæ pœnæ, quia martyrium est actus perfectæ charita-
1. Petri tis, quæ *operit multitudinem peccatorum*; & *qui diligit, non manet in morte*:
4.v.8. verùm id assequitur ex Dei clementia & gratuita voluntate, non ex stri-
1.Joan. cta & accurata justitia; alia quippe est ratio meriti, & alia satisfactionis,
3.v.14. ex jam dictis.

Instabis denique: Peccato veniali debetur pœna dumtaxat temporalis, culpæ proportionata: atqui potest homo condignè satisfacere pro pœna temporali finita, sustinendo scilicet pœnam finitam, quæ culpæ respondeat.

Resp. nego min. Namque, ex jam dictis, plùs exigitur ad satisfaciendum, quàm ad satis patiendum. Ad istud sufficit proportio pœnæ cum pœna; ad illud verò, proportio seu qualitas personæ quæ satisfacit, cum persona offensa cui fit satisfactio: quæ proportio seu æqualitas esse non potest inter Deum & creaturas.

ARTICULUS SECUNDUS.

De veritate satisfactionis Christi; seu, an Christus verè pro nobis Deo satisfecerit.

Caput ipsum pestilentissimi erroris Socinianorum impetimus: hi quippe nihil non tentant, ut merita Christi, ejusque pro nobis oblatam Deo satisfactionem elevent ac funditùs subvertant. Atque ne quis in fraudem inducatur speciosis illorum verbis,

Observandum 1. aliquem posse alteri satisfacere duobus præcipuè modis; propriè nimirum, vel impropriè seu metaphoricè: Is propriè satisfacit, qui ex stricta justitia solvit pretium æquivalens, ac omne debitum contractum consequenter extinguit: is verò impropriè tantùm ac metaphoricè satisfacere dicitur, qui vel per læsæ partis acceptilationem gratuitò relaxationem debiti obtinet, vel omnibus conditionibus sibi à voluntate superioris impositis satisfacit.

Observandum 2. posse aliquem alterius servatorem esse ac dici duobus quo-

quoque modis: nimirum aut præmio, conſilio & exemplo; aut merito, opere & efficacia.

Obſervandum 3. duplici ſenſu intelligi poſſe Chriſtum pro nobis mortuum fuiſſe. 1. utiliter pro nobis, id eſt, pro bono & commodo noſtro. 2. ſubrogatione ſeu ſubſtitutione, id eſt, vice ac loco noſtro, tanquam ſponſorem noſtrum, qui debitum noſtrum in ſe tranſtulit.

Sociniani, ut fucum incautis ac ſimplicioribus faciant, non inficiantur Chriſtum ſimpliciter pro nobis ſatisfeciſſe; eum Redemptorem ac Servatorem noſtrum pro nobis mortuum agnoſcere non recuſant: ſed quo ſenſu? metaphorica ſcilicet & impropria ſatisfactione, quia voluntati divinæ obſequendo ſatisfecit, adimplens ea quæ à Deo Patre impoſita ipſi fuerant ad ſalutem noſtram, gratis obtinendo veniam & indulgentiam noſtrorum delictorum; non autem propria & ſtrictè ſumpta ſatisfactione, per ſui in locum noſtrum ſubrogationem, ac ſoluto ad rigorem juris pretio pro redemptione noſtra. Servatorem eum eſſe ac dici non negant quidem: ſed quo ſenſu? conſilio, exemplo; non merito, non opere & efficacia. Mortuum etiam pro nobis, hoc eſt, bono noſtro, non diffitentur; ſed non loco noſtro, per veram in noſtri locum ſubſtitutionem ac ſubrogationem.

Orthodoxi omnes è contra unanimi conſenſu affirmant, Chriſtum verè ac propriè divinæ juſtitiæ, per ſolutionem pretii, non tantùm æquivalentis, ſed etiam ſuperabundantis, ſatisfeciſſe; eum verum & ad rigorem juris noſtrum eſſe Liberatorem ac Servatorem; non exemplo tantùm & conſilio, ſed merito & opere; mortuum denique pro nobis, non tantùm pro bono noſtro, ſed loco noſtri per veram & propriam in noſtri locum ſubrogationem ac ſubſtitutionem. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Chriſtus pro nobis verè ac propriè divinæ juſtitiæ ſatisfecit.

Probatur ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum exceptionibus vindicantur.

Multiplex argumenti genus ex Scripturis deducitur ad demonſtrandum præſens dogma catholicum, quod capitale eſt, ſpeique noſtræ chriſtianæ fundamentum. Quatuor potiſſimùm argumenta hic proponemus, ad quæ cætera revocari facilè poſſunt.

Primum ex Scripturis Argumentum.

Chriſtus proprio ſuo ſanguine nos redemit.

Primâ Cor. 6. v. 20. *Empti eſtis pretio magno.* Epheſ. 1. v. 7. *In quo* (Chriſto) *habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.* Ad Tit. 2. v. 14. *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate.* Primæ ad Timoth. 2. v. 6. *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, id eſt, pretium redemptionis pro omni-

omnibus. Et Hebr. 7. v. 22. Christus dicitur *melioris testamenti sponsor factus*. Quo verò sensu sponsor fit, exponit cap. 9. v. 15. *Ideo*, inquit, *novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis*. Gal. 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*: id est maledictionem seu punitionem nobis debitam in se transtulit. Primæ Petri 1. v. 18. *Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*. Denique Matth. 20. v. 28. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*; in Græco, *pretium pro multis*, ideò impositum illi Jesu nomen: *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*.

Matth. 1. v. 21.

Ex quibus testimoniis sic invictè arguimus: Ille propriè merito & opere, non exemplo tantùm ac consilio pro nobis satisfecit, qui verum ac proprium pretium solvit, quo redempti ac liberati sumus; pretii etenim accurata persolutio necessariò ad satisfactionem & debitum contractum refertur: atqui Christus verum ac proprium pretium pro nobis solvit, proprium scilicet sanguinem, quo redempti & liberati sumus. Sicut enim in auro & argento, cujus comparationem affert S. Petrus, vera inest ratio pretii ac valoris respectu rei temporalis venalis, ita in sanguine Christi vera pretii ratio est agnoscenda, respectu humanæ redemptionis; ergo &c.

Socinianorum responsio.

Respondet Sociniani, redemptionis nomine, in locis mox laudatis, non veram & propriè dictam intelligi redemptionem, quæ fiat intercedente vero pretio, sed impropriam & metaphoricam; adeoque satisfactionem ex tali redemptione provenientem, impropriam quoque esse ac metaphoricam. Responsionem sic probant.

I. Quia vox ista, *redemptio*, sæpius in Scripturis sumitur pro simplici liberatione quæ fit gratis, nullo intercedente pretio. Sic Exodi 15. v. 13. dicitur *Deus in misericordia redemisse populum*, ex captivitate nimirùm Ægyptiorum. Et Deut. 7. v. 8. *Redemit vos de domo servitutis*. Et Psalm. 76. v. 16. *Redemisti in brachio populum tuum*. Et alibi sæpius. Quidni igitur in locis (inquiunt adversarii) pro sententia nostra citatis, *redemptionis* nomine, impropria & metaphorica intelligitur? præsertim cùm redemptio hæc nostra sæpius cum Israelitica conferatur, & hæc illius typus fuerit & figura, ut colligitur ex cap. 1. S. Lucæ v. 68. Neque refert 1. quòd pretium aliquod intercessisse dicatur in illa nostra per Christum redemptione: namque sanguis ille Christi propriè pretium non fuit solutionis, sed impropriè, quia nempe ad præsentiam illius liberamur à Deo. Nec refert 2. quòd Christus non tantùm dicatur pretium solvisse, sed etiam seipsum dedisse ἀντίλυτρον, *pretium solutionis*; seu seipsum, per quamdam commutationem, in nostri locum substituisse, quod vox ἀντὶ importat: namque sæpius fit commutatio sine ulla compensatione aut satisfactione. Sic Proverb. 21. v. 18. dicitur: *Pro justo datur impius, & pro rectis iniquus*. Et Isaiæ 43. v. 3. *Ego Dominus Deus*.

Deus tuus Israel Salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te. Quibus in locis unius pro altero fit substitutio, sine ulla tamen compensatione & satisfactione. Ergo etsi Christus in nostri locum substitutus sit, non sequitur eum pro nobis verè satisfecisse.

II. Moses Act. 7. v. 35. dicitur à Deo missus *redemptor*, græcè, λυτρωτής. *Hunc Deus principem & redemptorem misit*. At certum est Moysen nullam propriè satisfactionem Deo pro Israelitis exhibuisse.

III. Si redemptio propriè foret intelligenda ad captivorum liberationem, solvendum fuisset detinenti pretium: at nec solutum illi est, nec solvi potuit; quis enim dixerit, quidpiam solutum fuisse vel diabolo, vel iniquitatibus, vel vanæ conversationi, vel Legis execrationi, à quibus dicimur in Scripturis detenti?

IV. Dici non posse Deum pretium illud accepisse, ut vulgò creditur, cùm ipsemet redemptionem nobis fecerit, & Filium suum pro nobis impenderit.

V. Christus Rom. 5. v. 9. dicitur *liberare nos ab ira per vitam*. Ergo non per mortem; non aliquod pretium solvendo pro nobis, sed potentia sua in Judicii die nos ab æterna morte vindicando.

VI. denique, ita redempti sumus, quo modo venditi: at venditi sumus gratis & sine pretio, cùm nos ipsos in servitutem diaboli & peccati mancipavimus; ergo & redempti pariter fuimus sine ullo pretio. Sic arguunt Socinus L. 2. de Servatore c. 1. & 2. Vvolkelius de vera Religione L. 3. c. 18. Catechesis Racoviensis c. 8. qu. 25. 26. Crellius passim in Dissertatione contra Grotium &c.

Refellitur.

Refellitur Sociniana responsio. Quia nomine *redemptionis*, propria & vera intelligi debet, non metaphorica. 1. Quia hæc est primaria & maximè propria significatio hujus vocis, à qua sine necessitate recedere non licet. Neque id diffitetur Socinus. Cap. enim 1. Lib. 2. de Servatore ait, *Redimere aliquem nihil aliud propriè significat, quàm captivum è manibus illius qui illum detinet, dato pretio liberare*. 2. Quia conditio hominis redimendi hoc postulat, utpote qui non modò diaboli, & mortis, sed & peccati, tam quoad reatum, quàm quoad maculam, legis & justitiæ divinæ sit captivus; unde liberari proinde non potuit, nisi data satisfactione. 3. Quia talis est redemptio quæ facta est interveniente pretio, primæ Cor. 6. v. 20. & quidem pretio propriè dicto, sicuti est aurum & argentum, cum quo pretium sanguinis Christi comparatur ab Apostolo Petro. 4. Non modò λύτρου seu *pretii* mentio fit, sed ἀντιλύτρου, quod non quodvis pretium denotat, sed æquivalens debito, & tale, quod commutationem debitoris, & veram debiti compensationem significat, quæ vis est præpositionis ἀντὶ, quæ hic veram substitutionem designat. Atque hinc facilè solvuntur momenta quibus commentum suum confirmare nituntur adversarii. Ad singula ergo respondemus.

Ad primum: Esto in aliquibus Scripturæ locis vox ista *redemptio*, metaphoricè usurpetur, ergo in omnibus sic intelligenda est? Quæ absurditas! Perin-

Perinde est ac si diceret quis, vox *Leo* metaphoricè sumitur, cùm Christus appellatur *Leo de Tribu Juda*; ergo semper in Scripturis vox *Leo* metaphoricè usurpatur. Subjecta materia, loci circumstantiæ variæ pensandæ sunt, ex quibus intelligitur quis esse debeat vocis hujus *redemptionis* significatio. Ex mox dictis autem constat, in citatis pro Conclusione nostra Scripturæ testimoniis, redemptionem propriè, & non metaphoricè usurpari. Nec obstat, quòd redemptio Israelitarum figura fuerit hujus nostræ per Christum redemptionis: comparatio similitudis est cujusdam inter utramque, non identitatis; & quidem si antiquorum liberatio ex captivitate Ægyptiorum nostræ typus fuit, necesse est illam non tam perfectam fuisse, quàm sit nostra, *Oportet enim*, inquit S. Chrysostomus Hom. 61. in Gen. *figuram minùs habere quàm*
To.4.p. 587.A. *veritatem: quia alioqui non fuißet figura eorum quæ post hæc futura erant*. Quamquam & dici non immeritò potest, hanc antiquorum liberationem non sine pretio fuisse; quia nempe ad pretium per Christum in plenitudine temporum offerendum ordinem habuit, Christus enim est *agnus occisus ab origine*
Apoca. 13.v.8. *mundi*. Unde S. Paulus secundæ Corinth. 1. v. 20. asserit omnes Dei promissiones in Christo factas esse: *Non est enim aliud sub Cœlo nomen, in quo oporteat*
Act. 4. v. 12. *nos salvos fieri*. Falsò igitur asserunt adversarii, sanguinem Christi habere rationem pretii impropriè; nempe quia ad illius præsentiam Deus peccata relaxat: gratis enim & absque ulla probatione id fingitur; verum quippe pretium solvit, & quidem æquivalens pro offensa Deo per peccatum irrogata. Falsum etiam est, Christum esse pretium sine ulla commutatione & substitutione: neque loca Prov. 21. & Isaiæ 43. aliud evincunt; cùm & in his quoque exemplis à Crellio allatis, non sine aliqua compensatione facta sit remissio: Deus quippe in Ægyptios & alios populos pœnas derivavit, quas justè exigere poterat à populo suo, sed quas misericorditer in alios transferre decrevit, ut ipsi parceret.

Ad secundum: Moyses redemptor dicitur, quia princeps fuit & caput redemptionis Israelitarum ex servitute Ægyptiaca; neque tamen pretium solvit eo modo quo Christus pro nobis satisfecit. Non enim urgeri debet paritas Christi cum Moyse: hic quippe servus, ille fuit Dominus; hic redemptor temporalis, ille æternus; hic præconio, voce, & prodigiis virtute Dei factis populum liberavit, ille verò proprio sanguine.

Ad tertium, nego min. Solutum enim est pretium primario detinenti, seu Deo justo Judici, cujus justitiæ obstricti eramus: at somniant haud dubiè adversarii, cùm ajunt, nihil peccatis, malæ conversationi, nihil diabolo, à quo detinebamus, persolutum fuisse; quasi qui reus est & pœnam luere tenetur, hanc aut carceris custodi, aut carnifici debeat, non verò Judici qui bonum publicum curare debet, & pœnæ timore arcere malos. Non est solvendum pretium peccatis, sed pro peccatis; non dæmoni, qui executor est mandatorum Dei, sed ipsi Deo, qui Judex est supremus, nec peccatum impunitum omnino pati potest.

Ad quartum: Nihil obstat Deum dedisse Filium suum nobis Redemptorem & pretium redemptionis Deo persolutum fuisse. Quòd Deus Filium suum dederit, ex summa misericordia ac dilectione fuit, quòd verò pretium ex Filii proprii sanguine repetierit, ex stricta justitia. Quapropter mirum est in Incarnatione justitiæ & misericordiæ temperamentum: nobis perpecit Deus ex misericordia, & à Christo pœnas repetiit ex justitia.

Ad

Ad quintum: Deus liberat nos per vitam gratiæ, quæ ex morte Christi omne meritum suum trahit; ita ut gratia, qua actu & de facto liberamur, ex morte Christi, tanquam ex principio & origine fluat: mors Christi nostra liberatio est de jure; gratia verò per mortem Christi data, liberatio est de facto.

Ad ultimum, nego maj. Gratis enim excidimus, & in diaboli potestatem venimus culpa & inobedientia nostra; sed redimi non potuimus, nisi satisfactionis interventu. In nostra quidem potestate est peccare; sed non est in nostra potestate, ut ex peccato resurgamus sine beneficio gratiæ, quæ nulli debetur, & pro qua nobis concilianda, Christus sanguinem suum in pretium obtulit.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Christus pro nobis, seu loco nostro, per veram substitutionem passus & mortuus est.

Rom. 8. v. 32. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Et cap. 5. v. 6. & 8. *Vix pro justo quis moritur ..... Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est*. Primæ Petri 3. v. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo*. Galat. 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Denique secundæ Corinth. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*.

Pro nobis verò seu loco nostro mori voluit Christus, ut morte sua nos Deo Patri reconciliaret. Rom. 5. v. 10. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*. Et Ephes. 2. v. 13. *Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua ... ut .... reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso*. Coloss. 1. v. 19. *In ipso* (Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt. Et vos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem*.

Ex quibus omnibus certissimè colligitur, Christum loco nostri fuisse subrogatum, ac debita nostra solvisse: non tantùm enim dicitur pro nobis mortuus, quod subrogationem importat; sed quòd nos *redemit de maledicto Legis, factus ipse maledictum*, quod subrogationem simul & debiti solutionem arguit. Unde sic argumentum conficitur.

Ille noster Servator est, non exemplo tantùm, sed etiam merito, qui non tantùm bono nostro & commodo, sed vice & loco nostro mortuus est: atqui Christus non tantùm bono nostro & commodo, sed etiam vice, seu loco nostro per veram substitutionem ac subrogationem mortuus est,

ergo

ergo noster est Servator, non exemplo tantùm, sed & merito; adeoque propriè ac verè pro nobis satisfecit.

Socinianorum responsio.

Respondent Sociniani, citatis locis non veram & propriam Christi pro nobis substitutionem ac satisfactionem denotari, quia ipsa particula ὑπὲρ, *pro*, alium in Scripturis sensum habet, ac significat tantùm causam finalem ob quam Christus mortuus est. Responsionem suam multis probant.

I. Quia Fideles jubentur *pro* fratribus animas ponere. 1. Joann. 3. v. 16. & S. Paulus Coloss. 1. v. 24. ait gaudere se in passionibus *pro* fratribus; & adimplere in carne sua ea quæ desunt passionum Christi, *pro* corpore ejus, quod est Ecclesia: ubi eadem particula, *pro*, usurpatur, nec tamen quis dixerit, substitutionem & veram satisfactionem à Fidelibus, aut à S. Paulo factam designari.

II. Si Christus nostro loco mortuus fuisset & passus, non possemus eidem mortis & passionum pœnæ subjici, nec ad eam tolerandam excitari; siquidem Christus supponitur ab ea necessitate morte sua nos exemisse: at tamen Christus ipse ait Matth. 16. v. 24. & Lucæ 9. v. 23. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Et 1. Petri 2. v. 20. in hoc passus est Christus, *relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

III. Eo ipso modo Christus in Scripturis pro nobis mortuus dicitur, quò dicitur pro ipsis nostris peccatis mortuus ac traditus: at cùm dicitur traditus & mortuus pro peccatis nostris, sensus non est, Christum loco peccatorum nostrorum mortuum fuisse, sed tantùm peccatorum nostrorum causa, sive propter peccata nostra, ita ut particula, *pro*, denotet tantùm causam finalem propter quam mortuus sit, nimirum ut nos ab illis peccatis avocaret, inspirando & peccati odium, & ardentissimum virtutis amorem: quo sensu dixit S. Paulus Galat. 1. v. 4. *Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam.*

IV. Quando Christus dicitur ab Apostolo, *factus pro nobis maledictum & peccatum*; sensus non est, Christum debitam nobis pœnam pro nobis sustinuisse: aliàs, sicut nobis æterna pœna debita erat, ita Christus æternam sustinere debuisset, quod falsum est.

Refellitur.

Refellitur Sociniana responsio. Namque in locis citatis, particula ὑπὲρ, *pro*, veram unius pro alio substitutionem, ac consequenter veram importat satisfactionem, quod his momentis efficacissimè demonstratur.

I. ex communi ac recepto usu apud Auctores tùm prophanos, tùm sacros, quo constat dictam particulam *pro*, cùm de personis agitur, frequentissimè substitutionem & subrogationem unius pro altera designare. Sic apud Virgilium, *unum pro multis dabitur caput*; Apud Tullium, *unus Cato est mihi pro centum millibus.* Hoc sensu usurpatur in veteri & novo Testamento. 2. Regum cap. 18. v. 33. David deflens obitum Absalonis filii, ait: *Absalon, fili.*

fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te? id est, utinam pro te seu loco tuo mortuus essem. Exodi 4. v. 16. cùm Moyses impeditioris ac tardioris linguæ foret, datur ei Aaron interpres, de quo dicitur, *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum*; id est, erit vice oris tui. Sic Paulus Rom. 9. v. 3. optat anathema esse à Christo *pro* fratribus; id est, loco fratrum. Et cap. 5. v. 7. idem Apostolus ait: *Vix pro iusto quis moritur*, id est, ejus loco, ut vertit Syrus. Denique 2. Corinth. 5. v. 20. dicuntur Apostoli *pro Christo legatione fungi*; id est, non tantùm nomine & auctoritate Christi, sed etiam ipsius vice & loco, *tanquam Deo exhortante per nos*, inquit ibid. S. Paulus. Immeritò igitur adversarii ab hoc communi & recepto usu recedunt.

II. Hoc ipsum evincit particula ἀντὶ, quæ in hocce argumento etiam adhibetur, Matth. 20. v. 28. ubi Christus dicitur venire, *ut daret animam suam redemptionem pro multis*, aut, *pretium redemptionis pro multis* λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Quæ particula frequentissimè substitutionem & commutationem denotat in Scripturis, 1. Corinth. 11. v. 15. de muliere dicitur, *quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*, ἀντὶ περιβολαίου; id est, velaminis loco. Lucæ 11. v. 11. *Numquid pro pisce serpentem dabit ei?* id est, loco piscis. Matth. 2. v. 22. Archelaus regnat pro patre; id est, loco patris, seu successit in locum patris. *Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Judea pro Herode patre suo, timuit illò ire*. Denique Matth. 17. v. 26. Petrus jubetur pro se & pro Christo dare staterem: quibus omnibus in locis extat particula ἀντί, veramque substitutionem & commutationem significat.

III. Mors Christi pro nobis, in Scripturis exhibetur tanquam ipsi tam propria & singularis, ut nemini alteri convenire possit. *Numquid*, inquit Apostolus 1. Corinth. 1. v. 13. *Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptisati estis?* Porrò si Christus, ut volunt adversarii, pro nobis hoc sensu tantùm mortuus foret, quòd utiliter & bono nostro, non autem loco nostro mortem subiisset, quid in hoc tam proprium fuisset ac singulare, quod & Apostolis, & Martyribus etiam non possit adaptari? omnes enim illi sanguinem fuderunt bono & utilitate nostra, ut nos in fide confirment, animosque nostros in spem vitæ æternæ erigant. Neque audiendus Socinus, dum respondet L. 1. de Servatore c. 8. Christum propriè & singulariter dici pro nobis mortuum, tùm quia primus omnium pro nobis mortuus est; tùm quia morte sua nos in vita conservat & à morte eripit. Namque ex prima illa responsione sequitur, inter mortem Christi & Apostolorum, discrimen tantùm esse ordinis & gradus, non rei ipsius, ac posse simpliciter affirmari, Apostolos mortuos esse pro nobis, qui tamen mortui sint post Christum. At expressè negat Apostolus, dici posse Paulum crucifixum fuisse pro Fidelibus. Secunda verò responsio, aut nihil evincit, aut nobis favet. Quippe non alia ratione Christus morte sua nos à morte liberavit, quàm pretium pro nobis solvendo, semetipsum pro nobis tanquam victimam offerendo.

IV. denique, hanc mortis Christi pro nobis vim satisfactoriam circumstantiæ ipsæ locorum evidentissimè adstruunt. Neque enim Christus dicitur tantùm mortuus pro nobis, sed etiam datus ut *nos redimeret*, ad Tit. 2. cap. v. 14. ut *nos iustificaret & Deo reconciliaret*, Rom. 5. v. 10. ut *ab omnibus peccatis nos munda-*

mundaret & Deo *in æternum conservaret*, Hebr. 9. v. 14. & 10. v. 14. ut victima quæ peccatoris ipsius vicem subit, & mortem illi debitam sustinet, Ephes. 5. v. 2. quæ sanè perperam dicerentur, nisi substitutio, & ex substitutione pœnæ compensatio inferretur. Constat igitur particulis ὑπὲρ & ἀντὶ in omnibus citatis locis, in quibus de Christi persona agitur, veram & propriam illius loco nostri substitutionem ac subrogationem designari: ex quo facile est respondere ad probationes quibus adversarii figmentum suum fulcire conantur.

Ad primum: fatemur ultrò particulam *pro*, nonnunquam veram substitutionem non denotare: verùm immeritò prorsus hinc inferunt adversarii, in citatis Scripturæ testimoniis illam non designari; subjecta quippe materia, circumstantiæ locorum pensandæ sunt, ex quibus varius illius particulæ sensus facillimè elicitur. De Fidelibus nusquam legitur, quòd mori debeant pro fratribus, eos redimendo, justificando, Deo reconciliando, ab omnibus peccatis mundando, ab æterna morte liberando, pro ipsis pretium solvendo, quæ omnia de Christo dicuntur. Cùm igitur jubentur Fideles ad exemplum Christi pro fratribus animas ponere, sensus est, illos debere mortis periculum adire, imò & mortem ipsam constanter tolerare, quoties vel Dei gloria, vel proximi salus & Ecclesiæ ædificatio id postulare videtur; atque in eo charitatem Christi imitari, qui pro nobis mortuus est: non quòd eadem sit ratio mortis Christi pro nobis, ac Fidelium pro fratribus; sed quòd secundùm aliquem finem, nimirum secundùm charitatis exemplum, non verò secundùm satisfactionis meritum, mors Fidelium pro fratribus imitari utcunque debet mortem Christi pro omnibus. Pariter Apostoli dicuntur pati pro Ecclesia, non quidem pretio redimenda, hoc enim modo unus Christus pro omnibus mortuus est, 2. Corinth. 5. v. 14. sed exemplo ædificanda & confirmanda. Id apertè testatur S. Paulus, 2. Corint. 1. v. 6. *Sive autem*, inquit, *tribulamur pro vestra exhortatione & salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum quas & nos patimur*. Aliquem igitur mortis Christi finem imitari & assequi possunt quidem Fideles, sed non omnem.

Ad secundum: falsum est quòd si Christus pro nobis mortuus sit, nos ab ipsa morte temporali, cæterisque vitæ hujus ærumnis ac miseriis liberaverit. Mortuus quidem est Christus, non ut à morte temporali non liberaret, sed æterna; non ut ab omnibus afflictionibus & pœnis immunes faceret, sed ut pœnis illis, quas ad illius exemplum sustinere tenemur, morte sua pretium, ac meritum vitæ æternæ acquireret: namque absque meritorum Christi facta nostris actionibus applicatione, steriles illæ omnino sunt in ordine ad vitam æternam: quo sensu dicebat S. Paulus Coloss. 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*. Ad agonem igitur, ad pietatis exercitium & incrementum, ad immortalitatis instrumentum, præsentis vitæ miseriis subjicimur; *virtus enim in infirmitate perficitur*, ait Apostolus 2. Corinth. 12. v. 9.

Ad tertium: Nego Christum in Scripturis eodem modo dici pro peccatis mortuum, quo pro nobis. Peccant adversarii fallacia figuræ dictionis, quasi eadem particula ὑπὲρ, *pro*, vim eandem ubique obtineat; cùm diversitas subjecti

subjecti diversum sensum postulet; & aliter pro re, aliter pro persona quis mori dicatur. Christus igitur mortuus est pro peccatis nostris expiandis & tollendis, ita ut particula, *pro*, ibi significet, vel causam efficientem meritoriam & impulsivam, quia peccatorum demerita Christum impulerunt, ut morti se traderet; vel causam finalem, quia finis mortis Christi, est peccatorum expiatio. Porrò expiatio illa facta est per solutionem veri pretii, & veram in nostri locum Christi subrogationem; adeoque eadem particula rebus applicata, causam vel efficientem, impulsivam & meritoriam, vel finalem significat; personæ verò applicata, veram substitutionem ac subrogationem: unde adversarii immeritò utrumque hunc sensum confundunt; uterque enim sanus est & in Scripturis expressus.

Ad quartum: Dico Christum pro nobis hoc sensu factum esse maledictum, quia omnem maledictionem & pęnam peccatoribus debitam pertulit. Neque tamen idcircò necesse fuit, ut pœnam æternam, quam incurreramus, sustineret: namque pęnæ acerbitas, quam constanter tulit, æquivalens fuit pęnæ in duratione æternæ; siquidem pęnæ mensura ac meritum repeti debet ex conditione personæ quæ illam sustinet. Cùm igitur persona Christi, utpotè divina, infinita fuerit, quamdam infinitatem pęnæ ab ipso toleratæ communicat; atque ita pęnæ Christi, etsi temporaneæ, æquivalentes fuere æternæ, pro qua consequenter plusquam abundanter morte sua satisfecit.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Christus peccata nostra portavit.

Apertè id declarant Isaias, & S. Petrus.

Isaias toto ferè capite 53. abjectionem Christi, ejusque pro nobis subrogationem ac satisfactionem describit. *Non est species ei, neque decor*, inquit v. 2. Et v. 4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Et v. 5. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus*. Et v. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*. Et v. 10. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate &c.*

Christum Dei filium eo in loco à Propheta designari, contra recentiores Judæos, absque controversia suppono, id confitentibus Socinianis. Neque verò fidei orthodoxæ satis consulit Grotius in suis ad hunc locum Annotationibus, ubi Judæis plùs æquo indulgens, verba illa, juxta litteræ sensum, ad Isaiam inflecti posse opinatur. Fatendum tamen, illum in sua de Christi satisfactione contra Socinum Dissertatione, pro fide Catholica ex isto Isaiæ testimonio nonnulla argumenta excerpsisse. In hoc porrò Scripturæ testimonio, veram & propriè dictam Christi pro nobis satisfactionem, ac nostri loco substitutionem exponi, nemo nisi cæcus non videat, quod isto argumento demonstratur.

Ille verè pro nobis satisfecit & loco nostri subrogatus est, qui cùm peccatum nullum fecisset, nostra tamen peccata tulit; (non quidem quoad culpam, sed quoad pęnam) qui propter illa peccata, pro quibus vadem se præstitit, vulneratus est, attritus, morti traditus, ut hac morte sua nos sanaret ac liberaret: atqui talis est Christus; ergo &c.

Minor sola lectione verborum Isaiæ indiget.

Major autem aperta est ex usu ac communi stylo Scripturæ, quo constat, eum dici portare peccata, qui pro peccatis punitur & plectitur, ut Levitici 5. v. 1. & cap. 19. v. 8. & cap. 20. v. 17. & cap. 24. v. 13. Num. 14. v. 33. Cùm igitur Christus nullum peccatum fecerit, propter quod puniri debuerit, sequitur illum punitum fuisse propter nostra peccata, pro quibus vadem se ac sponsorem fecit: qui autem pœnas alteri debitas in se recipit & transfert, nonne in alterius locum meritò subrogatus & pro illo satisfacere dicitur?

S. Petrus ad hunc Isaiæ locum haud dubiè respexit cap. 2. Epistolæ suæ 1. v. 24. ubi de Christo ait: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis.* Clariora hæc sunt, quàm ut explicatione indigeant: tenebras tamen his testimoniis offundere tentant adversarii suis contortis expositionibus.

Responsio Socinianorum.

Respondent itaque Sociniani.

I. Phrasim istam, *peccata portare, ferre*, idem significare ac *peccata auferre, tollere*: quo sensu Exodi 34. v. 7. de Deo dicitur: *Qui custodis misericordiam in millia; qui portas iniquitatem & scelera atque peccata*, quod quidem Num. 14. v. 18. repetitur. Porrò Deus non dicitur portare peccata, ea ferendo, & pœnas pro iis sustinendo, sed ea dumtaxat auferendo & tollendo: pariter igitur Christus dicitur portare peccata nostra, non quòd sustinuerit universas pœnas nobis debitas, sed quòd à nobis omnes dolores & languores abstulerit, nosque ab omnibus malis liberaverit.

II. Non posse locum hunc aliter intelligi, quàm de peccati & pœnæ remotione, probant ex Matthæi 8. cap. v. 16. & 17. ubi impletum dicitur istud vaticinium quando ægros sanabat & varios morbos curabat: *Vespere autem facto*, inquit S. Matth. *obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo; & omnes malè habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit.* Ut igitur morbos portasse dicitur, non in se illos transferendo, sed à nobis auferendo; eodem sensu peccata nostra portasse dicitur ab Isaia & S. Petro, ea à nobis auferendo, non in se portando.

III. Confirmant eandem hanc expositionem, ex typo hirci emissarii, unde petita videtur hæc loquendi ratio, de quo Levitici 16. dicitur, quòd super eum Aaron jussu Dei omnia populi delicta confitebatur, ejusque capiti imponebat, quæ deinde emissus in desertum asportabat. Porrò illi hirco verè peccata populi imputari non potuisse, nec abeuntem illa secum verè asportasse certum est: hoc unum igitur innuit sacer contextus, voluisse Deum non minùs à populo ablata fuisse per Christum omnia peccata, quàm si hircus ille super se habens universa, in desertum illa secum asportasset.

IV. Etsi concedi posset *peccata portare* idem esse ac pœnas peccatis debitas luere, non inde tamen satisfactionem concludi posse asserunt. Quare? quia non semper pœnæ impositionem connotat hæc loquendi ratio, sed simpliciter afflictionem occasione peccati illatam: ut patet ex Num. 14. v. 39. ex quo

quo sequitur quidem, Christum afflictum fuisse propter peccata, id est eorum occasione, at non ea in se transferendo.

V. Ad verba illa versùs 6. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*; seu, ut vertunt juxta textum hebræum, *fecit Deus occurrere iniquitatem nostram super eum*, reponunt, dupliciter reddi ea posse, & quidem commodiùs quàm à nobis fieri soleat: ita ut sensus sit, *Deus occurrit per Christum iniquitati omnium nostrum*; vel, *Deus occurrere fecit ei iniquitatem omnium nostrum*: id est, Deus effecit, ut omnium nostrum iniquitates Christo obviam fierent; & ipsum quodammodò aggrederentur, cùm nempè nostrarum iniquitatum causa mori eum voluerit. Sic illi perversissimè locum hunc detorquere ac corrumpere nituntur.

Refellitur.

Ad primum: Eodem semper vitio laborant adversarii, quasi ejusdem verbi idem semper foret sensus in diversis circumstantiis: subjecta materia, locorum circumstantiæ, occasio, & alia ejusmodi spectanda sunt, ex quibus phrasis sensus legitimus exculpi debet. Etsi igitur phrasis ista, *peccata portare*, aliquando per metonymicam translationem ponatur pro *auferre & condonare*, non sequitur, in locis Scripturæ adductis hoc sensu esse usurpandam. Namque 1. Socinus ipse Prælectionum c. 21. fatetur *peccata portare*, idem esse, *ac peccatorum pœnas ferre*: & certè negare non potest, quin in multis aliis Scripturæ locis iste sit illius phrasis sensus. 2. Quia si textus hebræus consulatur, duplex verbum occurrit, quorum unum simpliciter quidem idem sonat, ac *peccatum auferre*, seu *tollere*; aliud verò idem, ac *peccatum ferre*, seu *portare*. Uterque autem sensus verus est: Christus enim nostra ferendo seu portando peccata, ea à nobis abstulit. 3. Quia non quolibet modo peccata portasse dicitur Christus, sed per *attritionem*, per *vulnerationem*, *& conjectionem in eum iniquitatum nostrarum*; quod certè dici non posset, nisi peccati pœnam in se suscepisset. Unde S. Petrus ait eum portasse illa *peccata in corpore suo super lignum*: id est, patiendo & moriendo pro nobis. 4. denique, quia dicitur *posuisse animam suam victimam pro peccato*, scilicet per mortis perpessionem & sanguinis effusionem, quæ omnia luce meridiana clariùs significant veram satisfactionem & pœnæ peccatis debitæ susceptionem. Dicant porrò adversarii, an eodem sensu Deus Exodi 34. v. 7. dicatur *portare peccata*? Quis nesciat Deum corporis & passionis expertem, non posse dici hoc sensu peccata portare, quasi pœnas peccatis debitas sustineret? An de Deo non incarnato usquam dixit Scriptura, *attritum illum fuisse*, *vulneratum*, *percussum propter peccata nostra*, *aut eum victimam factum pro nobis*? Nihil igitur mirum, quòd phrasis ista, *portare peccata*, Deo adaptata, simplicem peccati remissionem significet: verùm de Deo homine facto longè alia est ratio; eum quippè peccata nostra portasse, attritum, percussum, vulneratum, occisum fuisse certissimum est; ac consequenter loco nostro subrogatum Deo plenè satisfecisse.

Ad secundum: Etsi oraculum Isaiæ impletum dicatur, cùm Christus morbos corporeos sanabat, quos non ferebat, sed auferebat tantùm, non sequitur idem & de morbis animi seu peccatis sentiendum esse, quia utro-

rumque valdè diversa ratio est. Nam ad illorum sanationem, necesse non erat Christum ipsum infirmari & ægrotare; sola ejus potentia sufficiebat: verùm ad istos curandos, requirebatur insuper justitia, ac debuit eos priùs ferre atque in se recipere, quàm à nobis eos auferret; unde inducitur à Propheta tanquam *vulneratus & attritus*, quod certè non ad morbos corporis, sed animi dumtaxat curandos necesse erat. Atque hinc difficile non est colligere, quid voluerit Spiritus sanctus in hoc oraculo, & quomodo impletum illud dici possit, cùm morbos corporis Christus curabat. Scilicet Propheta loquitur primariò & directè de languoribus & morbis spiritualibus seu peccatis, quorum pœnæ fuerunt Christo impositæ: sed quia morbi corporis pertinent ad pœnas peccatorum, secundariò & subordinatè ad ipsos etiam spectavit, quia jus habebat sanandi eos. Itaque quod Propheta generatim dixerat de quibuslibet morbis, S. Petrus ad morbos animi in specie, S. verò Matthæus transfert etiam ad morbos corporis, ubi Evangelista non excludit, sed includit potius curationem morborum animi; ut nempè sublata causa effectum tolli demonstret. Ista enim sese invicem juvant & ponunt: morbi animi post se trahunt morbos corporis, sicut morbi corporis supponunt morbos animi. Ita Christus utrosque tulisse dicitur, sed diversimodè, pro diversa natura subjecti: illos quidem auferendo tantùm per efficaciam, non ferendo per passionem; verùm istos utroque modo, & ferendo, & auferendo. Neque ex eo quòd S. Matthæus dicat, Christum sanasse morbos corporis, ut impleretur Prophetæ vaticinium, inde legitimè concludi potest, ad illos solummodò respexisse Spiritum sanctum; quia norunt omnes, rem in Scripturis dici impleri, non tantùm cùm perfectè & ultimatè completur, sed etiam cùm incipit impleri quoad aliquam sui partem.

Ad tertium: Misera est isthæc adversariorum consecutio; Hircus emissarius propriè peccata non portabat; ergo nec Christus ea propriè tulit. Quasi eadem foret ratio figuræ, quæ & veritatis. Hircus quidem ille qui figuratè adumbravit Christum peccata nostra portantem, propriè ea non portavit, quæ propriè portare non poterat: at Christus veritas huic figuræ correspondens, verè capax fuit ferendi pœnas peccatis nostris debitas, quas utique verè ac propriè tulit in corpore suo super lignum, ut loquitur S. Petrus.

Ad quartum: Esto, in vulgi opinione ac sermone is portare dicatur peccatum, qui occasione alieni peccati punitur: verùm in sensu proprio, accurato & Theologico, qualem hìc attendimus, portare is peccata dicitur, qui pœnas ipsis debitas in se suscipit, qui atteritur & vulneratur propter illa, ut loquitur Scriptura de Christo. Neque enim quis dixerit, dominum v. g. qui ex furis peccato damnum patitur, illius peccatum portare, etsi occasione furti, affligatur in bonis suis; quia nempè furti pœnas non sustinet, nec pro furto punitur: Christus igitur non ex occasione tantùm, sed meritoriè ac propriè propter peccata nostra punitus fuit. Filii etiam aliquando dicuntur portare iniquitatem parentum, vel quia propriè propter illam ipsis divinitùs imputatam puniuntur, vel quia illa saltem occasio fuit punitionis ipsis irrogatæ.

Ad ultimum: Duplex illa expositio, vel perversio potius Scripturæ, aut gratis ficta est, aut nobis favet. Namque 1. Scriptura non ait, *Deum occurrisse iniquitatibus nostris per Christum*; sed *iniquitates nostras Christo occurrisse*,

risse, aut in Christum. 2. Quid significat hæc loquendi ratio, omnium nostrum iniquitates Christo obviam factas, eumque aggressas? nisi iniquitates nostras Christo quoad pœnam imputatas fuisse, ac propterea mortuum; quod sanè tota contextus series manifestè demonstrat.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Christus sacerdos sacrificium pro nobis obtulit.

Momentum istud hoc syllogismo, & quidem invicto, ita concludimus.

Qui verus fuit novæ Legis sacerdos & vera victima, quique semetipsum Deo Patri in sacrificium obtulit pro expiatione nostrorum delictorum, is non bono tantùm nostro, ad confirmationem scilicet doctrinæ, & patientiæ exemplum mortuus est, sed loco etiam nostro substitutus plenissimè peccata expiando, verè pro nobis satisfecit: atqui Christus est novæ Legis sacerdos & victima, qui semetipsum Deo Patri in sacrificium obtulit pro expiatione nostrorum delictorum; ergo &c.

Minor propositio omninò ab adversariis non negatur; Christus enim sæpissimè Sacerdos & Pontifex appellatur. Psal. 109. v.4. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Quod Apostolus Hebræorum 5. v. 6. repetit, & de Christo dictum esse docet. Quin in tota ad Hebræos Epistola de sacerdotio & sacrificio Christi disserit. Hinc in Scripturis Christus sæpissimè vocatur *agnus*, *victima*, quæ sanguine suo peccata nostra expiavit. Major verò propositio quæ ab adversariis negatur, facilè ostenditur ex conditione tùm sacerdotis, tùm victimæ.

Ac I. Sacerdotii natura postulat, ut qui eo fungitur, offerat dona & sacrificia pro peccatis, Deumque propter peccata iratum propitium nobis reddat. Hebr. 5. v.1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Et cap.8. v 3. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat*. Cùm igitur Christus verus sit Pontifex novæ Legis, debuit utique verum offerre sacrificium; atque adeò ejus sacerdotii munus non in sola intercessione, neque exemplo, neque doctrinæ confirmatione, ut vult Socinus, consistit, sed in victimæ mactatione, seu effusione sanguinis pro expiatione peccatorum; siquidem, ut loquitur Apostolus Hebr 9. v.22. *sine sanguinis effusione non fit remissio*.

Satisfactio Christi probatur 1. ex natura sacerdotii.

Præterea, Christus non pro iis tantùm Sacerdos fuit, qui post ipsum vixerunt, sed & pro iis omnibus qui vixerunt sub veteri Testamento, quia *unus omnium mediator est*, 1. Timoth.2. v.5. *qui heri & hodie idem est*, Heb.13. v.8. *unum nomen in quo oporteat omnes salvos fieri*, Act.4. v. 12. *cujus gratia servantur pariter illi nobiscum*, Act. 15. v.11. At quis dixerit Christum antiquos Patriarchas, Prophetas &c. servasse solo suo exemplo, quibus sanè in exemplum propositum nunquam fuit? Servavit ergo illos meritò, quatenus mors ejus intercedere debuit tanquam pretium redemptionis peccatorum præcedentium sub veteri Testamento. Ita docet S.Paulus ad Hebræos 9. v.15. & Rom.3. v.25. Hinc Christus simpliciter dicitur in Scripturis, *nos redemisse sanguine suo*, 1. Petri 1. v. 19. *dedisse semetipsum propitiationem*

pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. 1. Joan. 2. v. 2.

II. Ex natura victimæ. II. Christus vera est victima, verus *agnus occisus ab origine mundi*, Apocal. 13. v. 8. Quare verò occisus? quare victima? ut nos pretio sanguinis Deo reconciliaret, ac pro nobis plenè satisfaceret. Hic enim est omnium nationum sensus, hæç quasi innata conscientia, qua impulsæ sunt ad victimas mactandas, quòd existimarent earum sanguine irata numina placari. Hinc eò furoris ac dementiæ deventum aliquando fuit, ut & humanus sanguis diis in propitiationem & expiationem offerretur, quia, ut loquitur Cæsar agens de Gallis, apud quos nefandus ille usus invaluerat, *pro vita hominum, nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur.*

Hanc ipsam subrogationem victimæ pro reo in sacrificiis Leviticis, demonstrant omnes illi ritus qui observabantur. 1. Victimæ puræ & integræ oblatio, quæ à reo fieri debebat: de suo quippè debebat ille victimam dare, ut testaretur, eam loco suo supponi ad ferendam pœnam, quæ sibi debebatur. 2. Sanguinis effusio illius victimæ, mortis ac supplicii commeriti expressam imaginem gerebat, imò substitutionem non obscurè arguebat, dum sanguis pro anima seu vita hominis ponitur, Levitici 17. v. 11. 3. Ritus impositionis manuum, qui tùm ad majorem rei consecrationem, tùm præcipuè ad substitutionem victimæ pro reo designandam usurpabatur. Inde victima hæc peccata portare, imò dicebatur peccatum ipsum seu execratio. 4. Confessio peccatorum, quæ exigebatur à sacerdote, vel à populo, innuebat devoluta & translata esse in eam victimam peccata omnia quæ expianda erant.

III. Ex effectibus sacrificii. III. Denique, hanc substitutionem victimæ pro reo probat triplex effectus sacrificii. Quippè sacrificium ordinatur ad Deum, ad peccatum, & ad hominem: ad Deum placandum; ad peccatum expiandum; ad hominem à pœna liberandum. Tria porrò hęc, Deum placare, expiare peccatum, hominem liberare, obtineri non possunt sine aliqua satisfactione; namque nec homo liberari potuit, sine victimæ subrogatione; nec Deus placari, sine sanguinis effusione; nec peccatum purgari, sine tolerata pœna. Cùm igitur in sacrificiis legalibus subrogatio & satisfactio saltem typica & cæremonialis occurrat in sacrificio novæ Legis, quod Christus in ara crucis obtulit, veritas est typicis sacrificiis respondens; adeoque vera satisfactio & substitutio agnoscenda: aliàs, quomodo veritas figuræ responderet, quidve discriminis esset inter sacrificium veteris Legis & novæ? nullum profectò. Socinianos ita premit argumentum istud, ut ad ejus vim eludendam in omne latus se convertant.

Responsio Sociniana.

Respondent itaque 1. reipsa Christum sanguine suo expiasse peccata nostra, nosque præcedentium omnium delictorum, & à futurorum etiam reatu liberos reddidisse: sed contendunt expiationem illam nihil esse aliud, quàm plenam liberationem à peccati morte, quæ quidem liberatio non effectivè, neque meritoriè tribuenda sit morti Christi, quasi pretium aliquod divinæ justitiæ oblatum fuerit; sed tantùm vel antecedenter, vel exemplariter, vel declarativè. Explicant. *Antecedenter* quidem, quia mors Christi antecede-

re

re debuit liberationem à peccatis, quæ quidem ex benignitate Dei priùs constituta, non conceditur tamen nisi post mortem Christi: quatenus nempè Christus per mortem aditum sibi fecit in Cœlum, ubi expiationem seu liberationem nostram procurat. *Exemplariter* verò, quia mortis & passionis Christi consideratio efficaciter nos movet & excitat ad conversionem & pœnitentiam, cui Deus propriè remissionem pollicitus est. Denique *declarativè*, quia hæc ipsa Christi oblatio certissimam remissionis fidem apud nos facit. Ita Socinus Prælectionum cap.23.

Responsionem probant 1. exemplo & paritate victimarum legalium, quæ peccata expiabant, non quidem meritoriè & effectivè; sed antecedenter, exemplariter, & declarativè, uti mox explicatum fuit. 2. quia expiationis vox veram satisfactionem non importat: Deo quippè tribuitur Deuter.21.v.8. & Psal.51.v.9. qui tamen propriè non satisfacit. 3. verbum hebræum quo expiatio significatur, ex prima & propria significatione idem sonat ac *tegere*, *operire*; unde peccata expiare & tegere idem est. Hinc Psal.31.v.1. David ait, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. 4. denique, verbum expiandi & mundandi, in Scripturis sæpius non effectivè, sed declarativè sumitur: ita Levitici 13. & 14. ubi de leproso mundo vel immundo pronuntiando agitur. Quod enim subinde repetitur, sacerdotis esse mundum vel immundum judicare, id in textu hebræo assertivè ponitur, *mundabit, vel contaminabit*.

Respondent 2. Christum in terris degentem propriè sacerdotem non fuisse, nec proinde verum obtulisse sacrificium, sed post suum dumtaxat in Cœlos ascensum, ubi quotidie offert & interpellat pro nobis: unde contendunt, passiones Christi ac mortem ejus præparationem quidem fuisse ad sacrificium in Cœlis offerendum, non sacrificium ipsum. Ita Smalcius L. de divinitate Christi cap.23. Socinus L. de Servatore part.2.c.15. Vvolkelius c.37. L.3. de vera Religione.

Responsionem probant 1. Quia Apostolus Hebr. 10. v.5. & 9. de illa Christi oblatione loquitur, quæ facta est in ingressu ejus, quo legalia sacrificia sunt abrogata: at ingressus ille in Cœlum est haud dubiè, non in terras; neque enim statim ac in terras ingressus est Christus, legalia sustulit seu abrogavit. 2. Christus sacerdotium suum non obiit antequam ei dictum fuerit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: id autem factum fuisse, cùm Deus eum à mortuis excitatum, Dominum & Christum constituit, testatur S. Paulus Act.13. v.33. & Rom.1. v.4. 3. Idem S. Paulus Hebr.8. v.4. disertè ait, *quòd si Christus esset super terram, non esset sacerdos: cùm essent qui offerrent secundùm Legem munera, qui exemplari & umbræ deserviunt cælestium*. Ergo Christus propriè sacerdos non fuit, nec sacrificium priùs obtulit, quàm in Cœlis fuerit. 4. Hebr.7. v.26. Christus *Pontifex debuit sublimior cœlis fieri*; ergo priùs in Cœlo esse debuit, quàm sacrificium offerret. 5. denique Hebr.7. v.24. probat idem Apostolus, Christum sempiternum esse sacerdotem, quia semper in Cœlis pro nobis interpellat: verùm si in ligno crucis sacrificium semel obtulisset, quid necesse foret eum continuò pro nobis interpellare?

Respondent 3. non omnia sacrificia hylastica sacrificium Christi adumbrasse, sed illud dumtaxat solemne & anniversarium, quod die expiationum

offerri solebat, Levitici 16. quod quidem nullam continebat satisfactionem, utpote quæ nec ab ipsismet victimis, nec à Pontificis persona manare potuerit.

Responsionem probant: Quia sacrificia privata, quæ pro privatis offerebantur, non potuerunt repræsentare sacrificium quod pro omnibus oblatum fuit: sed multa erant in Lege veteri privata sacrificia, sacrificium verò Christi pro multis oblatum fuit; ergo sacrificia illa privata non adumbrarunt sacrificium Christi.

Refellitur Sociniana responsio.

Prima quidem: falsum enim est expiationem à liberatione non distingui. Liberatio etenim expiationis effectus est: hanc reus, vel alius ejus nomine sustinet; illam Judex facit: unde sæpius in Levitico dicitur, *Expiabit reum sacerdos, & remittetur ei*; remissio igitur seu liberatio ab expiatione distinguitur, tanquam effectus à causa. Falsò non minùs asserunt, liberationem nostram morti Christi effectivè seu meritoriè tribuendam non esse; sed vel antecedenter, vel exemplariter, vel declarativè. Non *antecedenter*; quasi mors Christi sit tantùm conditio antecedens sine qua non, ut vult Socinus: namque sanguis Christi in Scripturis dicitur esse pretium nostræ redemptionis; ergo mera non est conditio, sed vera & propria causa illius. Prætereà, si mors Christi mera conditio foret antecedens, cur non & vitæ Christi, miraculis, & doctrinæ liberatio illa tribueretur? illa enim omnia antecesserunt nostram in Cœlo factam liberationem, in mente adversariorum. Non *exemplariter*: Etsi enim non diffiteamur hunc esse mortis Christi effectum, ut ad ejus exemplum carnem nostram affligamus, & crucifigatur ac moriatur in nobis peccatum, hunc tamen esse primarium & principalem mortis Christi effectum pernegamus: mors etenim Christi peccata etiam sub Lege naturæ & Mosis perpetrata expiavit, neque tamen in exemplum proponi potuit. Deinde expiatio illa semel facta est, exemplum autem successivè proponitur; non igitur exemplo, sed meritò & effectivè mors Christi nos liberavit.

Denique, nec *declarativè* tantùm mors Christi expiat peccata. 1. Quia apud Auctores tùm prophanos tùm sacros, nusquam is expiare alicujus peccatum dicitur, qui illud remissum dumtaxat declarat; expiatio enim secum importat pœnæ perpessionem, in vindictam peccati quod expiatur. 2. Si mors Christi *declarativè* tantùm se habuit ad expiationem peccati, nihil magis contulit quàm victimæ legales, quæ & idem testari poterant seu declarare, quibus tamen disertè negat S. Paulus expiari potuisse peccata. 3. Resurrectioni Christi non minùs quàm morti adscribenda foret expiatio, quod tamen nusquam legimus in Scripturis. 4. Declaratio homines respicit, expiatio verò Deum: illa ad officium propheticum; ista verò ad sacerdotale pertinet.

Ad probationes illius primæ responsionis Socinianæ respondeo.

Ad primam, tantum esse discrimen inter legales victimas, & Christum, quantum est inter umbram & corpus, figuram & veritatem; imò ex ea paritate rectè concluditur, Christum veram novæ Legis victimam, meritoriè peccata nostra expiasse: quia victimæ legales, tanquam meræ ac steriles figuræ,

guræ, declarabant tantùm factam remissionem peccatorum, non operabantur. *Impossibile enim est sanguine hircorum & taurorum deleri peccata*, inquit S.Paulus Hebr. 10. v.4.

Ad secundam: Esto vox *expiatio*, Deo nonnumquam in Scripturis tribuatur, cui tamen vera satisfactio convenire non potest, an ideò Christo applicata satisfactionem non designabit? Pro ratione subjecti, cui expiatio tribuitur, diversimodè intelligenda est; respectu Dei expiare, idem est ac expiationem à sacerdote factam admittere; at in sacerdote & victima, idem est ac eam procurare meritoriè, per effusionem sanguinis, & pœnæ vicariæ perpessionem.

Ad tertiam: Falsum est verbum hebræum, quod ad expiationem significandam usurpatur, significare tantùm *tegere*, *operire*. Etsi enim aliquando id significet, sæpius tamen, maximè cùm de sacrificiis agitur, veram expiationem peccati denotat, ut Gen.32. v.19. 2. Regum 21. v.5. &c. Adde quòd non alia ratione verbum illud significat *tegere*, quàm quòd peccata per expiationem teguntur, quia condonantur & delentur.

Ad quartam: Etsi nonnunquam verbum *expiare* & *mundare* declarativè sumatur, non inde tamen inferendum, hunc esse perpetuum illius usum: subjecta materia & circumstantiæ (ut sæpius diximus) pensandæ sunt, ex quibus varia ejusdem verbi significatio æstimari debet.

Secunda responsio refellitur.

Namque perperam adversarii confundunt sacrificium Christi, & ejus oblationem seu repræsentationem & applicationem. Verè in terris Sacerdos fuit Christus, semetipsum in ligno crucis victimam pro peccatis offerendo; at in Cœlis hoc suum sacrificium Patri repræsentat, offert, nobis applicat quotidie, interpellando pro nobis. Quòd autem Christus verè & perfectè Sacerdos fuerit in terris, manifestè constat ex Scripturis. 1. Sacerdos sub veteri Testamento verè sacerdos fuit, antequam ingrederetur in sacrarium, cùm victimas piaculares mactabat; ergo & Christus verè sacerdos fuit, antequam in Cœlum ingrederetur. 2. ex Apostolo Hebr.5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Ubi porrò? non in Cœlis, sed in terra; ibi enim dumtaxat victimæ offeruntur. 3. Ubi est oblatio, ibi sacrificium sit necesse est: at in terris & in cruce verum fuit Christi sacrificium, vera oblatio, teste Apostolo Hebr.7. v. 27. *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel seipsum offerendo.*

Confirmatur ex alio insigni Apostoli testimonio ad Hebræos 9. v. 25. & 26. ubi de Christo sacerdote sic loquitur: *Neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.* Quo in testimonio hæc ponderanda sunt in confirmationem Catholici dogmatis. 1. Oblatio Christi non sæpè facta est, sed semel; ergo non in Cœlo, sed in cruce: in Cęlo enim quotidiè interpellat pro nobis. 2. Si Chri-

Christus sæpius offerre se debuisset, sæpius quoque debuisset & pati; igitur oblatus est cùm passus est. 3. Tum semetipsum obtulit ad peccatum tollendum, cùm apparuit & manifestus factus est: at in Cœlum ingrediens ablatus potius est ab oculis nostris; apparuit ergo tum cùm carne indutus nostra in mundum ingressus est. 4. Tum oblatus censendus est Christus, cùm abstulit peccata nostra; siquidem in eum finem venit, & oblatus est: at istud in cruce moriendo præstitit, 1. Petri 2. v. 24. Igitur Christus verè sacerdos fuit in terris degens; atque semetipsum in sacrificium obtulit in ligno crucis. Unde

Ad probationes illius secundæ responsionis Socinianæ, dico

Ad primam: Apostolum loqui de ingressu Christi, non in Cœlum, sed in mundum, apertè demonstrant hæc ipsius verba ad Hebr. 10. v. 5. *Ideo ingrediens in mundum dixit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*. Ingressus porrò ille Christi in mundum, sumitur non pro illo primo instanti, quo in lucem emissus est, sed pro toto illo intervallo temporis, quo in terris versatus fuit; quo abrogata fuisse vetera sacrificia, si non de facto, saltem de jure, certissimum est: adveniente enim ac præsente veritate evanescant necesse est umbræ & figuræ.

Ad secundam: Nego 1. tunc constitutum esse Christum à Deo Pontificem, quando ei dixit Pater, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Neque enim hoc dicit S. Paulus; sed tantùm, Christum Pontificem fuisse constitutum ab eo, à quo ei dictum est, *Filius meus es tu*. Hæc itaque Patris de Christo declaratio, continet quidem causam & fundamentum delati Pontificatus, nempè filiationem; ideo enim Christus Pontifex fuit æternus, quia Dei Filius: sed non indicat tempus ejus institutionis. 2. Nego verba hæc, *Filius meus es tu &c.* vel dicta tantùm fuisse Christo in Resurrectione, vel post illam impleta; jam enim antea sæpius in Baptismo & in Transfiguratione declaratus fuerat Christus Filius Dei. Resurrectioni quidem verba hæc applicat S. Paulus, quia in ea maximè eluxit Christum esse Filium Dei proprium & naturalem.

Ad tertiam, nego conseq. Cùm enim Apostolus ait, Christum sacerdotem non fore si in terris degeret, mens illius non est, Christum in terris degentem verè sacerdotem non fuisse; sed quòd si fuisset super terram, eo modo quo erant sacerdotes levitici, quorum ministerium terrenum solummodo erat, & ad emundationem carnis, non spiritus, non posset esse sacerdos, quia nimirum duo ejusdem ordinis sacerdotia simul esse non debent, quandoquidem alterutrum inutile foret. Eo igitur nomine Christi sacerdotium excellentius esse sacerdotio levitico docet ibi Apostolus, quòd sacerdotium Christi æternum sit, cujus munus in Cœlo semper exercet; non quòd in Cœlis fiat victimæ mactatio, sed quòd victimam in terris mactatam Deo Patri repræsentet, pro nobis continuò interpellat, ut fructus ac meriti sui sacrificii participes simus; ex quo sequitur ad summum, sacrificium Christi in Cęlo perfectissimè impleri, quando interpellat continuò pro nobis; sed non simpliciter & absolutè Christum fuisse dumtaxat sacerdotem in Cœlo.

Ad quartam, nego conseq. Aliud enim est Pontificem Christum debuisse sublimiorem Cœlis fieri, quia in Cęlis peragenda quædam pro nobis habuit; & aliud, Pontificem non fuisse, nisi postquam sublimior Cęlo factus est: prius docet S. Paulus, non posterius.

Ad

Ad quintam: Confundunt adversarii expiationem, cum intercessione Christi, seu applicatione fructus expiatoris per eum factæ. Expiatio quidem peccatorum perfecta fuit & absoluta in cruce: verùm applicatio illius quotidie fit per intercessionem & interpellationem Christi. Quapropter Christus sacerdos æternus, qui sedet ad dexteram Patris, semper interpellat pro nobis tanquam advocatus noster, rogans Patrem ut acceptam habeat pro nobis expiationem à se in ligno crucis nostri gratia persolutam.

Tertia responsio refellitur.

Quia sanctus Paulus non unum aliquod sacrificium hylasticum, sed omnia opponit sacrificio Christi, & illorum ex isto abrogationem colligit Hebr.7. v.27. Nec aliò respicere potuere, tùm juge sacrificium quod quotidie offerebatur, tùm alia sacrificia hylastica agnorum, quæ in usum privatorum cedebant, quàm ad significandam oblationem pro nobis agni Dei immaculati.

Nec obstat quòd pro omnibus in communi non offerrentur, sed pro singulis in particulari: nam ut sacrificia quæ fiebant pro omnibus in communi, Christum omnium hominum propitiationem futurum adumbrabant; sic ea quæ fiebant pro singulis in particulari, designabant singulos peccati onere pressos, propitiationem quærere debere ac consequi in sacrificio Christi: ex quo patet responsio ad probationem tertiæ illius responsionis.

Atque hæc ex multis aliis sufficiant è Scriptura quatuor deprompta argumenta, pro demonstranda veritate satisfactionis Christi pro nobis, ejusque loco nostro vera subrogatione. His verò momentis facile nobis foret addere continuam Ecclesiæ & SS. omnium Patrum fidem ac Traditionem; verùm ab ea hic exscribenda supersedemus, quam fusè expositam legere poteris apud Grotium, ad calcem Dissertationis de satisfactione Christi adversùs Socinum, Tom.3. Operum, ubi Veterum testimonia circa præsens Ecclesiæ dogma accuratè adducit. His igitur prætermissis momentis, pergendum est ad solvendas Socinianorum Objectiones.

Solvuntur Socinianorum Objectiones.

Multiplici argumento fidem Catholicam satisfactionis Christi convellere tentant perditi illi Hæretici. Ad sex universim capita revocari illa possunt. 1. ad silentium Scripturæ. 2. ad impossibilitatem satisfactionis ex parte Dei Judicis, cui satisfactio exhibenda fuit. 3. ad impossibilitatem ex parte Christi, qui satisfactionem obtulisse dicitur. 4. ad personam quæ ad satisfaciendum necessaria est. 5. ad homines reos, pro quibus satisfaciendum fuit. 6. denique, ad multa absurda & incommoda quæ ex doctrina Catholica consequuntur.

Objiciunt itaque 1. silentium Scripturæ, quæ nullibi docet Christum pro nobis satisfecisse, & loco nostro subrogatum fuisse: neque enim vox ista *satisfactio*, *subrogatio*, in Scripturis usquam legitur.

Resp. 1. satis constare ex adductis huc usque testimoniis Scripturæ, Christi pro nobis satisfactionem dogma esse Catholicum in veteri & novo Testamento disertè expressum.

Resp.

Resp. 2. necesse non esse ad aliquod dogma stabiliendum, ut explicitè & expressis terminis in Scriptura contineatur, sed sufficere, quòd implicitè ac æquivalenter, necessaria consecutionis lege, ex verbis Scripturæ deducatur. Et ita licèt vox ipsa *satisfactionis & subrogationis* expresè ac formaliter, ut ajunt, in Scripturis non legatur, res tamen nomine significata disertè & expresè in illis continetur. Quid enim sibi vult Scriptura, cùm toties testatur Christum esse sponsorem nostrum, propitiationem & pretium, eum peccata nostra portasse, & propter illa attritum fuisse, factum esse peccatum & maledictionem pro nobis, sanguine suo nos redemisse &c? Et verò si staret illa adversariorum regula, ruant necesse est quamplurima Socinianæ doctrinæ dogmata. Ostendant enim nobis, ubi legatur, Christum Servatorem esse tantum exemplo & doctrina; redemptionem ejus metaphoricam esse; mortem ejus appendicem esse naturæ, non pœnam peccati. Ostendant ubi extet vox *acceptilationis*, qua in hoc mysterio tam frequenter utuntur; & alia id genus benè multa.

Quamquam eò processit Sociniana temeritas ac contumacia, ut nec acquiesceret; tametsi disertis ac conceptis terminis Scriptura declararet Christum pro nobis verè satisfecisse. *Ego quidem*, ait sectæ perditæ caput Socinus parte 3. de Servat. cap. 2. *nec si ubique clarissimis verbis testatum reperirem, sic tamen rem se habere mihi compertum esset.*

. Resp. denique, omnibus Christianis Catholicis fidem & definitionem Ecclesiæ, ac constantem Traditionem sufficere debere, ut aliquod fidei dogma recipiant, licèt Scriptura de illo nihil expresè definierit.

Objiciunt 2. Ex parte Dei impossibilis est satisfactio pro peccatis. Probant: Quia illi nulla fit satisfactio, qui peccata gratis omninò remittit: nihil quippè magis opponitur remissioni gratuitæ, quàm satisfactio juridica; remissio enim fit ex gratia & indulgentia, satisfactio verò ex justitia: atqui Deus sæpissimè dicitur in Scripturis gratis condonare seu remittere peccata, Matthæi 18. v. 23. & sequent. Ephes. 4. v. 32. Coloss. 1. v. 13. Rom. 3. v. 24. Ergo nulla fit ei satisfactio pro peccatis.

Resp. dist. maj. Si satisfactio & remissio eandem personam spectent, concedo: si diversam, nego. Concedo min. & dist. consequens. Ergo nulla fit Deo satisfactio, respectu ejusdem personæ cui fit gratuita remissio, concedo: respectu alterius personæ, nego. Itaque gratuita peccati remissio & satisfactio pro eodem peccato opponuntur quidem, si ad idem referantur eandemque personam spectent; oppositio quippè, ut perfecta sit, debet esse de eodem & sub eodem respectu: at si remissio gratuita, & satisfactio de diversis personis dicantur, ita ut gratia fiat debitori, pretium verò & satisfactio exigatur à vade ac sponsore, tantùm abest ut opponantur invicem & sese mutuò tollant, quin subordinantur potius, & necessariò se supponunt. Porrò ita est in præsenti mysterio, in quo tres attendi debent personæ, Deus, qui summè misericors est, & summè justus; Christus sponsor noster, qui pretium solvit pro nobis; & homo, qui peccavit, & satisfactioni solvendæ incapax est. Deus, ut summè misericors, gratis, & ex visceribus misericordiæ suæ condonat; ut summè justus, satisfactionem exigit & læsi honoris reparationem: cùm autem homo satisfactionis incapax sit, Mediator adest Christus, qui cùm vadem pro peccatis nostris se fecerit, illorum omnium

nium peccatorum pœnas in se tulit, eoque nomine perfectè divinæ justitię satisfecit; sed divina benignitas ac misericordia nobis peccatoribus (gratuitò respectu nostri, licèt jure respectu Christi) peccata condonavit, & ita diversum est subjectum tum remissionis, tùm satisfactionis: à Christo satisfactio exigitur, nobis verò gratuita remissio peccatorum impenditur, quæ duo non tanquam contraria & opposita, sed amica potius Scriptura simul conjungit, Rom.3.v.24 *Justificati* (inquit S.Paulus) *gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Vides nos justificari *gratis*; en gratuita respectu nostri peccatorum remissio: justificari tamen per *redemptionem Christi*, qui est propitiatio nostra; en satisfactio à Christo facta, & exercitium divinæ justitiæ respectu Christi, qui afflictus est & attritus propter peccata nostra; atque in hoc mirificè eluxit divinæ misericordiæ ac justitiæ temperamentum.

Instant I. Illi debitum propriè gratis non remittitur, qui vadem habet à quo plena satisfactio solvitur, & omne extinguitur debitum: sic v. gr. qui centum nummos alteri debet, etiam si ipse debitor eos non solvat, sed alius ejus loco, creditor tamen non dicitur gratis centum nummos remittere. Atqui homo peccator vadem ac sponsorem habet Christum, qui plenè & perfectè satisfecit divinæ justitiæ; igitur homini peccatori debitum gratis non remittitur; falsum igitur est peccata ei gratis condonari: contrarium nihilominus asserit Scriptura.

II. Cùm creditor suo debitori, aliàs ad solvendum impari, munus aliquod credit eo animo ut sibi satisfaciat, tunc non est propria satisfactio, sed potius virtualis & tacita quædam remissio, quia debitor non censetur habere plenum dominium in illud donum; ergo cùm Deus ex summa sua in homines charitate, proprium Filium dederit qui pro illis satisfaceret, non tam satisfactio censenda est postulata, quàm tacita & virtualis debiti remissio.

III. Ut debitum gratis remitti dicatur, necesse est obligationem sola creditoris liberalitate solvi: at in præsenti negotio peccatum non ex sola liberalitate Dei remittitur, sed ex justitia severissimè in Christo punitur.

IV. Etsi sponsor debitum alienum in se transferat, commutatum quidem dicere possumus debitorem, sed dici non potest debitum remissum, quandoad ultimum usque quadrantem creditor recipit quod ipsi debebatur.

V. Si Christus loco nostro solvit, in eo & cum eo nos solvisse censeri debemus; siquidem humanam nostram naturam assumpsit, in qua solvit; non ejus membra sumus, ipse verò caput nostrum: at si solvisse censemur, non jam ex gratia, sed ex stricta justitia Christus peccata nostra dimittit.

VI. Si Christus pro nobis abundè satisfecit & solvit divinæ justitiæ, inanes sunt & superfluæ nostræ privatæ actiones satisfactoriæ; aut saltem si necessariæ sunt, qua ratione gratis remitti dicitur peccatum, & concedi vita æterna? Ita Socinus parte 3. de Servatore cap. 2. Crellius contra Grotium, Vvolkelius L.5. de vera Religione cap. 22.

Resp. ad singula.

Ad primum, dist. maj. in debitis pecuniariis, aut res quaslibet externas spectantibus, concedo: in debitis personalibus, & quæ ex violato honore contrahuntur, nego. Itaque hoc discrimen est inter debita utriusque generis,

quòd

quòd in debitis pecuniariis perinde sit à quocumque solvatur debitum, sive à debitore, sive à sponsore; modò res eadem aut æquivalens reddatur, satisfit justitiæ. Ratio est, quia in ejusmodi debitis æqualitas restituenda est rei ad rem, & tota obligatio contracta extinguitur, cùm res eadem aut æquivalens solvitur. At non ita est in debitis personalibus, quæ ex læsione honoris resultant: debitum enim personale personam ipsam ream afficit, eamque pœnæ reddit obligatam: adeoque non ipsa persona rea satisfacit, quando alius ejus loco pœnam sustinet. Ratio est, quia in debitis personalibus, quæ ex læsione honoris contrahuntur, æqualitas restituenda est personæ ad personam: cùm igitur homo peccator nusquam potuerit condignè Deo pro peccato satisfacere, ac debitum contractum per condignam pœnæ tolerantiam extinguere, necesse fuit, ut Christus ejus loco pœnam hanc in se susciperet; & ita gratuita est remissio respectu hominis, cui hoc indulsit Deus, ut Filium suum unigenitum daret, ejusque satisfactionem pro alieno peccato acceptaret: sed accurata satisfactio ab ipso Christo persoluta fuit. Cùm igitur persoluta non sit satisfactio ab eadem persona quæ debitum contraxerat, locus est & justitiæ divinæ respectu Christi qui punitur, & misericordiæ respectu hominis cui pœna remittitur, & quæ in Christum ipsum transfertur. Ex quo facilè respondetur

Ad secundum, dist. maj. Cùm creditor suo debitori munus aliquod eo animo credit, ut sibi satisfaciat, non est propria satisfactio, sed remissio respectu illius debitoris, concedo: respectu sponsoris, à quo satisfactio exigitur, nego. Itaque, ut dictum jam est, Deus mittendo Filium unigenitum pro redemptione hominum, gratis quidem remisit debitum hominibus, quia cùm ipsi solvendo impares forent, eorum debita, quæ capitatim solvere tenebantur, in Christum sponsorem transmissa sunt; atque in eo mirè splendescit misericordia & justitia divina.

Ad tertium, dico obligationem per hominem contractam sola Dei creditoris liberalitate remitti respectu hominis debitoris, à quo nihil exigitur, & cujus pœna in alium, nempè sponsorem Christum transfertur. Sufficit autem ut debitum gratis extingui dicatur, quòd illi gratuitò remittatur, à quo contracta est obligatio; nihilque ab eo exigatur, licèt à sponsore illius pœna debita tota repetatur: atque in eo perpetuò hallucinantur adversarii, quòd existiment gratuitam remissionem, & satisfactionem simul conciliari non posse, quandoquidem diversum spectant subjectum; satisfactio quidem Christum sponsorem, gratuita verò remissio, hominem debitorem.

Ad quartum, dico commutatum quidem esse debitorem, sed debitum rectè dici nobis gratis remissum: namque quamdiu debitor propria & personali solutione non solvit quod debet, sed debitum ejus in alium transfertur, censetur debitum gratis remissum respectu debitoris primarii. At res sic se habet in præsenti mysterio. Debet homo pœnas persolvere: impar est solvendo ad æquivalentiam; Deus ex benignitate dat vadem qui pro ipso homine solvat, ejusque solutionem acceptat: nonne in his duobus gratuita est debiti respectu hominis remissio, licet aliunde accurata repetatur ex vade satisfactio?

Neque est quòd dicas, gratuitam illam remissionem respectu hominis fieri propter satisfactionem Christi, adeoque merè gratuitam non esse. Namque

que etsi liberatio hominis non fiat nisi posita satisfactione, vis tamen ipsa liberandi, seu fundamentum liberationis, non est simpliciter à satisfactione seu solutione, qua tali; sed à liberalitate & clementia Dei, qui Filium vadem pro nobis gratuitò donavit, ejusque solutionem gratam habuit & acceptavit.

Ad quintum: Cùm impares essemus solvendo, Christus pro nobis solvit; & intuitu ejus solutionis, peccata nobis dici possunt remitti ex justitia simul & ex gratia: ex justitia quidem, respectu Christi, qui abundè solvit; ex gratia autem, respectu nostri, qui nihil solvimus, & quibus ex mera liberalitate concessit Deus Filium suum vadem ac sponsorem pro nobis.

Neque est quòd reponat aliquis: Si Christus ex justitia pro nobis omnibus satisfecit, ergo nobis omnibus ex justitia debita est Christi gratia & vita æterna, adeoque nemini potest jure denegari. Namque etsi Christus sanguine suo pretium superabundans Deo Patri solverit pro gratia & vita æterna nobis comparanda, neque jure possit Deus gratiam & gloriam iis denegare, quibus eam Christus constitutus Judex vivorum & mortuorum dandam decreverit; attamen gratia hæc nobis debita non est titulo justitiæ, sed ex pura Christi liberalitate ac clementia conceditur, qui dona sua, quæ proprii sanguinis pretio acquisivit, quibus vult gratuitò largitur: quamquam nobis debita dici possit gratia, titulo decentiæ & fidelitatis Christi, qui promisit se omnibus nobis adfuturum; & reipsa nullus homo est tam perditus, qui divinæ gratiæ auxilia interdum ab eo non sentiat, qui vult omnes sincerè salvos fieri, & qui pro omnibus mortuus est.

Ad sextum, dico ex Christi satisfactione minimè sequi, aut inanes esse nostros actiones satisfactorias; aut si necessariæ illæ sunt, gratis non remitti peccata. Non primum: Quia præcipit Scriptura ut bonas actiones vitæ æternæ meritorias eliciamus, *Satagite*, inquit S.Petrus Epist. 2. cap. 1. v. 10. *ut per bona vestra opera certam vestram vocationem & electionem faciatis* Non ergo superfluæ illæ sunt. Ratio est, quia licèt Christus omne pretium pro nobis solverit, ejus tamen merita (sic providè ordinante Deo) nobis non applicantur, nisi per bona nostra opera ex gratia Christi elicita; cooperari quippè debemus, & de nostro conferre ad nostram salutem: *Qui enim creavit te sine te*, inquit S. Augustinus, *non salvabit te sine te*. Unde Apostolus dicebat: *Non ego solus, sed gratia Dei mecum*. Et hoc ipso sensu dicebat idem Apostolus Coloss. 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*. Non quòd reipsa quidquam desit satisfactioni Christi, quæ superabundans fuit; aut nostræ satisfactiones privatæ satisfactioni Christi injuriosæ sint, ut calumniantur Novatores: sensus enim est, vel Apostolum adimplere ea quæ desunt in carne sua passionum Christi, ita ut verbum *desunt* conjungatur cum istis, *in carne mea*; quia nihil quidem deest Christo passionum suarum, passus enim est quidquid pati debuit; sed aliquid deerat Paulo quod in carne sua impleret, nimirum deerant pœnæ, labores & alia vitæ hujus mala, quæ quodlibet Christi membrum, ad exemplum capitis sui, ferre debet, & quæ summa animi constantia toleravit Apostolus. Vel sensus est, Paulum adimplere in carne sua ea quæ supersunt (seu reliquias) passionum Christi: vox quippè græca quam vulgatus Interpres vertit per verbum *desunt*, reddi potest per *supersunt*, seu *reliquias*; ac nihil aliud vult

S.Pau-

S.Paulus, quam quòd in carne sua ea adimpleat, quæ supersunt Christo toleranda; nonquidem in propria sua persona, quæ impassibilis est, sed in membris suis: quæ enim sancti tolerant, ea Christus ipse tolerare dicitur; quemadmodum qui Ecclesiam persequitur, Christum ipsum persequitur Act. 9. v. 5. Vel denique sensus est, aliquid deesse passionum Christi, non quoad pretii plusquam sufficientem solutionem, sed quoad illius nobis factam applicationem, quæ fieri non potest nisi accedant & nostra bona opera.

Non sequitur etiam, ex satisfactione Christi peccatum nobis gratis non remitti: tùm quia gratia per quam remittitur, gratuita est; alioquin non esset gratia: tùm quia bona nostra opera nihil meriti habent à Christo sejuncta. Hinc etsi gloria & vita æterna tanquam merces ex justitia bonis nostris operibus concedatur, gratis tamen nonnunquam dari dicitur, in radice nimirum, quia gratia, per quam obtinetur, gratuita est, ac meritum nostrarum actionum à Christo est, in quo, & per quem vitam æternam assequimur.

Objiciunt 3. Impossibilis est satisfactio respectu ipsius Christi. Probant

I. Quia injustum est innocentem plecti pro reo, ejusque loco substitui: talis etenim substitutio unius pro alio, & alieni peccati imputatio, expresse à Deo improbatur Deut. 24. v. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur*. Et Ezech. c. 18. v. 4. *Ecce omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii mea est: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*.

II. Si Christus pro nobis satisfecit, ergo sibimetipsi satisfecit; Deus enim est, sed Deo satisfactio debetur: at istud planè absurdum esse, vel hac una ratione evincitur, quòd sequeretur eum simul & semel & dare, & accipere solutionem; simul & semel fore iratum & placatum: iratum, qui postulat; placatum verò, qui exhibet satisfactionem, quæ certè contradictionem aliquam involvere videntur.

III. Cùm Christus homo verus fuerit factus sub Lege, debuit pro se eam Legi obedientiam, quam in meritum & redemptionem nostram impendisse dicitur: hinc Matth. 3. v. 15. dicit sibi *implendam esse omnem justitiam*, ac venisse se non ut Legem solveret, sed impleret. Porrò cùm quis pro se debet aliquid, non potest pro alio illud ipsum solvere.

IV. Non magis satisfecit Christus pro nobis ferendo pœnas nobis debitas, quàm Legem, & omnes officii nostri partes vice nostra implevit: at Christus non implevit Legem, nec omnes officii nostri partes, quasi jam immunes simus ab observanda lege Dei; ergo &c.

V. Denique, passionis & mortis Christi non alium Scriptura finem assignat, quàm ut nobis exemplum præbeat patientiæ in pœnis & ærumnis hujus vitæ tolerandis. 1. Petri 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. Et 1. Joan. 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*, quibus in locis exemplum dumtaxat proponitur imitandæ charitatis & patientiæ Christi.

Resp. ad singula.

Ad primum, dico injustum non esse innocentem plecti pro reo, quando innocens se sponsorem & vadem pro reo constituit; tunc enim rei & debitoris

ris peccata in vadem conjecta & transmissa censentur, non quidem quoad reatum culpæ, sed pœnæ: at in Christo *posuit Deus iniquitates omnium nostrum. Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, Isaiæ 53. Equidem hominibus privatis non licet in causa capitali [illegible] privata auctoritate constituere vadem pro alio, sicut aliquando contigisse legimus Deciis, Codris, Curtiis. Ratio est, quia privatus quilibet sui corporis dominium non habet, neque sibi, sed Reipublicæ vivit: at non Christo, qui vitæ suæ dominus fuit, & rerum omnium arbiter supremus, argui non potest, imò summè commendari debet ferventissima illa charitas, qua semetipsum pro nobis vadem ac sponsorem Patri suo obtulit.

Neque verum est, substitutionem omnem & peccati alieni imputationem per Deum factam damnari. Nonne Exodi 20. v. 5. dicitur, *Deus visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem?* Et Threnorum 5. v. 7. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt; & nos iniquitates eorum portavimus.* Nonne multa sunt in Scripturis hujus substitutionis & imputationis exempla? Omnes Adæ posteri ejus peccatum nascendo contrahunt: ob factum Chami, execrationi subjicitur Canaan, Gen. 19. v. 26. ob factum Davidis, pereunt septuaginta hominum millia, 2. Regum 24 v. 15. Quin & Matth. 23. v. 37. Christus Judæis interminatur pœnas eorum delictorum, quę à suis majoribus tam longo antè tempore patrata fuerant.

Cùm igitur Deut. 24. citato cap. Deus prohibet ne occidantur patres pro filiis, & vicissim legem hanc imponit Deus Judicibus, ut unus pro alio non puniatur, sed ut pęna sequatur reum. Periculum quippe erat, ne cùm audirent Deum visitare peccata patrum in filiis, id sibi quoque licere arbitrarentur: verùm legem hanc sibi non imponit Deus, qui potest unius pęnam in alium transferre, quia omnes peccatores sumus.

Cùm verò apud Ezechielem pronuntiat Deus, animam, quæ peccaverit, ipsam morituram; noli inde concludere, Deum omnem alieni peccati imputationem improbare: sed vel pro subjecta materia sensus est, imposterum non fore amplius talem imputationem. Agit enim ibi Scriptura de pęnis quas Judæi propter peccata Manassis se luere conquerebantur; ac respondet Deus, futurum ut non ampliùs peccata Manassis imputentur, sed ut quisque sua tantùm luat. Vel sensus est, neminem innoxium mori; quia quisquis moritur, peccator est, nec ullus potest suam innocentiam objicere Deo. Scopus ergo Scripturæ est, ut eos reprimat, qui innocentiam suam jactitabant & obtendebant, quos isto argumento efficaciter reprimit: Omnes moriuntur; ergo omnes peccaverunt: anima enim quæ peccaverit, morietur; id est, homo moritur propter peccatum suum. Moriuntur quidem infantes, qui non peccaverunt propria sua voluntate, sed voluntate Adami, *in quo omnes peccaverunt*, ait Apostolus: Moritur etiam Christus, non ex necessitate, sed ex voluntate, *Oblatus est quia voluit*, quia nempe peccata nostra portavit, *stipendium autem peccati, mors.*

Ad secundum, resp. fallaciam esse à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter: Christus enim non simplex Deus est, nec simplex homo, sed Deus homo, utramque simul naturam habens, divinam & humanam, in unitate personæ; igitur simpliciter dici non debet, Christum sibimetipsi satisfecisse. Non enim satisfecit sibi ut homini & mediatori inter Deum & homi-

hominem: sub illo quippe respectu Deo satisfecit, licèt dici possit sibi satisfecisse ut Deo. Et in hoc posita est fallacia adversariorum à dicto secundùm quid, quòd nimirum concludant simpliciter & absolutè Christum sibi satisfecisse, cùm tamen sibi non satisfecerit, nisi ut Deo, non autem ut homini: Christus autem Deus est simul & homo. Itaque nulla est contradictio quòd eadem persona duplici natura constans, dicatur sibimetipsi satisfacere & non satisfacere, sub diverso respectu: Christus ut Deus, sibimetipsi satisfacit; ut homo, satisfactionem Deo exhibet. Cùm autem Christus præcipuè satisfecerit ratione suæ humanitatis, quæ tanto intervallo à Deo distat, propriè ejus satisfactio est ad alterum, scilicet ad Deum Patrem, qui hac in parte personam sustinet Judicis, cui satisfactio persolvenda est; non ad seipsum. Adde quòd Christus etiam ut Deus, persona sit à Patre realiter distincta; & ita satisfactio ipsius offertur personæ ab ipso distinctæ, Patri nimirum: ex quo facilè solvitur quod in confirmationem additur, nempe Christum simul iratum esse, & placatum; simul acceptare solutionem, & eam offerre; sub diverso nempe respectu, & ratione diversæ naturæ.

Ad tertium, nego Christum pro se debuisse Legi obedientiam: nihil enim ille peccaverat, ut pro se quidquam solveret. Ratio est, quia non alio titulo debuit Legi obedientiam, quàm quò debuit homo fieri; obedientia enim Legi debita fundatur in subjectione creaturæ ad Creatorem: at non pro se Verbum caro factum est, sed pro nobis; igitur nec pro se Legem implevit, sed pro bono nostro, pro expiatione nostrorum delictorum. Reipsa quidem Christus homo factus, ratione naturæ suæ humanæ subditus fuit Patri eique obedientiam debuit, sed obedientiam planè liberam, quia liberè homo factus est, & *oblatus, quia voluit*. Dici etiam posset, personam quidem privatam non posse pro alio solvere quod ipsa debet; at hoc posse personam publicam: ita Consul v.g. suo & civitatis nomine cum hoste paciscit; Rex pro se & pro populo suo fœdera sancit. Christus autem est persona publica, & pro omni humano genere piacularis hostia Deo devota; & ita si quid Deo debet propter suam naturam humanam, potest illud tùm pro se, tùm pro aliis solvere, licèt diversa ratione, ac diverso titulo: pro se solvit obedientiam, titulo subjectionis naturæ humanæ; pro aliis verò reddit, titulo redemptionis & satisfactionis pro alienis peccatis.

Ad quartum, æquivocatio est. Si enim nihil aliud volunt adversarii, quàm Christum loco nostro Legem non implevisse, ita ut immunes facti fuerimus ab illa observanda, ultro fatemur Christum eo sensu Legem non implevisse; sicut non eo sensu dicitur satisfecisse, quòd nos ab omni satisfactione exemerit, sed quòd nostris operibus, aliunde infirmis & insufficientibus, valorem & pretium comparaverit in ordine ad vitam æternam. Si verò sensus sit, Christum pro nobis Legem non observasse, negamus: omnis quippe vitæ Christi series, pro nobis, ad expiationem scilicet peccatorum nostrorum, destinata fuit.

Ad ultimum, nego non alium in Scripturis assignari finem passionis & mortis Christi, quàm ut sit nobis in exemplum patientiæ & charitatis: ille quidem finis partialis est ac inadæquatus; sed non omnis nec adæquatus, ut constat ex testimoniis inter probationes adductis.

Objiciunt 4. impossibilem esse Christi satisfactionem ex parte pœnæ. Probant:

bant: Quia is verè pro nobis non satisfecit, qui non solvit id omne quod à nobis debebatur: atqui Christus non solvit id omne quod à nobis debebatur; debebamus enim ex justitia Dei pœnam seu mortem æternam sustinere, quam tamen Christus non sustinuit. Ita Socin. p. 3. de Servat. c. 3. & Catech. Racov. de morte Christi cap. 8.

Resp. dist. maj. Qui non solvit quod à nobis debebatur, neque quoad durationem, neque quoad pretium & valorem æquivalentem, concedo: qui non solvit tantùm quoad durationem pœnæ, nego. Dist. min. Christus non solvit quod à nobis debebatur, quoad pœnæ durationem, concedo: quoad pretium & valorem æquivalentem, nego. Pœnæ quidem Christi ac mors illius temporaneæ fuerunt, ac finitæ physicè, pœnæ autem damnatorum æternæ; sed pœnæ Christi valorem habent æquivalentem pro redemptione à pœnis in duratione æternis, quia sunt à persona infinita toleratæ, adeoque infinitatem quamdam ex illa contrahunt moralem, quæ plusquam sufficienter compensat pœnas in duratione æternas.

Objiciunt 5. impossibilem esse satisfactionem ex parte hominum. Probant: Quia singulis peccatoribus mors una infinita debebatur, imò & pro unico peccato; ergo vel plures mortes, imò innumeræ requirebantur infinitæ, vel Christus verè & plenè pro omnibus non satisfecit. Ita Soc. par. 3. de Servat. c. 4.

Resp. unicam Christi mortem pro omnibus omnium hominum peccatis expiandis sufficientissimam fuisse, cùm fuerit à persona infinita, & à Deo ipso tolerata. Id directè Scriptura profitetur: *Si unus pro omnibus mortuus est*, ait Apostolus secundæ Cor. 5. v. 14. *ergo omnes mortui sunt*. Et certè ex eodem Apostolo, Rom. 5. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi.*

Objiciunt denique aliqua absurda ex doctrina de satisfactione emergentia.

Primum: Si Christus pro nobis satisfecit, plùs ipsi debemus, quàm Patri cœlesti, qui pro nobis non satisfecit.

Secundum: Si Christus pro nobis satisfecit legi divinæ, non tenemur ampliùs legem observare: cùm enim pro re aliqua pretium alterius loco solutum est, non tenetur iste denuò solvere: atque hinc aditus aperitur socordiæ & projectæ ad peccandum licentiæ.

Tertium: Si Christus pro omnibus satisfecit, ergo omnes etiam manifestè impii salvabuntur.

Quartum: Posita satisfactione Christi, gloria & omnipotentia Dei tota obscuratur: nam Deus peccata nostra sine satisfactione remittere vel noluit, vel non potuit: si noluit, injuria fit ejus misericordiæ; si non potuit, ejus omnipotentiæ.

Resp. ad singula.

Ad primum: nos æquè obligatos esse tribus sanctissimæ Trinitatis personis, quia Incarnationis mysterium, etsi subjectivè ac terminativè sit solius Filii, efficienter tamen est à tota Trinitate. Quòd si multùm debemus Filio, qui homo pro nobis factus est, nonne multùm debemus & Patri, qui Filium suum unigenitum dedit? nonne multùm & Spiritui sancto, qui charitas est diffusa in

N 2 cordi-

cordibus nostris? Peccant in eo adversarii, quòd ea dividant quæ separanda non sunt.

Ad secundum: Christus non eo fine pro nobis satisfecit ac implevit Legem, ut nos à satisfactione ac Legis observantia immunes faceret: non ita est; exemplum enim suum nobis proponit, nosque ad virtutem & bona charitatis opera continuò adhortatur; sed ut nostris bonis operibus ac Legis observantiæ pretium & valorem condignum vitæ æternæ acquireret, quia sine Christo ejusque gratia nihil sumus, nihil possumus; omnia verò possumus in eo qui nos confortat. Unde tantùm abest ut doctrina satisfactionis Christi sit impietatis janua, ac securitatis & negligentiæ incitamentum, quin potiùs eo potissimùm motivo ad bona opera excitari debemus, quòd præeunte Christo capite nostro, non possimus nisi per illa ad æternam gloriam pervenire: *Hæredes sumus Dei & cohæredes Christi*, inquit Apostolus Rom. 8. v. 17. *si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Ad tertium: nego omnes in impietate perseverantes, & in ea ultimum diem obeuntes, salvandos esse, etsi Christus pro omnibus satisfecerit ac mortuus sit: mortuus quippe est, ut in novitate vitæ ambulemus, *ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo.* (*Ad Tit. 2. v. 12.*) Qui ergo ex inveterata malitia & impietate in malo pertinaces sunt ac moriuntur, ii culpa sua fructu meritorum ac satisfactionis Christi priventur, & à vita excluduntur æterna.

Ad quartum: Nec misericordia, nec omnipotentia Dei per Christi satisfactionem obscurantur, imò illustrantur magis. Noluit quidem Deus infinitè justus, imò nec, ut putamus, ex lege ordinaria potuit peccatum impunitum relinquere: at in eo plurimùm eluxit ejus benignitas ac misericordia, quòd cùm inimici essemus, ipse prior dilexit nos, dando nobis proprium suum ac dilectum Filium, qui pro nobis Deo Patri abundè & plus quàm abundè satisfaceret: omnipotentia quoque ac sempiterna ejus virtus in eo apparuit, quòd per crucem suam, quæ *Judæis scandalum, & Gentibus stultitia fuit*, omnes conjurati adversus nos inferni vires ac conatus fregerit ac superaverit.

ARTICULUS III.

De perfectione satisfactionis Christi.

VArius est præsentis disputationis sensus ac status, pro diversitate personarum cum quibus & à quibus agitatur: unde ad fidem spectat, vel ad merum Scholæ dissidium.

Calvinistæ cæterique Novatores eo sensu ajunt perfectam esse Christi satisfactionem, ut nullus amplius locus esse debeat privatis nostris satisfactionibus; nosque Catholicos contumeliosè exagitant, quòd præstantiam satisfactionis Christi elevemus, cùm privatas nostras necessarias tuemur: sic tamen perfectam contendunt iidem Novatores Christi satisfactionem, ut negent eam superabundantem fuisse, ne si quidquam in ea residui ac superexcedentis faterentur, consequenter Indulgentiarum doctrinam ipsis adeo invisam admittere cogerentur.

De satisfactione Christi sic considerata hìc cum Hæreticis non disputamus: suus

suus huic controversiæ locus erit, cùm de Sacramento Pœnitentiæ disserendo, de operibus satisfactoriis, ac de Indulgentiis verba faciemus.

Mera igitur hic ventilatur Scholæ controversia. Licèt enim omnes Scholæ Magistri agnoscant Christi satisfactionem reipsa sufficientem fuisse omnibus nostris redimendis peccatis, nostrasque privatas satisfactiones eo titulo necessarias non esse, ut suppleant defectum & insufficientiam satisfactionis Christi; dissentiunt nihilominus inter se, ut exponant quâ ratione satisfactio Christi sufficiens & condigna fuerit.

Alii volunt eam ex se condignam & perfectam non fuisse, sed ex sola Dei acceptantis liberalitate: alii, eam non fuisse ex virtute, seu titulo veræ justitiæ factam: alii è contra, licèt fateantur eam titulo justitiæ factam, nolunt tamen ad omnes rigorosos juris apices exactam illam fuisse, de quibus Vasques hic disp. 5. c. 1.

Quatuor igitur hìc inquirenda.

I. An satisfactio Christi ex sese perfecta & condigna fuerit; an verò ex sola Dei acceptantis liberalitate.

II. An fuerit æquivalens & superabundans.

III. An fuerit ex vera justitia.

IV. An ex stricta justitiâ, & ad rigorosos juris apices.

An satisfactio Christi ex sese perfecta fuerit; an ex sola Dei acceptantis liberalitate.

Qui inter Theologos arbitrantur satisfactionem Christi potuisse à Deo non acceptari, ii consequenter docere tenentur eam ex sola Dei acceptantis liberalitate vim obtinuisse: ad quid enim prodesset, si non acceptaretur? *Christi satisfactio*, ait Cardinalis de Lugo, de Mysterio Incarn. disp. 3. sect. 10. *pro nostris peccatis, si quantitatem & valorem respicias, non solùm condignum pretium est, sed excedens & superabundans; & ex hoc capite fuit juxta; imò & supra rigorem justitiæ punitivæ; adhuc tamen quantacumque illa est, potuit juxta rigorem justitiæ non acceptari à Deo.* Non satis, fateor, intelligo, quo sensu dici possit Christi satisfactionem potuisse à Deo non acceptari, quam, perinde ac Incarnationem, & Deus liberè decrevit, & Verbum liberè acceptavit. Fingine potest Verbum esse hominem factum, Deo non consentiente, imò non cooperante? Fingi-ne potest posse Filium velle aliquid quod Pater non velit, cùm una & eadem sit utriusque voluntas? Itaque sit p. 59.

CONCLUSIO.

Satisfactio Christi ex sese perfecta & condigna fuit, non ex sola Dei acceptantis liberalitate.

Probatur multiplici argumento ex Scripturis.

I. à dignitate personæ satisfacientis, in qua ad officium Mediatoris & Redemptoris adimplendum duæ potissimùm conditiones requiruntur; sanctitas seu justitia perfecta, & virtus infinita: atqui Christus, qui pro nobis satisfecit, perfectè justus & sanctus fuit, *qui peccatum non novit nec fecit,*

cti, secundæ Cor. 5. v. 21. imò sanctitas ipsa, Lucæ 1. v. 35. Pariter infinita virtute seu potentia instructus fuit, utpote verus Deus, *in quo*, ait Apostolus Coloss. 2. v. 9. *inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*. Porrò satisfactio quæ fit à persona infinitè justa & sancta, infinita quoque est quoad valorem & pretium. Quamquam enim natura humana, quæ se habet ut principium *quo*, finita sit; satisfactio nihilominus infinita est ob infinitam personam, quæ illius est principium, ut vocant, *quod*, cui tribui illa debet, tùm quia actiones, ut fert commune axioma, sunt suppositorum; tùm quia ipsamet divina Christi persona pars est illius satisfactionis, *qui semetipsum humiliavit, factus obediens usque ad mortem*. Porrò satisfactio infiniti valoris ac pretii ex sese perfecta est ac condigna, non ex sola Dei acceptantis liberalitate.

Philip. 2. v. 8.

II. ab unitate sacrificii & oblationis Christi. S. Paulus in Epist. ad Hebr. ostendit sacrificiorum Legis insufficientiam seu imperfectionem, ex frequenti eorum iteratione; sacrificii verò Christi excellentiam, ex ipsius unitate, quia semel in cruce oblatus & mortuus est. Lege cap. 7. & 10. Epist. ad Hebr. Porrò si satisfactio Christi non ex se condigna & perfecta fuisset, sed ex una Dei acceptantis liberalitate, nihil ferè habuisset supra sacrificia legalia, quæ ex liberali Dei acceptatione valebant ad purganda peccata.

III. ex gravitate pœnæ quæ Christo imposita fuit. Namque ea satisfactio perfecta & condigna est, quæ adæquat & exhaurit omne debitum ab iis contractum, pro quibus persolvitur satisfactio: atqui talis est Christi satisfactio: per peccatum enim Legi, pœnis ac morti ipsi obnoxii facti sumus: sed Christus factus est sub Lege, mandata Patris ex vera obedientia observavit, pœnis denique ac ipsi morti subditus fuit, qui dolores nostros portavit; ergo Christi satisfactio adæquat & exhaurit debitum omne quod ex peccato contraximus.

IV. ab effectibus qui attenduntur, vel respectu Dei, vel respectu peccati, vel respectu Fidelium. Respectu Dei, perfecta cum ipso reconciliatio quam operatus est Christus, Rom. 5. v. 10. & secundæ Cor. 5. v. 18. Respectu peccati, perfecta illorum expiatio ac condonatio, Eph. 1. v. 7. Hebr. 1. v. 3. Respectu Fidelium, plena consummatio & redemptio, Hebr. 9. v. 12. & 10. v. 24. Porrò ubi effectus alicujus causæ perfecti sunt, causam perfectam esse oportet.

V. denique, ex Dei Judicis approbatione. Namque si Deus justus Judex Christi satisfactionem gratam & acceptam habuit, haud dubiè perfecta illa fuit ac condigna: porrò approbatam illam fuisse constat, tùm quando Pater divinus solemniter declaravit hunc esse Filium suum dilectum in quo sibi benè complacuit; tùm quando eum à mortuis suscitavit: resurrectio quippe Christi non modò indubitatum fuit divinitatis ejus argumentum, sed etiam certissimum perfectissimæ satisfactionis pignus. Etenim nisi plenissimè & ad ultimum usque quadrantem satisfecisset, vix credi potest Deum Judicem, ac inexorabilem ejus justitiam, quæ plenam solutionem postulat, eum liberaturum fuisse & evecturum ad summam illam gloriam, ad quam exaltatus est in præmium perfectæ suæ obedientiæ, Philipp. 2. v. 9.

Confirmari Conclusio posset multis SS. Patrum testimoniis; sed quæ laudata sunt, ubi de necessitate Incarnationis & satisfactionis egimus, sufficiunt.

Acce-

Accedit & manifesta ratio Theologica. Ea scilicet satisfactio infinitè perfecta est ac condigna, quæ fit à persona infinitè perfecta; crescit enim valor & pretium satisfactionis, pro majori perfectione ac dignitate personæ satisfacientis: atqui satisfactio Christi est à persona infinitè perfecta, nempe persona Verbi; ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Satisfactioni Christi aliquid deest, dicente Apostolo Coloss. 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Ergo satisfactio Christi ex sese perfecta & condigna non est.

Resp. dist. ant. Satisfactioni Christi aliquid deest, ex parte carnis nostræ, quæ affligenda est & castiganda, ut merita Passionis Christi nobis applicentur, concedo: aliquid deest ex parte Christi, nego. Vide quæ paulò antè ad hanc Socinianorum objectionem dicta sunt, in responsione ad sextam confirmationem secundæ Objectionis.

Instabis 1. Christus oravit ut nobis delictorum veniam impetraret: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Porrò si fuisset infinita Christi satisfactio, delictorum nostrorum venia debita ipsi fuisset, non precibus exoranda. Luc. 23. v. 34.

Resp. nego min. Etsi enim debita foret, precibus tamen eam exorare voluit Christus, tùm ut orandi præceptum ac exemplum nobis daret; tùm ut hac ipsa oratione, quæ demissionem & obedientiam ejus demonstrabat, impetraret ac mereretur id quod postulabat; erat enim ipsamet oratio Christi pars quædam ipsius satisfactionis: sic autem orabat Patrem, ut simul significaret omnia sibi esse cum ipso communia, *Omnia tua mea sunt.* Tùm denique ut mediatoris officium & partes adimpleret.

Instabis 2. Necesse fuit ad valorem satisfactionis Christi, ut à Deo acceptaretur; ergo ex sese sufficiens ac condigna non fuit.

Resp. dist. ant. Necesse fuit ut à Deo acceptaretur, nec potuit, supposito Incarnationis decreto, non acceptari, concedo: & potuit non acceptari, nego. Acceptatio verò seu approbatio satisfactionis, nihil detrahit de ipsius condigna perfectione, quia nulla pars debiti per acceptationem gratuitò remittitur: ea quippe acceptatio sola condignitatem satisfactionis imminuit, quæ aliquid gratis remittit, & vocari solet acceptilatio creditoris. Adde quòd, ut initio hujus disputationis observatum est, non satis intelligitur quomodo recusari, seu non acceptari potuisset Christi satisfactio, supposito decreto libero futuræ Incarnationis.

Objicies 2. Si satisfactio Christi condigna foret & æquivalens ad solvendum quod ex peccato contraximus debitum, & superflua essent Sacramenta, aliaque salutis assequendæ subsidia, & immeritò novæ pœnæ satisfactoriæ à nobis exigerentur: cùm enim totum debitum solutum est à sponsore, iterata ejus solutio à reo exigenda non est.

Resp. nego sequelam ant.

Ad primam: Sacramenta & alia salutis subsidia necessaria non sunt, ut solvatur pretium redemptionis nostræ, quod abundè & superabundè Christus persolvit; sed ut applicetur nobis: sunt etenim illa publica instrumenta,

quibus Deus utitur, ut quam sanguine suo gratiam promeruit, nobis communicetur. *Mors Christi*, ait S. Thomas L. 4. contra Gent. c. 55. n. 26. *est quasi quædam universalis causa salutis, sicut peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis; oportet autem universalem causam applicari ad unumquemque specialiter, ut effectum universalis causæ participet; effectus igitur peccati primi parentis pervenit ad unumquemque, per carnis originem; effectus autem mortis Christi pertingit ad unumquemque, per spiritalem regenerationem, per quam homo Christo quodammodo conjungitur & incorporatur: & ideo oportet quòd unusquisque quærat regenerari per Christum, & alia suscipere in quibus virtus mortis Christi operatur.*

T. 14. p. 719. col. 1. D.

Ad secundam: Novæ pœnæ nobis imponuntur quidem, non in supplementum pretii sanguinis Christi, quod infiniti valoris fuit, sed ut pretium illud nobis applicetur & communicetur. Reipsa totum pretium redemptionis nostræ à Christo solutum est, sed cum ista conditione ac lege, ut pretii hujus participes non simus, nisi per cruces, dolores & afflictiones, *Cohæredes Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Ita sapienter divina ordinavit sapientia & justitia. 1. ut membra suo capiti conformia forent; & quemadmodum Christus ad gloriam suam pervenit per crucem, *Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, ita & nos per vitæ hujus dolores & ærumnas ad vitam æternam perduceremur. 2. quia virtus in infirmitate perficitur, secundæ Cor. 12. v. 9. & ad agonem ac victoriæ meritum relinquitur nobis stimulus carnis. 3. ne fortè si homines per Christum ab omni pęna liberarentur, solo rerum temporalium affectu ipsi adhærerent. 4. ut à bonis temporalibus abstracti, ac pœnis hujus vitæ fatigati, cœlestia bona ardentiùs concupiscerent. 5. ut tollatur negligentiæ occasio. 6. denique, ut gloriæ nostræ consuleretur: gloriosum quippe homini est, in negotio suæ salutis suo Redemptori ac Servatori cooperari.

Rom. 8. v. 17.

Luc. 24. v. 26.

Objicies 3. Conclusio nostra falso nititur fundamento, nempe satisfactionem Christi esse infinitam. At non ita est: satisfecit enim Christus per actiones humanas, seu per humanitatem, quæ certè finita est, non per divinitatem, quæ demissionis, passionis & satisfactionis prorsus est incapax.

Resp. nego ant. ad probationem dist. Christus satisfecit per actiones humanas quæ finitæ sunt, quoad entitatem physicam, concedo: quoad valorem moralem, nego. Itaque actiones Christi satisfactoriæ spectari possunt, vel quoad entitatem physicam, sub quo respectu finitæ sunt; vel quoad pretium & valorem moralem, quo respectu infinitæ sunt propter unionem personalem Verbi cum humanitate. Quod ut intelligas, tria in Christo satisfaciente sunt attendenda: persona ipsa satisfaciens; natura divina, quæ valorem & pretium infinitum actionibus Christi communicat; & natura humana, quæ physicam illarum actionum quas elicit, entitatem subministrat. Unde autem præcisè repeti debeat valor infinitus satisfactionis Christi, non una, sed multiplex est Theologorum sententia; de qua re, vide, si vacat, Cardinalem de Lugo, de Mysterio Incarnationis Disp. 6. sect. 1. Ut verò quæstionem solvas,

Observa valorem in satisfactione triplicem distingui posse. Primus est objectivus, qui tùm in ipsa entitate actionis, tùm in ejus objecto circa quod versatur, & modo quo in illud tendit, positus est. Secundus, radicalis dicitur

dicitur, qui fluit à persona ipsa satisfaciente, seipsam demittente ac humiliante. Tertius, derivatus est, dimanans ex principiis ex quibus fit actio. Principium autem, vel *quod*, vel *quo* dicitur: principium *quod*, est suppositum agens; actiones quippe sunt suppositorum: principium verò *quo*, aliud est substantiale, nempe natura ipsa; aliud accidentale, nempe habitus, gratia &c. His positis,

Dico 1. valorem objectivum satisfactionis Christi finitum fuisse, tùm ratione entitatis actionis humanæ, tùm ratione objecti seu materiæ circa quam versabatur, quæ sæpissimè finita erat, tùm ratione nisus voluntatis & modi quo circa objectum tendebat.

Dico 2. valorem radicalem infinitum fuisse: hic enim fluebat à persona Verbi infinita, quæ & offerebat simul & oblata erat, simul Sacerdos & hostia; ipsa etenim Verbi persona, ut jam dictum est, pars erat satisfactionis, *Humiliavit semetipsum*, Philipp. 2. v. 8. *Dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus*, primæ ad Tim. 2. v. 7. Simul Christus & Sacerdos fuit offerens, & hostia oblata; ex utraque autem parte satisfactio ipsius infinitum valorem contrahebat: satisfactio quippe, ut Schola loquitur, reflexiva est supra suppositum, illudque involvit.

Dico 3. valorem ex principiis satisfactionis Christi derivatum, diversum fuisse, pro diversa conditione illorum principiorum. Christi persona erat principium *quod*, adeoque infinitum: principium verò *quo* substantiale duplex erat; natura scilicet divina & humana: principium *quo* accidentale, erat gratia accidentalis in Christo. Ex parte principii *quod*, seu personæ Christi, valor satisfactionis infinitus est: ex parte principii *quo* substantialis primarii, nempe divinitatis, infinitus quoque est; non autem ex parte humanitatis præcisè quæ finita est, perinde ac principium *quo* accidentale, nempe gratia, quæ natura sua finita quoque est. Cave autem ne cùm de satisfactione Christi tractas, divinam ab humana sejungas naturam; neque enim aut divina, aut humana seorsim pro nobis satisfecit, sed utraque simul modo suo: divina valorem infinitum impertiendo, humana materiam actionum & passionum subministrando; hæc physicè, illa moraliter.

Instabis 1. Vix intelligitur qua ratione Verbi persona pars esse possit satisfactionis; ad hoc enim necesse foret Verbum sese demittere, ac subjicere legi satisfactionis: atqui de divina persona concipi istud non potest; ergo &c.

Resp. dist. min. De divina persona solitariè sumpta id concipi non potest, concedo: hypostaticè unita cum natura humana, nego. Verbum quippe, cùm caro factum est, *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. . . & humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*. Philipp. 2. v. 7. & 8. Reipsa mens humana non capit quomodo id fieri possit: mysterium est à sæculo absconditum.

Instabis 2. Quoties duæ causæ concurrunt ad eumdem effectum, quarum una infinita est, altera verò finita, effectus simpliciter finitus est, ut patet in Deo cum creaturis agente, & in visione beatifica: atqui divinitas & humanitas concurrunt ad eamdem actionem Christi meritoriam; ergo effectus ex duplici illa causa resultans simpliciter finitus est.

Resp. dist. maj. Si duæ illæ causæ eodem modo, nempe physicè ac effectivè concurrant, concedo: si modò diverso, ita ut causa infinita moraliter tantùm,

tùm, causa verò finita physicè concurrat, nego. Dist. min. Divinitas & humanitas concurrunt ad eamdem actionem Christi meritoriam diverso modo, divinitas nimirum moraliter valorem omnem actionibus Christi impertiendo, & humanitas physicè materiam satisfactionis subministrando, concedo: eodem modo, nego. Unde patet discrimen inter exempla laudata, & causam præsentem: Deus quippe agens cum creaturis, & in ipsa etiam visione beatifica, physicè influit ac concurrit: in actionibus verò Christi satisfactoriis divinitas moraliter dumtaxat influit, iis valorem ac pretium infinitum communicando; humanitas autem physicè ac effectivè, entitatem actionis producendo.

Instabis 3. Creatio mundi, suscitatio Lazari ex mortuis, & alia hujuscemodi, nullum contrahunt ex persona operante infinitum valorem; ergo nec actiones Christi satisfactoriæ, ex persona Verbi.

Resp. dist. ant. Nullam contrahunt ex persona operante valorem infinitum, in ordine satisfactionis, concedo: in alio ordine, nego. Creatio equidem præstantissima est actio in ordine beneficii, non autem in ordine satisfactionis, quia scilicet à solo Deo est qui solvendæ satisfactionis est incapax: est tamen actio hæc ratione principii & modi agendi infinita, quamquam ratione termini creati, finita. Pariter, excitatio Lazari ex mortuis, infiniti valoris est in genere beneficii; quin & spectata in homine Deo, habuit in se valorem meriti & satisfactionis correspondentem dignitati personæ Christi: non tamen propriè satisfactoria fuit, quia ad merendum & satisfaciendum non sufficit valor rei oblatæ, nisi referatur ab offerente in finem merendi & satisfaciendi.

Instabis 4. Esto valor infinitus quem divinitas influit in actiones Christi satisfactorias, non limitetur per humanitatem; at saltem limitari potest ex objecto & modo actionis magis vel minùs intenso, ex voluntate ipsius operantis. Sic verò probant: Tam actus satisfactorii Christi, etsi personæ infinitæ, limitantur ex objecto, modo actionis ac operantis voluntate, quàm actiones hominis justi habentis v. g. intensissimam charitatem limitentur, tùm ex objecto, modo actionis & voluntate ipsa operantis: atqui actiones hominis justi habentis intensissimam charitatem, ita limitantur; aliàs sequeretur hominem justum qui charitatem habet intensissimam, ex illa semper operari, quod certè falsum est, aliàs eo ipso impeccabilis redderetur.

Resp. nego ant. ad cujus probationem neganda est major propositio & paritas. Disparitas est, quia sanctitas illa & charitas accidentalis est & adventitia in homine justo, non naturalis; illiusque usus semper subjacet liberrimo voluntatis arbitrio: unde mirum non est si homo habens intensissimam charitatem, remissiores actus aliquando eliciat. E contra verò sanctitas & dignitas personæ Christi substantialis est, naturalis, intrinseca ac necessaria: quapropter eo ipso quo Verbum hypostaticè unitur cum humanitate, ac pars est satisfactionis quam Deo persolvit, necesse est ut actionibus Christi valorem infinitum communicet; neque penes ipsum est, modò finitum, modò infinitum valorem impertiri, sed necesse est ut semper sit infinitus, Deus enim semetipsum negare non potest.

Instabis 5. Si omnis & qualibet actio Christi satisfactoria infinita foret,

ret, omnes in merito æquales forent, nec una altera dari posset nobilior; imò omnes simul sumptæ majorem dignitatem ac valorem non haberent, quàm una simplex; infinito quippe nihil addi potest: atqui consequens istud absurdum videtur; ergo &c.

Resp. dist. maj. Omnes æquales forent in merito, ratione valoris personalis, concedo: valoris objectivi, nego. Valor personalis qui est ab ipsa Verbi persona, æqualis est: valor autem objectivus, qui est ab objecto & circumstantiis actionis, major vel minor esse potest, pro majori vel minori dignitate objecti.

Instabis 6. Si unica Christi actio sit infiniti valoris ac meriti, superfluè Christus tot dira perpessus est, ac moriendo totum effudit sanguinem, cujus vel unica gutta universo mundo redimendo sufficiens erat.

Resp. nego sequelam ant. Voluit enim Christus ex abundantissima charitate opus redemptionis nostræ ipsa morte sua complere ac consummare, ad quam quodlibet vitæ suæ mortalis opus satisfactorium ordinavit. *Mors*, ait S. Augustinus Serm. 101. de temp. nunc 32. in Append. *nisi à morte superari non poterat; ideo mortem Christus sustinuit, ut injusta mors justam vinceret mortem, & liberaret reos justè, dum pro eis occidebatur injustè*. Non major ergo valor est personalis & intensivè, ut ajunt, in una, quàm in altera Christi actione; licèt major sit objectivè & extensivè in pluribus. *Tom. 5. Append. p. 64. B.*

Instabis 7. Valor actionum Christi non est quid increatum, alioquin esset ab æterno; ergo est aliquid creatum, & consequenter finitum.

Resp. valorem istum esse aggregatum ex ipsis operibus & ex dignitate increata Verbi; nihil enim aliud est valor, quàm bonitas operis exigentis à Deo præmium eximium, & majestas operantis, cui nihil finitum est magnum in ratione præmii: hoc autem aggregatum infinitum est in ratione valoris, licèt includat aliquid creatum.

At, inquies, istud aggregatum componitur ex aliquo finito & ex aliquo infinito; ergo non est simpliciter infinitum, sed secundùm quid.

Resp. istud aggregatum quantùm ad valorem & pretium, simpliciter infinitum esse, tametsi ratione enitatis aliquid finitum includat: eo ferè modo quo actiones meritoriæ hominis justi merentur præmium extensivè & quoad durationem infinitum, nempe vitam æternam; tametsi quoad entitatem finitæ illæ sint ac limitatæ.

Instabis denique: Si valor operum Christi simpliciter infinitus esset, non posset adæquari seu compensari nisi præmio simpliciter infinito: sed nullum est hujusmodi; ergo &c.

Resp. 1. nego maj. Sufficit enim ad compensandum meritum Christi, nullum esse præmium tam excellens ipsi collatum, quin majus & majus in infinitum ipsi debeatur. 2. Negari etiam absolutè de hujusmodi præmium infinitum esse impossibile: si enim v.g. altera persona SS. Trinitatis carnem assumeret in præmium Incarnationis Filii, nonne præmium illud æquale ac simpliciter infinitum foret?

An

An satisfactio Christi æquivalens fuerit, imò & superabundans.

CONCLUSIO.

Satisfactio Christi non tantùm æquivalens fuit, sed etiam superabundans.

Probatur 1. ex Scripturis, Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et v. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*: quibus verbis Apostolus præfert meritum Christi ad salvandum, peccato Adæ ad perdendum: non quidem quoad extensionem, quasi gratia Christi in plures derivata sit, quàm Adæ peccatum; certum siquidem est, peccatum Adæ in omnes omnino homines (exceptis Christo & B. Virgine) pertransiisse, *in quo omnes peccaverunt*; vitam autem gratiæ non omnibus omnino communicari, puta infantibus qui sine Baptismo moriuntur.

Nec obstat quòd vulgatus Interpres dicat in *plures* abundasse gratiam Christi: vox enim ista, *plures*, non comparativè, sed absolutè sumenda est, idemque sonat ac in *multos*; & quidem in græco textu legitur, πόλλυς, *multos*. Apostolus igitur præfert Christi meritum ad salvandum, Adæ demerito ad perdendum, ratione valoris, dignitatis & virtutis: tùm quia plura excellentiora dona per gratiam Christi adepti sumus. *Veni*, ait Christus ipse Joan. 10. v. 10. *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*. Tùm quia major est in meritis Christi efficacia in salute procuranda, quàm in peccato Adæ in promerenda damnatione, quia potest Deus quos voluerit per gratiam Christi à morte liberare, non potest dæmon quos voluerit perdere. Hinc meritò S. Petrus Epist. primæ, c. 1. v. 19. ait, *nos redemptos esse pretioso Christi sanguine*: hoc est, pretio quod æstimari satis pro dignitate non potest, cùm sit à persona infinita, nempe Deo ipso.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

P. 137. C. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 13. *Assumpsit*, inquit, *Christus peccata nostra in corpore, in lignum, ut per mortem ipsius nos peccatis mortui, justitiæ viveremus. Non parvus erat, qui mortuus est pro nobis: non erat ovis sensilis: non erat simplex homo: non erat Angelus tantùm, sed Deus incarnatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta pro illis morientis justitia; non tantum nos peccavimus, quantùm ille justè egit.*

T. 1. p. 695. D. S. Gregorius Nazianz. Orat. 42. ubi ait: *Nullum cum salutis meæ miraculo conferendum est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem universum instaurarunt.* Porrò non aliquæ tantùm guttæ, sed omnis Christi sanguis fusus est.

Edit. Commel p. 100. S. Joan. Chrys. Hom. 10. in Epist. ad Rom. *Multò plura*, inquit, *iis quæ debebamus, dependit Christus; atque adeo tantò plura, quantò mare immensum ad pusillam guttam collatum, majus esse possit. Nolito ergo ambigere homo, cùm tantam bonorum opulentiam videas; neque interrogato, qui id fieri potuerit, ut illa mortis ac peccati scintilla, tanto donorum veluti mari restincta, soluta sit.*

S. An-

S. Anselmus L. de conceptu virginali & peccato originali cap. 22. *Deus non exigit ab ullo peccatore plus quàm debet. Sed quoniam nullus potest reddere quantùm debet, solus Christus reddidit pro omnibus qui salvantur, plus quàm debent.* P. 104. col. 1. A.

Denique Clemens VI. S. P. in ea Bulla quam dedit anno 1350. ut annus Jubilæus, qui quolibet anno centesimo celebrabatur, ad quinquagesimum reduceretur, quæ extat inter Extravagantes communes L. 5. Decretalium, titulo *de pænitentiis & remissionibus*, incipitque ab his verbis, *Unigenitus Dei Filius*, in ea, inquam, Bulla tria docet S. Pontifex ad rem nostram præsentem maximè pertinentia. Edit. Rom. 1582. p. 351.

I. modicam sanguinis guttam, propter unionem cum Verbo, sufficientem fuisse. *Gutta sanguinis illius modica, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis sufficere potuisset.*

II. *ne supervacua, inanis ac superflua tantæ effusionis* (id est, Christi sanguinis profluvii) *miseratio redderetur, thesaurum infinitum Ecclesiæ militanti acquisivisse; quo qui usi sunt Dei amicitiæ participes sunt effecti.* Ib. n. 60.

III. *de illius thesauri consumptione seu imminutione formidandum non esse, tam propter infinita Christi merita, quàm pro eo quòd quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* Nihil ad Conclusionis nostræ confirmationem disertius proferri potest. Ibid. p. 352.

Eadem, quæ paulò antè, recurrit hic Theologica ratio, quæ omnibus Theologis communis est, petita nimirum ab infinitate personæ operantis & satisfacientis, à qua ejus satisfactio redditur infinita. Quia sicut dignitas personæ offensæ auget gravitatem offensæ, multò magis dignitas satisfacientis auget valorem satisfactionis: multò enim plus est Deum humiliari, quàm hominem adversùs Deum se erigere; & ideo plùs movet ad placandum Deus se humilians, quàm ad irascendum homo adversùs Deum se erigens. Cùm ergo dignitas personæ Christi sit simpliciter infinita, fatendum est ejus satisfactionem habere valorem simpliciter infinitum; & hunc quidem non solùm ad impetrandum, sed etiam ad merendum, & ad satisfaciendum.

Confirmatur: Quia etsi peccatum hominis aliqua ratione infinitum sit, quia lædit Dei majestatem infinitam, attamen infinitum est dumtaxat extrinsecè, objectivè ac secundùm quid, non intrinsecè: è contra verò satisfactio Christi est infinita intrinsecè, propter unionem personalem Verbi divini cum humanitate; ipsa etenim persona satisfaciens intrinseca est, ac speciem dat ipsi satisfactioni. Porrò quod est intrinsecum ac per se infinitum, superat id quod objectivè tantùm & extrinsecè infinitum est: unde quantùm Deus creaturam, tantùm satisfactio hominis Dei superat omnem creaturæ offensam; ac multò major ex satisfactione Christi redundat in Deum honor, quàm ex peccato hominis injuria.

Momenta quæ adversùs doctrinam hanc opponi possunt, mox ad superiorem Conclusionem retulimus & diluimus.

An satisfactio Christi fuerit ex vera justitia.

Non hic quæstio est de justitia commutativa, sed de vindicativa. Est autem

autem justitia vindex, voluntas puniendi delicta propter bonum & honestatem quæ apparet in ipsa correctione & punitione peccati, quæ virtus in Deo propria est ac naturalis. Satisfactionem Christi ex verâ justitia fuisse, negant nonnulli cum Cardinali de Lugo, de Myst. Incarn. Disp. 3. sect. 10. *Dicendum*, inquit, *satisfactionem Christi, licèt fuerit rigorosa quoad equalitatem & condignitatem pretii soluti, non tamen fuisse rigorosam quoad modum solutionis, sed indiguisse aliqua libera gratia Dei*; nempe gratuita Dei acceptatione: poterat quippe Deus, in mente hujus Theologi, satisfactionem Christi non acceptare. Adversùs hanc sententiam sit

CONCLUSIO.

Satisfactio Christi fuit ex vera justitia.

Probatur ex Scripturis, Rom. 3. v. 25. *Quem* (Christus) *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitie suæ.* Et c. 5. v. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem.*

Huc & referenda Scripturæ testimonia quæ suprà laudavimus, agendo de necessitate Incarnationis, ubi ex ratione divinæ justitiæ demonstratum est, Deum de potentia sua ordinaria & virtute justitiæ temperata, non potuisse peccatum omnino impunitum, & sine debita satisfactione dimittere: quo motivo ductus est, ut tam severam & rigorosam de proprio suo Filio vade ac sponsore nostro pœnam repeteret.

Communis ista est SS. Patrum sententia, quorum plura testimonia loco mox indicato retulimus. Sufficiat hìc laudasse

T. 8. p. 938. F. G. S. Augustinum L. 13. de Trinit. c. 13. initio. *Placuit Deo*, inquit, *ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur.* Et L. 3. de lib. arb. c. 10. *Dei unicus Filius*, ait, *diabolum homine indutus.... subjugavit: nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitie.* (T. 1. p. 623. B.)

P. 176. c. 2. S. Leonem Serm. 12. de Passione Domini, non longè ab initio, *Ad dominationem diaboli destruendam*, inquit, *magis usus est justitia rationis, quàm potestate virtutis.*

S. Gregorium Magnum L. 17. Moral. c. 30. aliàs 15. *Fecit*, ait, *pro nobis sacrificium: corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato; quæ* T. 1. p. 552. D. *& humanitate mori, & justitia mundare potuisset.*

Favet & Theologica ratio. Ille quippe ex vera justitia satisfecit, qui omne debitum per nos contractum exactè solvit, honorem Dei ex peccato læsum ad qualitatem restituit. Quid enim est justitia? nisi constans ac perpetua voluntas reddendi unicuique quod suum est. Atqui Christus omne debitum nostrum exactè solvit, pœnas nobis debitas in se transferendo, honorem Dei
Philipp. 2. v. 6. ad æqualitatem restituit, *qui cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.... humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Qua sui exinanitione ac humiliatione, non tantùm ad æqualitatem læsum Dei honorem restituit, sed etiam multò plus reddidit, quàm per peccatum ablatum fuerat, propter infinitam suæ divinæ personæ dignitatem.

Dices

Dices 1. Hominis ad Deum dari non potest actus propriæ ac veræ justitiæ: atqui Christus Dominus satisfecit pro nobis, quatenus homo fuit.

Resp. dist. maj. Hominis puri, esto: hominis Dei, nego. Dist. min. Christus Dominus pro nobis satisfecit, ut homo Deus, concedo; ut homo purus, nego. Jam sæpiùs monuimus, ubi de satisfactione Christi agitur, utramque naturam divinam & humanam non seorsim sumendam esse, sed simul ac conjunctim.

Dices 2. Ex Philosopho Ethnic. 5. c. 6. inter patrem & filium non intercedit actus justitiæ propriè dictæ: atqui Christus filius est Patris æterni; ergo &c.

Resp. dist. maj. Quamdiu filius est sub cura paterna, nec habet bona quædam propria, concedo: si habeat propria bona, & sit, ut ajunt, emancipatus, nego. Porrò Christus habet propria bona, suum nempe corpus cujus dominus est; habet propriam suam humanam voluntatem, *Oblatus* enim *est, quia voluit*. Potuit ergo ex bonis propriis Patri suo satisfacere.

Dices 3. Non potest satisfactio ex vera fieri justitia, nisi peccatum commissum fuerit contra justitiam: atqui dici id non potest; alioqui sequeretur, in uno eodemque peccato v.g. intemperantiæ, duplicem occurrere malitiam seu deformitatem, unam ex parte justitiæ; alteram ex parte temperantiæ, atque ita duplex peccatum foret, quod falsum est & absurdum.

Resp. nego min. Ad ejus probationem, esto duplex sit deformitas, non tamen sequitur duplex esse peccatum. Ratio est, quia omnis & qualibet deformitas speciem non confert actui peccaminoso, sed ea tantùm quæ objecti rationem induit. Ita in adulterio v.g. reperitur & injustitia, cùm uxor alterius usurpatur; & intemperantia, qua acceditur ad non suam: attamen unicum peccatum est.

An satisfactio Christi fuerit ad strictos juris apices.

Pendet hujus quæstionis solutio ex conditionibus quæ ad strictam & rigorosam satisfactionem exiguntur: illæ verò in definitione satisfactionis continentur, quæ ex antè dictis talis est. Satisfactio est redditio voluntaria honoris ac reverentiæ æquivalens, ex propriis & aliàs indebitis, & ad alterum. Sex igitur istæ conditiones requiruntur in satisfactione, ut accurata sit & ad strictos juris apices. Prima, ut sit voluntaria; secunda, ut sit æquivalens; tertia, ut fiat ex bonis propriis; quarta, ut illa bona alio titulo debita non sint; quinta, ut sit ad alterum; sexta, ut in ea nihil gratis remittatur.

CONCLUSIO.

Satisfactio Christi rigorosa fuit ad strictos juris apices.

Probatur: Quia omnes conditiones ad strictam & rigorosam satisfactionem requisitæ, reperiuntur in satisfactione Christi.

I. Est voluntaria. Isaiæ 53. v. 7. *Oblatus est quia voluit*. Et Joan. 10. v. 17. *Ego pono animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.*

II. Est

II. Est æquivalens, imò & superabundans, sicut jam abundè probatum à nobis est.

III. Fuit ex propriis bonis Christi. Patet tùm ex mox citato testimonio Joan. 10. v. 17. tùm quia ea satisfactio fit ex propriis bonis, quæ fit ex bonis speciali Christi dominio subditis: atqui talis fuit satisfactio Christi. Namque spectari potissimùm illa debet ratione valoris & pretii, non autem ratione materiæ seu entitatis: porrò satisfactio Christi spectata ratione valoris & pretii, subest speciali ac singulari ejus dominio. Namque valor ille in eo positus est, quòd satisfactio ipsammet Verbi personam tanquam partem includat, vel quòd persona Verbi valorem & pretium influit in actiones satisfactorias: at utroque modo spectatus valor satisfactionis, subest singulari & absoluto Christi dominio; persona enim Verbi, utpote divina, nemini subjacet, sive ut pars est satisfactionis, sive ut valorem influens in actiones satisfactorias.

IV. Satisfactionem Christi fuisse ex bonis aliàs indebitis, manifestè sequitur ex tertia conditione mox exposita. Illa quippe bona sunt alteri indebita, quæ subsunt singulari & absoluto Christi dominio: atqui tales sunt actiones Christi satisfactoriæ. Deinde, ille ex indebitis satisfecisse censendus est, qui in satisfactione plus obtulit quàm necesse foret ad omnia nostra debita extinguenda: atqui id præstitit Christus; obtulit enim semetipsum: quid verò omni ex parte infinitum magis? debita verò nostra, id est, peccata quæ eluenda susceperat, non erant eodem modo infinita, sicut beneficia quæ humanitati Christi Deus contulit, finita prorsus erant, vel quoad entitatem, v. g. gratia, scientia &c. vel quoad modum, ut communicatio divinitatis.

V. Omnis redditio est ad alterum: satisfactio est redditio; ergo ad alterum. Quo verò sensu Christi satisfactio dici possit esse ad alterum, disputant Theologi. Nonnulli asserunt hoc sensu esse ad alterum, quia refertur ad Patrem, qui suppositum est à Filio distinctum. Verùm obstat, quòd satisfactio ipsi reddi debeat cui illata est injuria, atqui non soli Patri, sed Deo in tribus personis subsistenti per peccatum illata est injuria: ergo Deo exhibenda est satisfactio. Alii ajunt Christum noluisse sibimetipsi satisfacere, sed de jure suo hac in parte cessisse. At si ita est, Christus aliquid gratis remisit ex debito quod contraxeramus, ac consequenter satisfactio ejus stricta, & ad rigorosos juris apices non fuit. Alii denique dicunt, ad satisfactionem ex stricta justitia non requiri distinctionem suppositorum, sed sufficere distinctionem naturarum; atque Christum, in quo duplex natura est distincta, divina scilicet & humana, potuisse ut hominem, sibi satisfacere ut Deo. Ratio est, quòd distincta sunt jura & bona naturæ utriusque; & una, humana nempe, divinæ reddere aliquid potest & debet. Addunt, quòd etsi una sit realiter in Christo persona, duplex nihilominus virtualiter possit admitti; atque hujus virtualis distinctionis beneficio, Christi satisfactionem esse ad alterum: qua ratione eadem virtualis distinctio in Deo efficit, ut Filio divino communicetur Patris natura, non communicata persona.

VI. denique, satisfactio Christi plena fuit, nullamque debiti partem gratis remisit. Quare? quia infinita fuit & superabundans.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Adversùs primam conditionem, nihil est quod hìc opponatur: fatentur quippè omnes, satisfactionem Christi liberrimam fuisse.

Quæ verò spectant æquivalentiam & perfectionem ejusdem, jam paulò antè discussa sunt.

Objicies itaque 1. Illa satisfactio non fuit ex bonis Christi propriis, ejusque singulari & absoluto dominio subjectis, cujus elicitivum principium totum est sub dominio SS. Trinitatis: atqui elicitivum satisfactionis Christi principium totum est sub dominio SS. Trinitatis; principium quippè illud est humana natura, quæ sola subjectionis, humiliationis, doloris & mortis capax est.

Resp. nego min. Principium enim elicitivum *quod*, est persona Verbi; principium verò *quo* humanis Christi actionibus valor & pretium infinitum communicatur, est natura divina: porrò nec persona, nec natura divina subjacet dominio SS. Trinitatis. Ad probationem dist. Natura humana principium seu causa est satisfactionis, physicè & quoad entitatem spectantæ, concedo: moraliter & quoad valorem & pretium, nego. Solutio patet ex jam dictis.

Instabis 1. Ipsamet entitas physica humanarum actionum Christi prorsus necessaria est ad satisfaciendum, sine qua non potuisset Verbum Deo pro nobis satisfacere: sed ista entitas physica subjacet dominio totius SS. Trinitatis; ergo &c.

Resp. dist. maj. Entitas physica humanarum actionum Christi prorsus necessaria est, tanquam conditio præsupposita ut fiat satisfactio, concedo: tanquam forma pretium & valorem influens, nego. Porrò in satisfactione id potissimùm attenditur, unde fluit valor & pretium: valor autem ex persona Verbi ac divina ejus natura profluit, non ab humanitate.

Instabis 2. Satisfactio Christi, etiam quoad valorem spectata, fundatur in unione hypostatica, & quidem infinita: atqui unio hæc beneficium est totius SS. Trinitatis, & quidem infinitum.

Resp. dist. maj. Satisfactio Christi fundatur in unione hypostatica, tanquam in conditione præsupposita, concedo: tanquam in activo principio valoris & pretii, nego. Unio quippè ex se activa non est, sed mera est conditio necessaria ut Verbum humanitati personaliter unitum capax sit satisfactionis Deo offerendæ. Dist. pariter min. Unio hypostatica est beneficium infinitum, ratione termini, hoc est, personæ Verbi cui natura humana conjuncta est, concedo: ratione sui & modi, nego. Finita quippè in se est, quia finito dumtaxat modo divinitas sese cum humana Christi natura communicavit.

Instabis 3. Suammet personalitatem & naturam Filius accipit à Patre per æternam generationem; ergo etiam valor actionis satisfactoriæ qui est à persona Verbi, subest dominio Patris æterni.

Resp. dist. ant. Filius suam & naturam & personalitatem accepit à Patre, necessariò & sine ulla dependentia, concedo: liberè & cum dependentia, nego. Et nego conseq. Pater etenim ex necessaria naturæ suæ inclinatione,

Filium generat sibi coæqualem & consubstantialem, adeoque minimè dependentem; ac consequenter non subditum Patris dominio.

Instabis 4. Quodlibet dominium fundatur in voluntate libera; ergo dominium Christi repeti debet ex libera ipsius voluntate, seu divina, seu humana. Atqui neutra voluntas fuit ipsi propria: non divinæ, quæ una est & eadem in tribus divinis personis: non humana, quia subjacet communi ejusdem Trinitatis dominio; ergo actiones Christi ipsi propriæ non fuerunt.

Resp. dist. maj. Dominium fundatur in voluntate libera quoad usum, & tanquam in conditione quam præsupponit, concedo: quoad jus & tanquam in re à qua oritur, nego. Dominium scilicet est facultas disponendi de re aliqua ad libitum, proindeque libertatem supponit; at verò jus ipsum in alio, quàm liberæ voluntatis, titulo fundatur. Quapropter Christus ratione suæ liberæ voluntatis, dominus quidem fuit ut eliceret, vel non eliceret has vel illas actiones; at postquam determinavit se ad illas eliciendas, non possunt quin illius propriæ sint, quarum valor est ab ipsa persona Verbi: imò, ut non semel observatum fuit, persona Verbi pars est ipsiusmet satisfactionis.

Objicies 2. Christus omnes suas humanas actiones, utpote creatas, Deo debebat multiplici titulo, nempè gratitudinis, religionis, obedientiæ, justitiæ; ergo ejus satisfactio non fuit ex bonis indebitis, nec consequenter ad strictos juris apices.

Resp. dist. ant. Christus omnes suas humanas actiones, utpotè creatas Deo debebat, ratione physicæ entitatis, concedo: ratione pretii & valoris, nego. Pretium enim illud oritur à persona Verbi, quæ nulli subjacet; imò est ipsamet Verbi persona humanitati conjuncta. Deinde verò, quoties debiti alicujus solutio major est debito, seu debitum excedit ac superat, potest ex illa solutione, quamquam alio titulo debita strictè & abundanter quis satisfacere: atqui Christus cùm pro nobis solvit, debitum longè superavit; ergo superabundanter solvit; atque consequenter eadem solutione, quamquam nonnullis aliis titulis debita, strictè ac rigorosè divinæ justitiæ satisfecit.

Instabis; Christus infinitum à Deo beneficium accepit, per unionem hypostaticam infinitam; infinito autem beneficio debetur gratitudo infinita.

Resp. dist. maj. ut paulò antè. Unio hypostatica infinita fuit ratione termini seu Verbi uniti, concedo: ratione sui & modi unionis, nego.

Objicies 3. Illa satisfactio non est ad strictos juris apices, quæ supponit aliquam partem debiti gratis remissam, ac tota fundatur in gratia creditoris: atqui talis est Christi satisfactio. 1. Fundatur in gratia creditoris nempè in infinita benignitate ac misericordia Dei, qui proprium suum Filium dedit; hoc est, fundatur in ipsamet hypostatica unione Verbi cum humanitate, pro qua Christus haud dubiè non satisfecit: non potuit quippè satisfacere, nisi supposita illa sui cum humanitate unione. 2. Supponit aliquam debiti partem gratis remissam, debitum scilicet quod contraxeramus carendi omnibus gratiæ auxiliis, tùm internis, tùm externis; id est, carendi ipsomet redemptore ac servatore, quod debitum gratis relaxavit Deus, cùm Filium suum gratuitò nobis concessit: unde vel ipsamet Christi satisfactio Dei donum est.

Resp. nego min.

Ad

Ad primam ejus probationem, dist. Satisfactio Christi fundatur in gratia creditoris seu Dei; id est, in unione hypostatica, tanquam in conditione præsupposita, concedo: tanquam in causa seu principio valoris ac pretii satisfactionis, nego. Ut Christus posset Deo pro nobis satisfacere, necessaria quidem erat unio hypostatica Verbi cum humanitate, tanquam conditio necessariò præsupposita, non autem tanquam causa & principium valoris satisfactionis: unio quippè ex sese activa non est, ut jam observavimus, sed totus satisfactionis valor est à Verbi persona. Quamobrem licèt liberatio hominis non fiat nisi ex accurata Christi satisfactione, vis tamen ipsa liberandi, seu fundamentum liberationis non est simpliciter à satisfactione seu solutione qua tali, sed à liberalitate & clementia Dei, qui Filium suum pro nobis vadem ac sponsorem gratuitò donavit, ejusque solutionem gratam habuit & acceptam.

Ad secundam: Propriè & accuratè loquendo, non contraximus per peccatum debitum carendi redemptore; sed hoc unum, non posse hominem lapsum à peccato resurgere sine gratia Liberatoris Christi. An verò liberandus sit, vel non liberandus, gratia donandus, vel non, unicè pendet ab arbitrio & voluntate Dei, qui potuit misereri, vel non misereri: at ex parte nostri, nullum ea in re propriè meritum est vel demeritum; sed homo quasi passivè se habet, ut liberatorem habeat, vel non habeat. Addunt nonnulli, debitum carendi redemptore (si verum debitum est) gratis quidem condonatum fuisse respectu nostri, non autem respectu Christi, qui infinito & superabundanti sanguinis pretio, etiam debitum illud totum expunxit.

Quod addunt, satisfactionem Christi esse donum Dei, æquivocum est. Præsuppositivè quidem donum Dei est; qui ex libera & misericordi sua voluntate Filium suum pro nobis dedit; sed non ita Dei donum est, quin satisfactio illa sit in pleno & absoluto dominio Christi, *Oblatus enim est quia voluit*: unde plenè ac strictè satisfecit. Quin ipsamet nuda & simplex assumptio humanæ naturæ fuit in Christo satisfactoria, quando nempè *semetipsum humiliavit*, *formam servi accipiens*. Accedit quòd gratia unionis non cadat in Verbum, sed in humanam naturam: Verbum autem non satisfecit, saltem quoad pretium & valorem, per humanam naturam, sed per divinam, suamque propriam personam, quæ nullius dominio & imperio subjacet.

Instabis 1. Cùm creditor debitori suo dat unde sibi satisfacere possit, non tam stricta censetur esse satisfactio, quàm tacita quædam debiti relaxatio: atqui Deus, qui creditor est, nobis, qui debitores sumus, dedit Filium suum qui pro nobis satisfaceret; ergo non tam, strictè loquendo, vera hæc censenda est satisfactio, quàm debiti relaxatio.

Resp. dist. maj. Non tam censetur satisfactio, quàm gratuita debiti relaxatio, respectu veri debitoris, nempè hominis, cui peccatum gratis remittitur, concedo: respectu sponsoris Christi, à quo plena & stricta reposcitur satisfactio, nego. Concessa minore, dist. pariter conseq. Ergo non tam stricta fuit satisfactio, quàm gratuita debiti remissio, respectu hominis veri debitoris, concedo: respectu Christi sponsoris nostri, nego. Itaque Deus creditor est, homo verò debitor, qui cùm solvendo impar omninò esset,

Deus liberè ac misericorditer Filium suum dedit, qui pari erga nos amore ac benignitate seipsum pro nobis sponsorem obtulit. Inde factum, ut nobis quidem gratis remittatur peccatum, in Christo verò sponsore severissimè puniatur: qua quidem punitione accuratè ac strictè divinæ justitiæ satisfecit, & quidem, ut dictum fuit, ex bonis propriis, quæ nullius dominio & imperio subjacent, ex propria nimirum sua divina persona, ex qua defluit omnis satisfactionis Christi valor & pretium.

Instabis 2. Pactum quod ex parte creditoris necessarium est, imminuit rationem strictæ justitiæ, quia pactum hujuscemodi aliquam supponit gratiam: atqui necesse fuit intercedere pactum inter Patrem divinum & Filium, ut quæ offerenda erat satisfactio, acceptaretur: potuisset etenim Deus exigere, ut is solus satisfaceret, qui reus erat læsæ majestatis divinæ, non sponsor pro eo.

Resp. dist. maj. Pactum intrinsecum, concedo: pactum extrinsecum, nego. Dist. min. Necesse fuit intercedere pactum inter Patrem divinum & Filium, pactum extrinsecum, concedo: intrinsecum, nego. Pactum intrinsecum vocamus, quod supplet defectum seu insufficientiam condignitatis in opere satisfactorio; pactum verò extrinsecum dicimus, quod, supposito pretio condigno in opere satisfactorio, postulat tantùm mutuum contrahentium consensum. Reipsa quidem pactum intrinsecum nocet strictæ justitiæ: at nullum fuit ejusmodi inter Patrem & Filium divinum, quia independenter ab omni conditione & pacto satisfactio Christi pretii ac valoris erat infiniti, & plusquam condigna omni debito nostro extinguendo: unde jam superiùs observavimus, inutilem prorsus & otiosam videri quæstionem, quam movent nonnulli, an scilicet Deus potuerit non acceptare Christi satisfactionem. Namque vel supponitur decretum de incarnando Verbo divino, vel non supponitur: si prius, certissimum est non potuisse Patrem non acceptare Filii sui satisfactionem, quam ipsemet decreverat, decernendo Filii sui incarnationem; si posterius, illusorium videtur quærere, an Pater divinus potuerit non acceptare satisfactionem Filii, quasi contingere posset Filium aliquid velle, quod Pater non velit, cùm una & eadem sit utriusque voluntas ac consensio.

Quod de pacto extrinseco & intrinseco dictum est, hoc ipsum & de gratia Christo concessa dici debet: nimirum gratiam internam, quæ satisfactionis, quasi minùs condignæ, pretium suppleret, tollere strictæ justitiæ rationem; talem verò gratiam in Christo non agnoscimus; gratiam verò externam, v.g. unionis, concursus &c. non imminuere strictam justitiam, quia condignum meritum supponit, non facit.

Objicies denique: Satisfactio Christi non fuit ad alterum; ergo non fuit ad strictos juris apices. Ant. probatur, quia Christus Deo satisfecit: at ipsemet Deus ille est cui debita est satisfactio; ergo sibi, non alteri satisfecit.

Resp. rectè dici posse Christum & sibi tanquam Deo satisfecisse, & simul satisfactionem ejus esse ad alterum: ad hoc quippè, ex dictis inter probandam Conclusionem, non requiritur distinctio suppositorum, sed sufficit distinctio naturarum. Vide loco indicato ad numerum 5.

De

De merito Christi.

Quæstioni de Christi satisfactione affinis est altera de merito ipsius.

Observa 1. meritum generatim nihil aliud esse, quàm operis dignitatem ac valorem in ordine ad præmium. Duplex distinguitur, unum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno est opus bonum cui ex justitia merces & præmium debetur: meritum verò de congruo illud est, cui ex quadam dumtaxat decentia & congruitate præmium debetur.

Observa 2. in actionibus quibus Christus Deo pro nobis satisfecit, distingui debere, entitatem, valorem, satisfactionem, & meritum. Entitas actionis physica est efficienter seu elicitivè ab humana natura; valor à persona Verbi unita cum humanitate; satisfactio est ab homine Deo, solvente quod divinæ justitiæ debebamus; meritum à Christo, cui Deus justam mercedem retribuit.

Observa 3. ad merendum istas conditiones requiri, nempè statum viatoris, sanctitatem in operante, libertatem in opere, & promissionem in remunerante. His præsuppositis,

Quæritur 1. an Christus meritus fuerit.
2. quando.
3. per quos actus.
4. quibus personis.
5. quidnam meritus fuerit.

PRIMA CONCLUSIO.

Christus verè meritus est per eas ipsas actiones per quas Deo pro nobis satisfecit.

Probatur 1. iis omnibus Scripturæ testimoniis quibus hactenus demonstratum est Christum pro nobis satisfecisse.

Probatur 2. Quia nulla ex conditionibus mox recensitis ad merendum Christo defuit.

Non status viatoris qui ad terminum tendit. Lucæ 24. v. 26. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Gloria igitur terminus & præmium fuit, ad quod tendebat Christus dum erat in via, seu dum mortalem vitam degebat. In via scilicet, seu vita præsenti datur tantùm merito locus, non in termino, seu in altera vita: sive id fiat ex sola Dei ordinatione, qua cessante nihil obstaret quominus v.g. & opera Beatorum in Cœlis essent meritoria, & peccata damnatorum in inferno, demeritoria; sive ex ipsamet rei natura ad meritum, quæ postulat ut aliquod spatium temporis figatur, intra quod homo mereri possit, vel demereri: spatium autem illud intra vitæ hujus terminos clauditur; Christus igitur dum fuit in via meruit; extra viam autem, meritorum fructum percipit.

Non sanctitas. Lucæ 1. v. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Non operis dignitas ac præstantia. *Empti estis pretio magno*, primæ Cor. 6. v. 20.

Non libertas in opere. Isaiæ 53. v.7. *Oblatus est quia voluit.*

Non promissio in remunerante. Psal. 2. v. 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Isaiæ 53. v. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

To. 14. Conc. p. 759. Probatur denique auctoritate Concilii Trid. Sess. 6. cap. 7. ubi Christus appellatur nostræ justificationis causa meritoria.

Dices: Christus etiam dum mortalem vitam agebat, sanctus & comprehensor erat, Deo enim intuitivè fruebatur; quomodo igitur tanquam viator, mereri potuit?

Resp. Christum simul & comprehensorem & viatorem fuisse: comprehensor, tanquam essentialiter beatus Deo intuitivè fruens; viator, tanquam nondum adeptus accidentalem nominis gloriam, quam post suam à mortuis suscitationem obtinuit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Christus meritus est à primo conceptionis instanti, usque ad extremum vitæ suæ mortalis spiritum.

Probatur ex Apostolo Hebr. 10. v. 5. *Ingrediens in mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio ... ut faciam, Deus, voluntatem tuam ... in qua voluntate*, pergit Apostolus v. 11. *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Per ingressum autem in mundum, intelligi debet primum illud instans quo persona Verbi in utero Virginis humanitati hypostaticè conjuncta fuit; in hoc enim primo instanti, Filius Dei *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, quæ exinanitio meritoria profectò fuit, cùm Christus vel in ipso primo conceptionis suæ instanti cognitione ac libertate præditus, adeoque & meriti capax fuerit, longè supra communem cæterorum infantium conditionem quantùm ad animam positus: vir quippè erat, id est homo perfectus, juxta istud Jeremiæ 31. v. 22. *Fœmina circumdabit virum.*

Dices 1. Ubi est impetratio, ibi est meritum, ex Aug. Epist. 194. aliàs 105. ubi ait, *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides*
To. 2. p. 718. A. *hanc impetrat.* Atqui Christus etiam redivivus à mortuis, & sedens ad dexteram Patris, pro nobis interpellat cœlestia dona impetrans; ergo etiam in Cœlo pro nobis aliquid meretur.

Resp. dist. maj. Ubi est interpretatio propriè dicta, fundata in merito; concedo: impetratio latè sumpta, nego. S. Augustinus loco citato loquitur de impetratione latè sumpta, non prout est effectus proprius orationis: agit quippè de impetratione, quæ provenit ex actu fidei, non quidem orando, sed merendo, quæ impetratio non differt à merito. Alia verò est impetratio stricta & propria orationis, & hæc sub isto respectu non est meritoria: namque in oratione distinguitur ratio meriti, & ratio impetrationis; & potest quis mereri sibi, & pro alio impetrare. Cùm igitur Christus pro nobis intercedit, ac cœlestia dona impetrat, non de novo meretur, sed meritum in morte sua consummatum Deo offert ac repræsentat, nobisque applicat.

Dices

Dices 2. Christus meritus est per vulnus illud quo ipsius latus post mortem apertum est, siquidem ex eo vulnere nostra Sacramenta eorumque vim & efficaciam fluxisse asserunt SS. Leo Epist. 4. c. 6. Ambrosius L. 10. in Lucam, Aug. Tract. 15. & 120. in Joan. Chrysostomus Hom. 84. in Joan. Ergo Christus etiam post mortem meritus est.

Resp. vulnus illud duplici sensu dici posse fontem Sacramentorum: primò, quatenus objectivè fuit meritorium; hoc est, ut objectum voluntatis bonæ & meritoriæ, qua Christus adhuc vivens acceptavit illud vulnus, & obtulit se ad effundendum totum suum sanguinem pro nobis, qui tamen nondum erat completè effusus ante illud vulnus; secundò, Christus dicitur eo vulnere abluisse nostra peccata, repræsentativè, quatenus illa effusione mirabili sanguinis & aquæ repræsentavit munditiem & redemptionem nostram atque etiam efficaciam Sacramentorum novæ Legis, quæ illa aqua & sanguine figurabantur. Sic etiam Rom. 4. v. 25. Christus traditus esse dicitur propter *delicta nostra*, & resurrexisse *propter justificationem nostram*: non quòd ejus resurrectio causa fuerit meritoria nostræ justificationis, sed quia repræsentabat nostram resurrectionem spiritualem ad vitam gratiæ. Hoc ipso sensu intelligendus S. Thomas ad quæstionem 52. art. 1. ubi dicit, Christum descendisse ad inferos, ut nostram pœnam adæquatè portaret, & nos ab omni pœna eriperet: quibus verbis indicare videtur, Christum per suum ad inferos descensum satisfecisse pro nobis, & nos ab inferno liberasse; sed Angelicus Doctor intelligendus est sensu mox exposito, quòd scilicet descensus ad inferos magis expressè significaret efficaciam suæ Passionis, qua nos ab omni pœna temporali & æterna redemit, saltem quoad sufficientiam.

Dices 3. Christus sedens in Cœlo ad dexteram Patris, quotidie interpellat seu orat pro nobis; ergo meretur. Ant. patet ex Apostolo Rom. 8. v. 34. *Christus Jesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit; qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Et Hebr. 7. v. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Primæ Joan. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum*.

Resp. nego conseq. Ex mox dictis enim, Christus à morte redivivus orando nihil de novo meretur, sed tantùm merita sua Patri æterno pro nobis offert, nobisque applicat in finem salutis æternæ.

TERTIA CONCLUSIO.

Christus meruit per omnes actus amoris & dilectionis Dei, quos ex scientia infusa, non verò per eos quos ex beatifica visione eliciebat. Pariter meruit per actus obedientiæ, humilitatis, Legis observantiæ; uno verbo, per omnes actus virtutum moralium.

Prima pars aperta est: Meruit quippè Christus per actus liberos, bonos, Deo gratos & acceptos: atqui tales erant actus amoris & dilectionis Dei ex scientia infusa; imò ipsa charitas est principium & forma omnis meriti.

Secunda pars non minùs videtur certa. Namque amor ex beatifica visione profluens, liber non est, neque à viatore, sed comprehensore. Unde S.

Thomas hìc articulo tertio ad primum, ait Christum non meruisse per charitatem, in quantùm erat charitas comprehensoris, sed in quantùm erat viatoris: quæ responsio supponit duplicem in Christo fuisse Dei amorem, unum qui visioni beatificæ; alterum, qui scientiæ ejus infusæ responderet, hunc liberum, illum verò necessarium fuisse. Sunt qui nonnisi unum in Christo amorem, eumque beatificum agnoscunt, qui simul & necessarius, & liber est, pro diverso respectu quo tendit in suum objectum. Necessarium dicunt, prout terminatur ad bona Deo essentialia & intrinseca; liberum, prout terminatur ad bona extrinseca, puta gloriam Dei externam & accidentalem.

Tertia pars ex mox dictis sequitur. Actus quippè illi obedientiæ, humilitatis, Legis observantiæ &c. boni erant & liberi: quamquam enim, supposito mandato Patris de subeunda morte, non potuerit Filius non obtemperare; quia tamen mandatum illud, quod conditionatum erat, nempè si vellet Filius, liberè Filius acceptavit, idcircò meritoria fuit ejus obedientia: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Philip. 2. v.8.

QUARTA CONCLUSIO.

Christus sibi meruit gloriam corporis, nominis exaltationem, Gentium cultum & adorationem, Ecclesiæ suæ splendorem, firmitatem, diffusionem &c.

Lucæ 24. v.26. generatim de Christo dicitur, *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*? Philipp. 2. v. 8. & seq. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis. Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*.

Gloriam hanc à Patre postulabat Christus, Joan. 17. v.4. *Ego te glorificavi*, dicebat, *super terram: opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te*.

Neque dicas gloriam corporis, ac nominis exaltationem Christo debitam fuisse titulo unionis hypostaticæ, seu Filii Dei naturalis. Ita quidem: at non statim concessa, sed quasi suspensa illa fuit, ob officium Redemptoris quod implere Christus debebat, nec implere potuisset, nisi doloribus ac ipsi etiam morti fuisset obnoxius. Voluit prætereà Christus, proprii sanguinis pretio mereri quod sibi jure nativitatis debitum erat.

Non tamen propriè Christus meruit gratiam & gloriam, qua statim à primo conceptionis instanti anima ipsius ornata & cumulata fuit. Ratio est, quia quidquid datur naturæ in primo conceptionis instanti, tanquam proprietas connaturaliter debita, & tanquam principium connaturale merendi modo perfectissimo, Christo datum non fuit ex merito; qua ratione nituntur Theologi, ut dicant unionem hypostaticam Christum non meruisse, sed gratis à Deo fuisse concessam: atqui gratia & gloria essentialis animæ Christi, talis fuit. Adde quòd omne opus Christi meri-

torium

torium præsupponebat habitus infusos, tanquam principia connaturalia operationum: omnes enim actus Christi connaturali modo sunt eliciti, quia eliciti sunt modo perfectissimo; ergo præsupponebant gratiam habitualem: unde ista sub Christi meritum cadere non potuit.

QUINTA CONCLUSIO.

Christus ea omnia gratiæ cœlestis dona quæ vel antecedunt vel subsequuntur justificationem, nobis abundè promeritus est.

Ephes. 1. v. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati.* Et v. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus.* Tam hæc apud omnes certa & indubitata sunt, ut fusiori probatione non indigeant.

Quæres 1. an gratia primo parenti, & Angelis in creatione concessa, fuerit ex meritis Christi.

Resp. negativè. 1. Quia decretum Incarnationis posterius fuit & Adami lapsu, (si enim ille non peccasset, Christus non venisset) & Angelorum creatione: quapropter gratia illis in primo ortu concessa fuit ex pura Dei liberalitate, nec usquam Christus Angelorum, sicut hominum Servator dictus fuit, Hebr. 2. v. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

Quæres 2. an Christus ad inferos descendens impios omnes ac infideles liberaverit; an solos Patriarchas, & quotquot in veteri Testamento sancti extitere.

Resp. solos pios & sanctos liberatos fuisse, non alios. Ecclesiastici 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Zachariæ 9. v. 11. & 12. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei.*

QUÆSTIO SEXTA.

De causis efficiente, finali, ac meritoria Incarnationis.

Circa efficientem Incarnationis causam nulla hic movetur quæstio: certum enim est, Incarnationem, quantùm ad efficientiam, prout est opus Dei externum, ejusque concursum postulat, opus esse totius SS. Trinitatis; quantùm verò ad terminationem formalem humanitatis, ejusque personalem assumptionem, esse à sola personalitate Verbi terminante naturam humanam, ejusque personalitatis vices supplente. Itaque de causa dumtaxat finali seu motiva Incarnationis, & de causa ejusdem meritoria hic nobis agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De causa finali seu motiva Incarnationis.

An si Adam non peccasset, Christus non venisset.

PElagiani negarunt Christum in hunc finem venisse, ut homines à labe originali mundaret, quos innocentes nasci affirmabant, contra expressam istam Apostoli sententiam, *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt*, & Christum ipsum dicentem Matth. 9. v. 15. *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Et cap. 18. v. 11. *Venit Filius hominis salvare quod perierat*. Non alium ergo Incarnationis finem illi agnoverunt, quàm ut Christus exemplo suo, doctrina, miraculis homines erudiret, ac promptiores redderet ad vitam æternam capessendam.

Rom. 5. c. 2.

Abælardus, referente S. Bernardo Epist. 190. cap. 5. docuit Christum non venisse ut hominem à captivitate diaboli liberaret. At, inquit ille, *ut nobis videtur, nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit . . . . nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsit*. Verùm apertè reluctatur S. Joan. Epist. 1. c. 3. v. 8. his verbis, *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*.

T. 1. p. 650. D.

De isto Incarnationis fine seu motivo hìc controversia nòn movetur; sed hoc unum inquirimus. Si Adam non peccasset, fuissetne Deus incarnatus? Vix ullum hujusce controversiæ apud veteres rerum Theologicarum Tractatores extat vestigium: Scholæ fœtus est, tempore Scoti & Divi Thomæ exortus. Ubi observa, sensum quæstionis propositæ non esse, utrum in alio rerum ordine, ac virtute alterius decreti, venisset Christus, si Adam aut ejus posteri non peccassent; quis enim id certò scire potest? Quis Dei consiliarius fuit? Quæstio igitur in eo tota est, utrum in præsenti rerum ordine, ac virtute præsentis decreti, redemptio humani generis à peccato ita sit motivum totale & adæquatum Incarnationis, ut si Adam non peccasset, nec homo redimendus foret à peccato, Chistus non venisset. Affirmat S. Thomas, & cum ipso major pars Theologorum. Negat Scotus cum suis in 3. dist. 7. q. 3. ad quem accedunt Alensis 3. p. q. 2. membro 14. Albertus Magnus in 3. dist. 7. Catharinus in Opusculo de eximia prædestinatione Christi, Suares hic disp. 5. sect. 5. & ex nostris Ysambertus. Hi omnes docent, Deum ante res omnes destinasse Filii sui Incarnationem faciendam eo meliori modo quo expediret pro bono Universi, maximè verò humani generis; ac consequenter, etiam Adamo non peccante, venturum Christum, non quidem in carne passibili & tanquam redemptorem, sed in carne impassibili, tanquam ductorem, rectorem ac pastorem hominum: post peccatum verò eumdem venturum in carne passibili, tanquam redemptorem ac mediatorem.

CON-

CONCLUSIO.

Motivum totale & adæquatum Incarnationis Verbi divini, fuit humani generis redemptio: unde si Adam non peccasset, Christus non venisset.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ hoc generatim tanquam præcipuum assignant Incarnationis motivum. Lucæ 19. v. 10. *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat*. Galat. 4. v. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. 1. ad Tim. 1. v. 15. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus; quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. 1. Joan. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Et c. 4. v. 10. *Deus misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*.

Non tantùm redemptionem humani generis præcipuum esse Incarnationis motivum, sed etiam unicum, eædem Scripturæ testantur. Matth. 9. v. 12. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*. Ergo cùm Christus venerit tanquam medicus animarum nostrarum, earum remedium unicus fuit finis seu unicum motivum ipsius adventus. Unde Joan. cap. 10. v. 10. Christus addit, *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*. Denique ibid. 3. v. 17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum*. Hinc S. Paulus Hebr. 2. v. 14. rationem reddens cur Christus carnem assumpserit, sic loquitur: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum*.

Vaticinantur porrò adversæ sententiæ patroni, dum reponunt venisse quidem in præsenti rerum ordine Christum in carne passibili; sed venturum nihilominus in carne impassibili, si non peccasset Adam. Ubi enim in laudatis testimoniis hujusce distinctionis vel leve vestigium?

Probatur 2. ex SS. Patribus tùm Græcis, tùm Latinis.

Ex Græcis.

S. Irenæus L. 5. c. 14. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* P. 310. n. 1.

S. Athanasius Orat. 2. aliàs 3. contra Arianos. *Illi*, inquit, *facto homini antecedit hominum necessitas, sine qua* (Deus) *carnem minimè induisset*. Et postea: *Ipsum autem Verbum nequaquam homo factus esset, nisi causa fuisset hominum necessitas*. T. 1. p. 522. A. Ibid. p. 524. D.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 36. *Quæ*, inquit, *humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extitit? Profectò ut nobis salus pareretur. Quid enim aliud causæ afferri possit?* T. 1. p. 578. B. C.

S. Basilius Homilia adversùs calumniatores S. Trinitatis, aliàs Hom. 29. *Hoc Verbum*, inquit, *Filius Dei, homo factum est lapsum hominem Adamum*. T. 2. p. 611. E.

S. Chrysostomus Homilia 31. in Matth. ad hæc verba, *Non veni vocare*

Edit. Com. mel. p. 297. B. *care justos sed peccatores &c. Adeo procul abest*, inquit, *ne peccatores abominetur, ut eorum causa solùm se advenisse testetur.*

T. 1. p. 165. F. Origenes Hom. 24. in Numeros. *Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari; sed mansisset hoc quod in principio erat Deus Verbum. Verùm quoniam introivit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccato.*

Ex Latinis.

P. 319. A. Tertullianus L. de Carne Christi cap. 14. *Eadem est ergo causa, ut hominem gestaret Christus: salus hominis fuit causa, scilicet ad restituendum quod perierat.*

T. 2. p. 716. B. C. S. Ambrosius L. de Incarnatione cap. 6. *Didicistis igitur*, inquit, *quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur?*

T. 10. p. 21. C. S. Augustinus pluribus in locis. L. 1. de peccat. meritis & remiss. cap. 26. *Quibus apparet*, inquit, *Dominum Jesum Christum non aliam ob causam in carne venisse, ac forma servi accepta factum obedientem usque ad mortem crucis, nisi ut hac dispensatione misericordissimæ gratiæ, omnes, quibus tanquam membris in suo capite constitutis caput est ad capessendum regnum cœlorum, vivificaret, salvos faceret, liberaret.* Et Serm. 174. aliàs 8. de verbis Apost.

T. 5. p. 831. B. ibid. p. 835. C. *Venit Filius hominis quærere & salvare quod perierat. Si homo non perisset, filius hominis non venisset.* Et Serm. 175. aliàs 9. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera; & nulla est causa medicinæ: si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem jacebat ægrotus.*

T. 1. p. 326. c. 2. S. Leo Serm. 3. de Pentecoste. *Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri filius Deus, formam servi & similitudinem carnis peccati assumeret.*

T. 3. pa. 2. p. 179 D. Denique S. Gregorius Magnus Lib. 4. in Libros Regum cap. 1. *Et quidem*, inquit, *nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.*

Ad cumulum accedit hæc publica Ecclesiæ totius in Symbolo Nicæno professio, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est, & homo factus est.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Multa in Scriptura de Christo referuntur, quæ probare videntur ipsum etiam non supposito Adæ peccato, venturum esse.

I. Christus dicitur ante omnes creaturas à Deo intentus & prædestinatus; ergo decretum Incarnationis antecedit decretum creationis hominum & Angelorum; adeoque non sequitur ex prævisione lapsus humani generis in peccatum. Ante-

Antecedens probant.

I. ex c. 8. Proverb. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum:* seu, ut vertunt Septuaginta, *Dominus creavit me:* quem locum de Christo seu Sapientia incarnata intelligendum esse, affirmant multi è SS. Patribus adversùs Arianos, qui eo loco abutebantur, ut probarent Filium Dei meram esse creaturam: quibus reponebant SS. illi Doctores, citata verba interpretanda esse, non de æterna, sed temporali Filii generatione in utero B. Virginis. Ita S. Cyrillus Alexandrinus L. 5. Thesauri n. 4. & 8. S. Augustinus L. 1. de Trinit. c. 12. S. Epiph. hær. 69.

II. Coloss. 1. v. 15. de Christo dicitur, *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive potestates; omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant; & ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Et Rom. 8. v. 29. Christus appellatur *primogenitus in multis fratribus.* Ergo Christus ante omnem creaturam à Deo intentus seu prædestinatus fuit.

III. Christus dicitur finis ad quem omnes creaturæ ordinantur: finis autem prius intenditur. Hebr. 2. v. 10. *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia.* Et 1. Cor. 3. v. 23. *Omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Unde Conc. Trid. Sess. 6. c. 7. ait justificationis nostræ causam finalem esse gloriam Dei & Christi.

IV. Christus est caput hominum & Angelorum, in quos necessariam gratiam influit; ergo cùm, nullo etiam supposito peccato, gratia tùm hominibus tùm Angelis concessa fuisset, ut reipsa concessa fuit, sequitur etiam nullo peccato supposito, Christum venturum fuisse tanquam caput hominum & Angelorum. Ephes. 1. v. 22. *Omnia subjecit sub pedibus ejus; & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Et Coloss. 1. v. 20. *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.*

V. Sublato redemptoris ac liberatoris titulo, adhuc alii multi supersunt propter quos, etiam nullo existente peccato, venisset Christus, nempe ut caput Universi, rector, doctor ac legislator.

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem, nego Christum ante omnem omnino creaturam à Deo intentum ac prædestinatum fuisse. At Christus Proverb. 5. dicitur *initium viarum Domini.* Dist. ratione suæ æternæ generationis, quia *per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* concedo: ratione generationis temporalis & assumptæ humanitatis, iterum dist. est initium viarum redemptionis & reparationis hominum, quia viæ Domini misericordia & veritas, concedo: initium creationis, quasi ante omnem creaturam à Deo prædefinitus sit, ut veniret Adamo non peccante, nego. Laudatus igitur Proverbiorum textus intelligendus est de æterna Verbi divini generatione, non de temporali carnis assumptione: aliàs sequeretur Christum etiam quoad humanitatem suam extitisse ante creatum mundum; eodem enim capite Proverb. v. 25. Sapientia de se ipsa ait, *Ante colles ego parturiebar. ... Quando præparabat cælos aderam: cum eo eram cuncta componens &c.* Reipsa quidem nonnulli ex antiquis SS. Patribus citatum textum interpretati sunt de

Sapien-

Sapientia incarnata, occasione nimirum versionis 70. Interpretum, qui locò *possedit me*, ut legit Vulgata, reddiderunt, *creavit me*, quo verbo abutebantur Ariani, ut Verbum creaturam esse ostenderent: at necesse non erat ut Catholici, ad illud Arianorum argumentum confutandum, dicerent Salomonem de Sapientia in utero Virginis incarnata loqui, non de æterna in sinu Dei; verbum quippe hebræum generatim significat, *producere*, *possidere*, *generare*: unde immeritò per verbum *creare*, redditum fuit, si creationis nomine intelligatur productio rei ex nihilo. Quamquam observat Eusebius L. 3. Ecclesiasticæ Theologiæ cap. 2. mendum irrepsisse in textum 70. Interpretum incuria exscriptoris, qui loco ἔκτισε, vel ἐκτήσατό με, per eta, ac significat, *possedit me*, posuit ἔκτισε, per jota, & significat, *creavit*. Sic ex hebræo emendant S. Hieronymus Epist. 139. S. Basilius Lib. 2. & S. Gregorius Nyssenus L. 1. contra Eunomium, sanctus Epiphanius hæresi 69. num. 25. Quamquam si quis tenaciùs Septuaginta versionem sequi vellet, facile esset reponere, Christum Sapientiam incarnatam esse initium viarum Domini, quantùm ad opus redemptionis humanæ, quia auctor & finis est nostræ redemptionis ac prædestinationis; non verò quantùm ad creationem, quasi extiterit in carne Christus, ut creationi mundi cooperaretur.

Ad secundam, dist. Christus Coloss. 1. dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, ratione divinitatis, concedo: humanitatis, subdist. primogenitus honore ac dignitate, concedo: tempore & ordine, nego. Prima solutio est S. Ambrosii L. 1. de fide cap. 7. *Primogenitus*, inquit, *non primò creatus*; *ut*
T. 2. p. 453. A. *& genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur*. Et S. Augustinus L. 1. de Trinit. cap. 12. *Secundùm formam Dei*, ait, *Primogenitus omnis creatu-*
T. 8. p. 765. C. *ræ, & ipse ante omnes est, & omnia in illo constant*: nempe hoc sensu dicitur primogenitus, quia nemo ante illum genitus. Secunda solutio est S. Hieronymi in caput 1. Epist. ad Coloss. in hæc verba, *Primogenitus omnis crea-*
T. 5. p. 1070. *turæ. Secundùm assumpti hominis formam*, inquit, *non tempore, sed honore*; juxta illud Exodi 4. *Filius meus primogenitus Israel*. Nempe Scriptura solet aut viros merito præcellentes, aut singulari dilectione charos, primogenitos nuncupare. Ita de Davide dicit Deus Psal. 88. v. 28. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ*. Jeremiæ 31. v. 9. *Ephraim primogenitus meus est*.

Ad tertiam, dist. ant. Christus dicitur finis ad quem creaturæ ordinantur, ratione suæ divinitatis, concedo: ratione humanitatis, iterum dist. Est finis creaturarum, supposito peccato, & decreto de homine redimendo, concedo: quia, ut ait Apostolus 1. Cor. 3. v. 23. *Omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei*. Secluso peccato, & decreto de homine redimendo, nego. Locus autem Apostoli ex cap. 2. ad Hebr. in Objectione propositus, non est ad rem præsentem; neque enim verba illa de Christo, sed de Deo Patre intelligenda sunt, sicut expressè docet S. Joan. Chrysostomus in hunc
P. 1781. locum, & series sermonis satis indicat. Et verò per Christum, quatenus homo est, omnia facta esse dici non possunt. Inde patet solutio ad verba citata ex cap. 8. Epist. ad Rom. & ad auctoritatem Concilii Tridentini. Christus enim ut Salvator & Redemptor finis quidem est hominis salvandi, sed non simpliciter creandi; titulus autem Salvatoris supponit peccatum, ac conse-

quen-

quenter Christus post prævisum Adæ peccatum à Deo prædefinitus ac prædestinatus fuit, tametsi ante omnes salvandos intentus fuerit; siquidem in ipso, tanquam in capite, quotquot salvandi sunt eliguntur & prædestinantur.

Ad quartam, dico Christum caput quidem esse tùm hominum, tùm Angelorum; at diversa ratione. Caput est hominum, & ratione gratiæ essentialis, quam ipsis impertitur eos redimendo & salvando, & ratione præcellentiæ & auctoritatis: Angelorum verò caput est, ratione præcellentiæ ac potestatis quam in eos exercet; ratione etiam influxus gratiæ, non quidem essentialis, quam non ex meritis Christi, sed ex una Dei liberalitate habuerunt, sed gratiæ accidentalis, quæ consistit tùm in revelatione multorum mysteriorum, ac præsertim Incarnationis, tùm in gaudio quodam accidentali quo fruuntur illi ex salute nostra per Christum facta. Unde ad primum testimonium ex c. 1. Epist. ad Ephes. dist. Christus est caput supra omnem Ecclesiam hominum, quantùm ad influxum gratiæ essentialis, supposito peccato & decreto reparationis humanæ, concedo: est caput supra Ecclesiam Angelorum, subdist. quantùm ad influxum gratiæ accidentalis, concedo: essentialis, nego: *Nusquam enim Deus Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, ait S. Apostolus Hebr. 2. Ad secundum testimonium ex cap. 1. ad Coloss. dico Christum pacificasse & instaurasse ea quæ in Cœlis & in terris sunt, tùm quia ruinas Angelorum ex hominibus supplevit, tùm quia nos Angelis sanctis reconciliavit, justificans nos à peccato ratione cujus illis infensi eramus, & illi nobis.

Ad quintam, dico alios omnes Christi titulos, doctoris, legislatoris &c. subordinatos esse præcipuo titulo redemptoris, quo sublato, cæteri necessarii non fuissent; per mortem quippe suam Christus omnia consummavit. Cùm ergo diximus motivum Incarnationis totale & adæquatum fuisse liberationem hominis à peccato, alia motiva in hoc præsenti statu exclusa noluimus; sed tantùm ea præcipuo motivo subordinata fuisse.

Objicies 2. nonnullos ex SS. Patribus qui Scoti sententiam præoccupasse videntur.

Tertullianus L. de resurrect. carnis c. 6. *Quodcunque*, inquit, *limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus*. Ergo Christus ante res omnes fuit prædefinitus. P. 328. D.

S. Hieronymus in caput 1. Epist. ad Ephes. *Cruce Christi*, ait, *non tantùm ea quæ in terris, sed etiam ea quæ in cœlis sunt, purgasse perhibetur*. T. 4. p. 1. p. 330.

S. Augustinus L. 1. de nupt. & conc. cap. 21. docet futurum ut matrimonium, etiam quatenus Sacramentum est in Christo & in Ecclesia, locum habuisset in statu naturæ innocentis; ergo etiam secluso peccato, gratia per Christum data fuisset, adeoque venisset Christus in carne. T. 10. p. 292. D.

S. Fulgentius L. 2. ad Trasim. c. 3. *Non alia*, inquit, *stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata: in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet: in illo, ne vulneraretur: in isto, ut sanaretur*. P. 90.

S. Bernardus Serm. 22. in Cant. *Qui erexit*, ait, *hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens. Et hac ratione fuit utrique redemptio, solvens illum, & servans istum*. T. 1. p. 1336. B.

Deni-

Denique Rupertus Abbas Tuitiensis in Libris de gloria & honore filii hominis, expresse nostram impugnat sententiam; sicut & Jacobus Naclantus Episcopus Clugiensis in ditione Venetorum, qui Conc. Trid. interfuit, scribens in caput 1. Epist. ad Ephesios, ubi totus est ut ostendat Christum ante omnem creaturam prædestinatum fuisse.

Resp. nego antecedens.

Ad Tertullianum: Loquitur ille in præsenti hypothesi, lapsus nempe hominis, quem cùm Deus prævidisset, atque in ejus remedium Christum destinaret, bellè dixit Tertullianus, *Quodcunque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus.*

Ad S. Hieronymum: non ex sua, sed ex Origenis sententia loquitur. Hic verò existimabat Angelos non tantùm ex meritis Christi gratiam in ortu suo percepisse, sed etiam à damnatione, quam eorum nonnulli peccando incurrerant, aliquando liberandos esse.

Ad S. Augustinum, nego ant. Matrimonium quidem Adæ in statu innocentiæ fuit signum conjunctionis futuræ Christi cum Ecclesia, quia reipsa Christus jam tum destinatus erat venturus: at inde non sequitur, quòd si status ille innocentiæ perseverasset, matrimonium fuisset signum illius conjunctionis; quæ, Adamo non peccante, futura non fuisset.

Ad S. Fulgentium, mens ejus hæc est, gratiam quidem tùm Angelis, tùm hominibus, pro assequenda salute necessariam omnino fuisse; at non eodem modó, nec eodem auctore. Gratia necessaria fuit Angelis bonis, ut firmi ac constantes starent in bono; at non ex meritis Christi, sed ex pura Dei liberalitate collata illis fuit: è contra gratia homini lapso data, per quam à peccato liber factus, & æternæ salutis particeps, fuit ex meritis Christi: utrobique eadem est gratiæ necessitas quoad substantiam; non eadem quoad modum, & ejus auctorem.

T. 1. p. 888. B. Ad S. Bernardum, eadem est solutio. In Sermone feriæ 4. majoris hebdomadæ sic loquitur sanctus ille Doctor de Passione Christi: *Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Numquid Angelo? Sed ille non eguit. Numquid diabolo? Sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem Angelorum.... sed in similitudinem hominum factus est.*

Ad Rupertum & Naclantum, fatemur eos hìc nobis adversari: at eorum auctoritas præponderare non debet tot gravissimis momentis, quibus Conclusio nostra nititur. Adde quòd non satis sibi cohæreat Rupertus, qui L. 2. de operibus Spiritus sancti c. 6. Christum alloquens, hæc habet: *Multum nobis debes homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es: Nam nisi fuissemus peccatores, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset.... nisi peccassent servi, nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura servilis.* (Edit. Mogunt. 1631. T. 1. p. 612. col. 2.)

Objicies 3. ex S. Thoma 2. 2. q. 2. art. 7. Adamus innocens fidem habuit Incarnationis Christi: *non tamen sui peccati præscius fuit*, ait S. Augustinus L. 11. de Gen. ad litt. cap. 18. Ergo Deus incarnandus erat, etiam Adamo non peccante. (T. 3. p. 1. p. 183. D.)

Resp. agnovisse quidem Adamum futuram Verbi divini Incarnationem, sed causam ipsius, seu finem ignorasse. An non multa Prophetæ prædixerunt, quorum causas & rationes ignorarunt?

Objicies 4. Cyrillus Alexandrinus Thesauri Assert. 15. ait, antiquiorem in no-

in nobis fuisse benedictionem, quàm maledictionem; antiquiorem promissionem ad vitam, quàm condemnationem in mortem; antiquiorem adoptionem in libertatem, quàm diabolicam servitutem. Ergo, in mente S. hujus Doctoris, priùs destinatus est Christus venturus, quàm prævisum sit futurum Adæ peccatum. Unde sic arguunt: Ex S. Cyrillo, benedictio prior est maledictione: atqui Christus, ut homo futurus, est humani generis benedictio, peccatum verò Adami est ipsius maledictionis causa; ergo Christus ut homo futurus prior est Adami lapsu, nec ab eo pendet.

Resp. dist. maj. Benedictio prævisa prior est maledictione actuali & in tempore existente, concedo: maledictione prævisa, nego. Equidem benedictio prævisa & ab æterno destinata, prior est maledictione actuali & in tempore existente, non autem maledictione ab æterno prævisa; siquidem, in mente ac doctrina S. Cyrilli, priùs cognovit Deus Adami lapsum, quàm Christum tanquam ejus reparatorem destinaverit: morbi etenim cognitio præcedere debet remedii destinationem ac præparationem: non quidem prioritate temporis in Deo, sed prioritate ordinis, ac pro nostro intelligendi modo. Hanc esse S. Doctoris mentem demonstrant hæc ipsius verba. *Ante sæcula*, inquit, *fundavit Deus Filium suum, quantùm ad suam prænotionem attinet, ut nos super eum ædificati, resurgamus in incorruptionem...sciebat enim nos per peccatum morituros.... Cùm autem quæ ex re nostra erant, etiam ab æterno præcogitaverit omnium nostrum conditor & creator, prævidit atque præfinivit etiam eum, qui propter nos & pro nobis homo futurus esset, hoc est, Verbum suum, ut initium viarum & fundamentum reperiatur instauratæ in ipso humanæ naturæ in incorruptionem.* Ergo in mente S. Cyrilli, prænotio lapsus prior fuit prænotione Christi liberatoris, & hæc ab altera quasi à fundamento pendet ac suspensa est; ac tantùm abest ut laudatus S. Cyrilli textus sententiæ nostræ adversetur, quin magis favet. T. 5. P. 1. p. 174. E.

Objicies denique: Deus utpote summè ac infinitè bonus, etiam nullo præsupposito peccato, sese modo perfectissimo ad extra communicasset: sed modus ille perfectissimus in alio reperiri non potest, quàm in unione hypostatica naturæ divinæ cum humana.

Deinde, nonne divinæ Christi excellentiæ quodammodo derogare est, asserere eum occasione alterius, non ratione sui præcisè, nec ante omnia prædefinitum à Deo fuisse?

Resp. dist. maj. Deus modo perfectissimo ex parte sui sese communicasset, concedo: modo perfectissimo ex parte termini, subdist. appositè ad finem quem Deus sibi præfixit, concedo: modo perfectissimo absolutè, nego: neque enim Deus semper id operatur, quod absolutè in se perfectius nobis videtur; aliàs naturam Angelicam assumpsisset, sicut humanam assumpsit. Vide quæ diximus initio hujus Tractatus, ubi de necessitate Incarnationis.

Quod additur, nullius planè momenti est. An, quæso, dignitati ac præstantiæ peritissimi medici quidquam detrahitur, cùm occasione morbi vocatus venit, ut remedium ferat?

Quærunt hic aliqui, an Christus principaliùs venerit propter originale, quàm propter actualia peccata; & an solo supposito originali, vel solis actualibus peccatis suppositis, venisset Christus?

 Verùm

Verùm ab his inutilibus & otiosis quæstionibus, de quibus nihil habet
1.Joan. Scriptura vel Traditio, prorsus abstinendum judicamus. Viro Theologo satis
1.v.7. est, nosse venisse Christum ut peccata nostra sanguine suo expiaret: *Sanguis*
Joan.1. *Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et Joannes Baptista in
v.29. deserto dicebat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De causa meritoria Incarnationis.

Quid sit meritum & quotuplex, paulò antè exposuimus, ubi de merito Christi.

Præsens autem controversia intelligi potest

I. de substantia, aut de circumstantiis dumtaxat Incarnationis, quarum nonnullæ per se ac necessariò requiruntur, v. g. nasci ex muliere, ex aliqua gente &c. aliæ verò necessariò non requiruntur, v. g. nasci hoc vel illo tempore, ex hac vel illa gente vel familia.

II. Spectatur in Christo, vel humanitas pro illo priori instanti naturæ ad unionem; vel ipse Christus constans ex utraque natura.

III. Opera Christi meritoria considerantur, vel prout antecedunt, vel prout sequuntur unionem, ac quæritur, Christus meruitne suam Incarnationem per opera sive antecedentia, sive consequentia suam unionem?

IV. Spectari præsens quæstio potest, vel de facto, vel de possibili: nempe, Meruitne Christus suam unionem hypostaticam cum humanitate; aut si non meruit, potuitne fieri ut mereretur?

V. denique, non tantùm de Christo hìc quæstio est, sed de veteribus Patriarchis, & de ipsa B. Virgine, an meruerint Incarnationem Verbi.

Communis sententia est, Christum reipsa non meruisse suam cum humanitate unionem: attamen potuisse illam absolutè mereri, aliqui arbitrantur; alii verò negant. At jam monuimus satis otii nobis non esse, ut in hujuscemodi otiosis quæstionibus de possibili immoremur. Itaque sit

CONCLUSIO.

Nec humanitas Christi in priori naturæ instanti ad unionem, nec Christus ipse hypostaticam unionem meruit.

Probatur utraque pars communi argumento ex Scripturis: nempe, Quod divinæ clementiæ ac liberalitati unicè tribuitur, non est meriti præmium: atqui Incarnatio in Scripturis unicè tribuitur divinæ clementiæ ac liberalitati. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Ad Titum 3. v. 4. *Benignitas & humanitas apparuit salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.*

Suffragatur S. Augustinus L. de prædest. Sanctorum cap. 15. *Est*, inquit,
T.10.p. *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Salvator, ipse Media-*
809.F. *tor Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem*
suis

suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur, quæso. Ille homo, ut à Verbo, Patri coæterno, in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecunque præcessit? Quid egit antè, qui credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Idem docet L. de Corrept. & Gr. cap. 11. Idem & cap. 39. Enchiridii. *Hic*, inquit, (id est in Mysterio Incarnationis) *granditer & evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo?* *Ibid. p. 766. F. T. 6. p. 210. D.*

Accedit & manifesta ratio.

Primò quidem, humanitatem pro priori naturæ ad unionem non meruisse, manifestum est. Namque pro illo priori non agit nec agere potest, in quo nondum concipitur singularis & ultimò completa per subsistentiam: natura etenim abstracta non agit, sed natura singularis seu concreta, unde vulgatum Scholæ axioma, *Actiones sunt suppositorum*. Atqui pro illo priori naturæ ad unionem humanitas singularis non est, nec ultimò completa per subsistentiam.

Neque dicas 1. naturam pro illo priori ad suam subsistentiam suas effundere proprietates, ac consequenter agere. 2. naturam vim agendi à subsistentia non mutuari: hæc enim in actionem non influit, seu non est activa, sed merus naturæ terminus. Namque 1. natura proprietates suas non modo physico, sed metaphysico dumtaxat, &, ut ajunt, per simplicem emanationem effundit; hic verò loquimur de veris ac physicis actionibus. 2. Etsi personalitas non sit ipsa vis agendi, seu, ut dicitur, principium *quo*, est tamen principium *quod*, & conditio planè necessaria ad agendum.

Secundò, Christum per opera unionem subsequentia non meruisse apertè constat. 1. Quia, ut ait S. Thomas, principium omnis meriti non cadit sub meritum, aliàs, idem esset meritum & præmium, causa & effectus; adeoque idem seipso prius & posterius: atqui unio hypostatica in Christo est principium & radix omnis meriti. 2. Quod supponit aliquid jam existens, non est causa meritoria ut existat: atqui actus meritorius unionis hypostaticæ, illam jam supponeret. Ut enim actus aliquis sit meritorius unionis hypostaticæ, debet esse infiniti valoris: atqui valor ille infinitus non habetur nisi ex hypostatica unione: ergo illam supponeret.

Dices: Apocal. 5. v. 12. de Christo dicitur, *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem*. Et Psal. 44. v. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Unctio verò illa procul dubio est ipsamet unio divinitatis cum humanitate.

Resp. ad primum, divinitatem eò loci usurpari pro manifestatione divinitatis; hoc est, pro gloria externa quæ ex cultu & adoratione hominum in Deum resultat, de qua dicit S. Paulus Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum.... propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omnem nomen*. Ad secundum, sensus est, Christum unctum fuisse gratia & divinitate ut diligeret justitiam; ita ut dilectio justitiæ sit finis unctionis, non

ipsius causa meritoria. Particula ergo *propterea*, ibi idem significat, ac *in hunc finem, ad hoc*; nec præteritum tempus spectat, sed futurum.

Utrum Patriarchæ, cæterique veteris Testamenti patres meruerint, aut mereri potuerint substantiam Incarnationis, vel aliquas dumtaxat ejus circumstantias.

PRIMA CONCLUSIO.

Patriarchæ, cæterique veteris Testamenti patres non meruerunt, nec mereri potuerunt de condigno substantiam Incarnationis.

Prima pars probatur iisdem planè argumentis, quibus mox probatum fuit nequidem Christum suam hypostaticam unionem meruisse. Omne scilicet meritum humanum ex Christo vim & efficaciam trahit: quomodo igitur Veteres illi substantiam Incarnationis meruissent?

Secunda pars etiam probatur: Quia quodcunque meritum puræ creaturæ ex quacunque gratia supernaturali elicitum, condignum non est, seu non satis proportionatum cum unione hypostatica; hæc enim infiniti pretii ac valoris est, omne autem meritum humanum est finitum.

SECUNDA CONCLUSIO.

Patriarchæ, cæterique veteris Testamenti patres, de congruo saltem aliquas Incarnationis circumstantias meruerunt.

Ita Abraham sua prompta obedientia hanc gratiam meruit, ut ex semine suo Messias nasceretur. Gen. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*. Ita David Psal. 131. v. 11. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Ita Daniel suis desideriis ac votis meruit contrahi tempus adventus Messiæ: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt*, ait Angelus c. 9. v. 24. *super populum tuum*. Meritum porrò illud de congruo dumtaxat fuit, non de condigno; quia nullum Deum inter & homines pactum intercessit.

An beata Virgo meruerit esse matrem Dei.

PRIMA CONCLUSIO.

Beata Virgo de condigno meruit illum gratiæ ac sanctitatis gradum, quo posito electa est in matrem Dei.

Probatur ex SS. Patribus: Hieronymo Ep. 22. Ambrosio L. de Virginitate, Basilio in Hom. de natali Christi, Augustino, Serm. 11. de natali Christi, Epiphanio hæresi 78. Bernardo Serm. 4. de Assumptione. Ecclesia ipsa publicis in precibus declarat beatam Virginem meruisse ut dignum filii Dei habitaculum fieret.

Ratio est, quia conditiones ad meritum de condigno hìc omnes concurrunt: sanctitas in operante, in opere dignitas & libertas; in remunerante promissio.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

Beata Virgo non meruit de condigno, ut fieret mater Dei.

Probatur ex antè dictis: Tùm quia licèt opera B. Virginis præstantissima fuerint, & excellentiæ singularis, non tamen pretii ac valoris simpliciter infiniti; ac consequenter non ejusdem ordinis cum unione hypostatica: tùm quia nulla Dei promissio intercesserat, nec ad dignitatem illam aspirabat humillima Virgo, quæ, Angelo tantum beneficium annuntiante, turbata fuit.

TERTIA CONCLUSIO.

Si meritum de congruo strictè & accuratè sumatur, beata Virgo suam maternitatem non meruit.

Ratio est, quia meritum de congruo strictè & accuratè sumptum illud dicitur, quod vel ex se suaque propria & interna bonitate, vel saltem ex intentione agentis, ad aliquod bonum obtinendum refertur: atqui tale non fuit beatæ Virginis meritum respectu maternitatis Dei: tùm quia B. Virginis opera seu pietatis actus per quos meruit, ejusdem erant cum nostris speciei seu ordinis; atqui tamen nostra pietatis opera, cujuscunque illa sint, ad Dei maternitatem promerendam non referuntur: tùm quia id repugnasset humilitati beatæ Virginis, quæ, ut mox observavimus, turbata fuit cùm ipsi Angelus denuntiavit eam destinatam esse ut esset mater Dei, Lucæ c. 1.

QUARTA CONCLUSIO.

Si meritum de congruo latiori sensu accipiatur, pro eo scilicet quod habet quamdam coaptationem ad bonum ad quod ordinatur, dici non immeritò potest, B. Virginem de congruo suam meruisse maternitatem.

Ratio est, quia hoc sensu mereri, nihil aliud est, quàm ad eum gratiæ ac sanctitatis gradum pervenire, quo posito B. Virgo in matrem Dei eligatur: atque ex dictis Conclusione prima, B. Virgo ad eum gratiæ ac sanctitatis gradum evecta est, quo posito in Dei matrem electa fuit. Lucæ 1. *Invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies & paries filium.*

Dices 1. Antiqui Patriarchæ, cæterique patres veteris Testamenti, de congruo aliquas Incarnationis circumstantias meruerunt: quidni ergo & B. Virgo, cujus longè superius ac excellentius fuit meritum?

Resp. dist. ant. meruerunt de congruo propriè, vel impropriè sumpto, concedo: propriè, subdist. quando preces suas, desideria & vota ad tales circumstantias referebant, concedo: quando non referebant, nego. Dist. conseq. Ergo B. Virgo de congruo suam maternitatem promeruit, improprio, ac latiori sensu mox exposito, concedo: proprio ac stricto, nego: quia B. Virginis pietatis actus seu opera, neque ex se, neque speciali ipsius directione ad illam maternitatem dirigebantur.

Dices 2. SS. Patres paulò antè designati, asserunt B. Virginem suis bonis operibus dignam fuisse quæ mater Dei evaderet.

Resp. dignam fuisse quæ mater Dei evaderet, dist. id est meruisse eum sanctitatis gradum, quo supposito congruè in matrem Dei electa fuit, concedo: id est, actiones B. Virginis vel ex se propriaque sua natura, vel ex speciali ejus directione ac intentione, ordinatas fuisse ad hoc ut mater Dei fieret, nego.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De quidditate seu natura Incarnationis, id est, unione duarum naturarum, divinæ & humanæ, in una Verbi persona.

INcarnationis quidditas seu natura duobus potissimùm articulis continetur, duplici natura, & una in Christo Domino persona. Nitidè totum istud mysterium exponit Symbolum, quod Athanasianum dicitur. *Est ergo fides recta*, inquit, *ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius, Deus & homo est: Deus est ex substantia Patris, ante sæcula genitus; & homo est ex substantia matris, in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundùm divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem, Qui licèt Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.*

Summa igitur mysterii nostri, est unio hypostatica seu personalis naturæ divinæ & humanæ in una Verbi persona.

Circa istam unionem hæc sunt à nobis inquirenda & discutienda: ejus veritas, essentia, & proprietates.

ARTICULUS PRIMUS.

De veritate unionis hypostaticæ naturæ divinæ ac humanæ in una Christi persona.

Prænotanda.

OBservandum 1. unionem generatim esse nexum extremorum, quæ in eo unum sunt, in quo uniuntur.

Observandum 2. quæstionem hìc non esse de unione physica & essentiali duarum rerum seu partium, ad unam tertiam quamdam naturam totalem constituendam, qualis est unio corporis & animæ ad constituendum hominem.

Non de unione morali, relativa & affectus, quæ in animorum concordia & consensione posita est, qualis est unio inter amicos.

Non de unione per meram assistentiam, qualis occurrit in Angelis, quando corpora assumunt.

Non de unione quoad efficaciam & sustentationem generalem, per quam omnia in Deo sunt, & ab eo pendent, *in quo vivimus, movemur & sumus.* *Act. 17. v. 28.*

Non

Non de unione mystica seu morali gratiæ, qualis est unio Fidelium cum Christo.

Non de unione per solam præsentiam & assistentiam singularem qualis est unio Christi cum Sanctis, & Dei in templo.

Non de unione essentiali personarum SS. Trinitatis in una numerica essentia.

Quæstio igitur est de unione hypostatica seu personali utriusque naturæ, divinæ & humanæ, in una Verbi persona.

Observandum 3. nos in præsenti Quæstione promiscuè usurpare voces *subsistentiæ*, *hypostasis*, *suppositi*, & *personæ*, quibus idem significatur, nempe una singularis & individua substantia, quæ dicitur subsistentia, quatenus per se, & non in alio subsistit; hypostasis, quatenus est individua substantia; suppositum, prout subsistit seu supponitur vel naturæ universali, vel accidentibus; persona denique dicitur, quatenus est individua naturæ rationalis substantia. Sic personam definiit Boetius: unde personæ nomen nihil addit supra suppositum, præter naturæ rationalis dignitatem.

Observandum 4. disputatum quidem olim fuisse, de significatione vocis *hypostasis* ac *naturæ*, an idem foret vocis utriusque sensus: at tandem usus invaluit, ut suppositum pro persona, & *ὀσία* seu essentia, pro natura sumeretur.

Observandum denique, duas hic extremè oppositas hæreses debellandas esse, Nestorianam, & Eutychianam. Prior, ut duas distinctas in Christo naturas agnoscit, ita & duas personas, duos Christos, & moralem seu accidentalem dumtaxat inter utramque naturam unionem: altera, unam post unionem naturam, sicut unam personam. De hac utraque hæresi diximus initio hujus Tractatus: consule quæ dicta sunt.

Confutatur Nestoriana hæresis.

CONCLUSIO.

Una est in Christo persona: unus est Christus: Beata Virgo verè Deipara seu Dei genitrix est ac dicitur.

Veritas hujus Conclusionis dogma continet in Religione Christiana fundamentale, quod ex Scripturis, Conciliis, SS. Patribus, ac Theologicis rationibus demonstramus.

PRIMUM MOMENTUM.

Ex Scripturis.

Triplex, & quidem invictum Scripturæ nobis argumentum suppeditant.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Filius Dei homo factus.

Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum est*: non quidem *conversione divinitatis in* *carnem*, Symb. S. Athan.

carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; nempe per unionem veram & hypostaticam. Quomodo Sociniani textum hunc S. Joannis pervertant, exposuimus agendo de Trinitate, ubi de consubstantialitate Verbi divini.

Philipp. 2. v. 6. *Qui cùm in forma Dei esset..... humiliavit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Revera enim, uno excepto peccato, per omnia nobis similis factus est Christus.

Galat. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Quibus in locis verbum, *factum*, vel *factus est*, veram, physicam ac personalem unionem utriusque naturæ in Christo manifestè demonstrat, non moralem dumtaxat & affectus, qualis est inter amicos, aut Deum inter & Sanctos. Quamtumlibet enim arcta & intima sit unio moralis duorum amicorum, nusquam unus alter factus dicitur: pariter nusquam de aliquo viro sancto dictum est aut dici potuit, Deus factus est, formam Dei accepit.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Una & eadem Christi persona simul homo & Deus est.

Istud evincunt loca mox citata. Unum quippe & idem Verbum dicitur *caro factum*: unus & idem Christus dicitur *in forma Dei, & in forma servi*: unus & idem *filius Dei factus ex muliere*: unus & idem *manifestatus in carne*. Si unus, ergo non duæ sunt, sed una in Christo persona; duæ verò distinctæ naturæ, divina scilicet & humana, ex quarum intima & personali in Christo conjunctione, fit ut naturæ utriusque proprietates uni Christo tribuantur.

I. naturæ humanæ, *Factus ex muliere*, Galat. 4. *Formam servi accipiens*, Philipp. 2. *Parvulus nobis natus*, Isaiæ 9. v. 6. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, Rom. 9. v. 5. *Qui Ecclesiam sanguine suo acquisivit*, Act. 20. v. 28.

II. Quæ propria sunt divinitatis, sibi Christus attribuit. Joan. 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Et cap. 10. v. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Et cap. 16. v. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Et cap. 3. v. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Et Ephes. 4. v. 10. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos ut impleret omnia.* Denique Joan. 20. v. 28. cùm Thomas Apostolus Christum à mortuis excitatum attrectasset, ac suam de ipso fidem aperire vellet, exclamavit, *Dominus meus & Deus meus!* In his omnibus locis mutua fit ac reciproca proprietatum utriusque naturæ in uno Christo societas & communicatio: certius profectò ac evidentius haberi non potest, tùm unius personæ, tùm duarum distinctarum in Christo naturarum, argumentum.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Beata Virgo Deipara, seu mater Dei.

Matth. 1. v. 23. Isaiæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*

Lucæ

Lucæ 1. v.35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*
Galat. 4. v.4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere.*
Rom. 1. v.2.& 3. *Quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.*

His in locis unus & idem & Filius Dei est, & filius hominis; ergo beata Virgo, quæ Dei filium genuit, verè Dei mater est ac dicitur: non quidem hoc sensu, quòd vel divinitatem ipsam, vel Deum nudum genuerit, nihil insulsius cogitari aut dici posset; sed quòd eum genuit, qui simul & Deus & homo est, propter intimam & hypostaticam unionem utriusque naturæ, divinæ & humanæ, in unam Christi personam.

SECUNDUM MOMENTUM.

Ex Conciliis & publicis fidei professionibus.

I. In Symbolo Apostolico legimus, *Credo....& in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Prioribus verbis æterna Filii à Patre generatio; posterioribus verò temporalis ejusdem de Spiritu sancto ex Maria Virgine nativitas declaratur: *Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

II. Nicænum Concilium generale primum an.325. in Symbolo fidei postquam declaravit Christum esse *Deum de Deo, lumen de lumine, Patri consubstantialem*, statim addit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Idem ergo Christi suppositum, seu eadem persona, & Filius Dei est, & filius Mariæ; ergo una est in Christo persona duplici constans natura.

III. Idem omninò statuit Concilium Constantinopolitanum, quod est secundum generale, in Symbolo.

IV. Concilium Ephesinum an.431. ex professo dogma nostrum Catholicum adversùs Nestorium definivit, & Anathematismos S. Cyrilli probavit, quorum primus est, *Si quis non confitetur, Emmanuelem verè Deum esse, & ob id sanctam Virginem Deiparam, (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundùm carnem) anathema sit.* Secundus sic habet: *Si quis non confitetur, Dei Patris Verbum carni secundùm hypostasim unitum, unumque .... esse Christum, eumdem nimirum Deum simul & hominem, anathema sit.* Tertius iste est: *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque dumtaxat conjunctione easdem inter se nectit, quæ est secundùm dignitatem, hoc est, auctoritatem vel potestatem, & non ea potius quæ est secundùm naturalem unionem, anathema sit.* Lege alios ejusdem S. Doctoris Anathematismos eorumque explanationem parte 3. Conc. Ephesini c.1. Tom.3. Conc. pag. 812. & seq. Tom.3. Conc. p. 408.D.

V. Concilium Chalcedonense an.451. in professione fidei, *Confitemur*, ajunt Patres, *unum eumdemque Christum Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inseparabiliter, inconfusè, indivisè, immutabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam.* Tom.4. Conc. p. 568. B.

tiam concurrente. Nihil expressius, significantius nihil proferri potest.

VI. Denique, Concilium Constantinopolitanum II. quod est V. generale an. 553. omnem elabendi viam Hæreticis præcludit, Collat. 8. anathematismo 4. *Si quis dicit, secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm honoris æqualitatem, vel secundùm auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem..... & non secundùm compositionem, sive secundùm subsistentiam, unitionem Verbi ad carnem factam esse, anathema sit*. Et infrà.... *Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur, quod est secundùm subsistentiam*.

Tom. 5. Conc. p. 570. C.

TERTIUM MOMENTUM

Ex SS. Patribus.

Multa tùm ex Scripturis, tùm ex antiquioribus Ecclesiæ Scriptoribus adversùs Nestorium testimonia collegit S. Cyrillus, parte 1. Concilii Ephesini cap. 4. & Actione 1. Concilii, quæ omnia hic referre non vacat, quòd operæ foret prolixioris. Ad tres dumtaxat ordines eorum testimonia revocamus.

Tom. 3. Conc. p. 115. & seq. & pa. 508. & seq.

I. Ad eos qui unionem substantialem, seu secundùm hypostasim, agnoscunt inter divinam & humanam in Christo naturam.

II. Ad eos qui unam in Christo personam, non duas, unum Christum non duos profitentur.

III. Ad eos qui beatam Virginem Deiparam, seu Dei genitricem declarant.

I.

SS. Patres substantialem seu hypostaticam agnoscunt in Christo naturæ utriusque unionem.

Nihil eam in rem disertius proferri potest, quàm quod ex Patribus V. Concilii mox relatum fuit: disertè quippè illi excludunt à Christo omnes unionis species, seu modos qui non sunt secundùm substantiam seu hypostasim.

Sanctus Ignatius Martyr Epistola ad Ephesios n. 18. *Deus noster Jesus Christus*, ait, *in utero gestatus est à Maria, juxta dispensationem Dei, ex semine Davidis, Spiritu autem sancto. Qui natus est; & baptisatus est, ut passione aquam purificaret*. Et n. 20. *Singuli communiter omnes, ex gratia, nominatim convenitis in una fide, & uno Jesu Christo, secundùm carnem ex genere Davidis, filio hominis, & Filio Dei*. Hæc testimonia laudantur à Theodoreto Dial. 1. Jesus Christus unus ergo est, simul Filius Dei & filius hominis, unione scilicet substantiali & hypostatica: si enim unus dumtaxat foret unione morali & accidentali, reipsa physicè & quoad hypostasim, duo essent, non unus Christus.

Ed. Coteler. p. 858. A. B. Ibid. E.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 51. in Apollinarium. *Si quis*, ait, *divinitatem in eo*, (Christo) *velut in Propheta, per gratiam operatam fuisse, non autem secundùm essentiam copulatam fuisse, atque copulari dixerit; à præstantiori afflatu vacuus sit, imò contrario impleatur*.

To. 1. p. 739. C.

S. Cy-

S. Cyrillus Anathematismo 3. in Nestorium. *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque dumtaxat conjunctione easdem inter se nectit, quæ est secundùm dignitatem, hoc est, auctoritatem vel potestatem, & non ea potius quæ est secundùm naturalem unionem; anathema sit.* Tom. 3. Conc. p. 408. D.

Et Epist. 2. ad Nestorium, *Asserimus Verbum unita sibi secundùm hypostasim carne animata rationali anima, inexplicabili incomprehensibilique modo hominem factum, & hominis filium extitisse, non per solam voluntatem aut beneplacitum ....propter nos, & propter nostram salutem, humana natura secundùm hypostasim sibi unita, ex muliere natus est.* Ibid. p. 317. D. P. 320. A

S. Joannes Damascenus L. 3. orthodoxæ fidei cap. 3. sic loquitur: *Ex duabus naturis perfectis, hoc est divina & humana unionem esse factam dicimus, non ad modum consperisionis, nec per confusionem, vel commixtionem, aut temperationem....nec personalem, aut secundùm relationem, aut in ratione dignitatis, aut in una voluntatis conspiratione, aut honoris qualitate, aut eadem ac promiscua nuncupatione aut benevolentia positam....sed per compositionem, hoc est, secundùm hypostasim, sine ulla conversione, nec confusione, nec mutatione, nec divisione, nec distantia, inque duabus perfectis naturis, unam Filii Dei & incarnati personam confitemur; unam dicentes divinitatis ipsius & humanitatis hypostasim, duas autem post unitionem naturas in ipso incolumes servari confitentes.* Tam clara ista sunt, ut expositione non indigeant. Alia verò plura ejusdem ordinis congerere necesse non est, cùm novam non afferant lucem. To. 1. p. 207. C.

II.

SS. Patres unam, non duas in Christo personas: unum Christum, non duos agnoscunt ac profitentur.

Necessariò sequitur hæc veritas ex testimoniis quæ mox adducta sunt: ubi enim est unio hypostatica duarum naturarum, ibi est unitas personæ in qua naturæ illæ conjunguntur. Ista inter se ita connexa sunt & colligata, ut disjungi non possint. Idem prorsus demonstrant

S. Ignatius mox citatus Epist. ad Ephesios. *Convenitis*, ait, *in una fide & uno Jesu Christo secundùm carnem ex genere Davidis, filio hominis, & filio Dei.* Pagina 858. E.

S. Irenæus L. 3. c. 16. aliàs 18. ubi egregiè ex Scripturis adstruit, *unum & eumdem esse Verbum Dei, & hunc esse unigenitum, & hunc incarnatum pro salute nostra, Jesum Christum Dominum nostrum.* P. 204. n. 2.

Dionysius Alexandrinus in Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum, ubi hæresiarcham illum redarguit, *duas hypostoses, & duas personas asseverantem unius Christi; sive Christos duos, duosque filios.* Tom. 1. Conc p. 850. C.

S. Athanasius Libro de Incarnatione Verbi Dei: *Homo*, inquit, *una persona & unum animal est, ex spiritu & carne compositum: ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unam esse personam, & non duas, ut jam incredulitas magnitudine divinæ gratiæ destituta, & in gentilium scandalum prolapsa, apertè & summa vi contendit.* To. 2. p. 34. D.

S. Greg. Nazianzenus Orat. 31. *Id, quod erat*, inquit, *exinanivit: id, quod non erat, assumpsit: non duplex factus, sed unum ex duplici natura fieri* To. 1. p. 497. C.

susti-

sustinens. Ambo enim Deus, nimirum quod assumpsit, & quod assumptum est: duæ naturæ in unum concurrentes, non duo filii.

Pagina 985.C. S. Hilarius L.9. de Trinit. *Mediator ipse*, inquit, *in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & illo ipso inter Deum & homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est.* Hoc est, suppositum, seu persona eadem est.

To.2.p. 711.E. S. Ambrosius L. de Incarnatione cap.5. *Cùm Deus*, inquit, *semper esset æternus, incarnationis sacramenta suscepit, non divisus, sed unus; quia utrumque unus, & unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore: non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.*

To. 10. pa.766. E. F. S. Augustinus L. de corrept. & gratia cap.11. *Deus*, inquit, *naturam nostram, id est, animam rationalem carnemque hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari; ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis, Filius Dei sic esset ab initio quo homo esse cœpisset, ut ipse & Verbum quod sine initio est, una persona esset.*

Adde S. Cyrillum, imò & universam Synodum Ephesinam, à qua proscripta fuit impietas Nestorii asserentis duas esse in Christo personas, duos filios, duos Christos.

III.

SS. Patres beatam Virginem Deiparam, matrem & genitricem Dei agnoscunt.

Tom.3. Conc.p. 114.D. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. de recta fide ad Reginas n.9. *Vocem hanc, Deipara*, inquit, *veteribus Patribus, quorum sanctimoniam & fidei integritatem admiramur; necnon omnibus qui eos deinceps hucusque sunt secuti per universum (ut ita dicam) terrarum orbem, familiarem esse, ostendendum esse existimavi.* Profert deinde multa Veterum testimonia, inter quæ istud legitur Theophili Episcopi, *Hoc unum non prætermiserim, optimos ac sapientissimos quosque Patres, quotquot ante nos extiterunt, omnes sacram Virginem Deiparam appellare.*

Ibid. p. 112.A. Revera etenim B. Virgini recusari Deiparæ nomen non potest, nisi funditùs subvertatur Incarnationis mysterium: alterutrum enim sequitur, aut filium, quem B. Virgo peperit, Deum esse, ut revera est, & consequenter B. Virginem esse Deiparam, quæ Filium Dei verum Deum genuit; aut Deum verum non esse, quo supposito funditùs ruit Incarnationis ac redemptionis humanæ mysterium, ac falsa erit ista S. Joannis propositio, *Verbum caro factum est*; quæ summa est impietatis dementia.

Ibid. p. 110.D. Non nostrum est, sed S. Cyrilli ratiocinium loco mox citato. *Illi autem*, ait n.6. *qui sacram Virginem Deiparam esse imperitè negant, huc necessariò adiguntur, ut duos Dei filios constituant. Nam si sacra Virgo Deum incarnatum secundùm carnem non peperit, vel inviti concedant, oportet, hominem tantùm vulgarem, nobisque nihilo excellentiorem in lucem edidisse.* Et n.8. *Igitur si eum qui ex sacra Virgine*

Ibid. p. 114.C. *prodiit, hoc est Dei Patris Verbum carni secundùm naturam unitum, verum Deum esse agnoscunt, cur eamdem Virginem esse Deiparam fateri vereantur?* Porrò meritò asseruit S. Cyrillus, & ante illum Theophilus, omnes SS. Patres ad sua usque tempora B. Virginem Deiparam appellasse. Ita

S. Igna-

S. Ignatius Martyr in Epistola jam laudata ad Ephesios, ubi Christum vocat *filium hominis & Filium Dei*. Christum autem Maria mater genuit; ergo Filium Dei, hoc est verum Deum hominem factum genuit; ergo verè Deipara est ac dicitur. *Pagina 858. B.*

S. Justinus Dial. cum Tryphone, ubi ait, *Christum priùs extitisse Filium Conditoris omnium, ac Deum, qui genitus est homo ex Virgine*. Ergo B. Virgo genuit Deum hominem. *Pagina 267. C.*

S. Irenæus L. 3. c. 21. aliàs 31. *Verbum*, inquit, *existens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis*. Hunc S. Irenæi locum laudat Theodoretus Dial. 1. *P. 218. n. 10.*

S. Dionysius Alexandrinus in Epist. ad Paulum Samosatenum. *Una*, inquit, *sola Virgo filia vitæ, genuit vivens Verbum, & subsistens*. Ibidem: *Quomodo ais-tu hominem esse eximium Christum, & non revera Deum, & ab omni creatura cum Patre & Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex sancta Virgine & Deipara Maria?* *Tom. 1. Conc. p. 854. D. ibid. C.*

Tertullianus L. de Præscriptionibus cap. 13. de Verbo divino ex regula fidei hæc habet. *Postremò delatum ex spiritu Dei Patris & virtute, in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum egisse Jesum Christum*. Et Lib. de carne Christi cap. 17. *Ante omnia*, inquit, *commendanda erit ratio quæ præfuit, ut Dei filius de Virgine nasceretur*. *Pagina 206. D.* *Pagina 310. D.*

S. Athanasius Orat. 3. aliàs 4. contra Arianos: *Hic igitur*, inquit, *scopus & character est sancta Scripturæ, uti sæpè diximus, nempè ut duo de Salvatore demonstret, illum scilicet Deum semper fuisse, & Filium esse, quippè cùm sit Patris Verbum, splendorque & sapientia, ipsumque posteà propter nos, carne ex Virgine Deipara Maria assumpta, hominem factum esse*. *To. 1. p. 579. B.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech 4. *Crede*, ait, *hunc unigenitum Dei filium, propter peccata nostra de cœlis in terram descendisse, assumpta humanitate iisdem affectibus obnoxia quibus afficitur nostra, ex sancta Virgine atque Spiritu sancto natum esse*. *Pagina 16. D.*

S. Greg. Nazianzenus Orat. 51. *Si quis*, inquit, *sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est*. *To. 1. p. 738. D.*

S. Cyrillus L. de recta fide jam laudato, nu. 9. ut probet nomen Deiparę B. Virgini à veteribus Patribus datum fuisse, laudat testimonia S. Athanasii, Attici Constantinop. Episcopi, Antiochi, Amphilochii Episcopi Iconiensis, Ammonis Episcopi Andrinopoleos, Joannis Chrysostomi, Severiani Gabalorum, Vitalii Episcopi, & Theophili Alexandrini. *Tom. 3. Conc. p. 115. & seq.*

Eorumdem Patrum auctoritatem, ac totius Ecclesiæ fidem urget contra Nestorium, in Epistola ad Acacium Episcopum Beroensem, additque: *Denique nemo, opinor, ex Orthodoxorum numero illam Deiparam nominare dubitavit; quandoquidem verum est, Emmanuelem Deum esse. Erunt itaque anathemate constricti SS. Patres, qui jam dudum ad Deum evolarunt, cæterique omnes, quotquot Christum Deum esse confessi, recta veritatis dogmata confectantur*. Laudat ibidem S. Athanasium, Theophilum, Basilium, Gregorium, Atticum: & in Epistola 3. ad Nestorium: *Hoc*, inquit, *sanctos Patres sensisse reperiemus. Ita non dubitarunt sacram Virginem Deiparam appellare: non quòd Verbi natura, ipsius-ve divinitas ortus sui principium ex sancta Virgine sumpserit; sed quòd sacrum illud corpus anima intelligente perfe-* *Ibid. p. 381. A.* *Ibid. p. 321. A.*

ctum

ctum ex ea traxerit, cui & Dei Verbum secundùm hypostasim unitum, secundùm carnem natum dicitur. Idem disertè confirmat Anathematismo 3. paulò antè n.1. relato. Plura brevitatis causâ missa facimus.

TERTIUM MOMENTUM

Ex Theologicis rationibus.

Theologicæ illæ rationes quasi è re nata erumpunt ex laudatis hactenus Scripturæ & SS. Patrum testimoniis.

Prima ratio hæc est. Idem Christus à Scripturis & SS. Patribus dicitur Deus & homo: atqui fieri istud non potest, nisi propter unionem substantialem & hypostaticam naturæ humanæ cum persona Verbi. Impossibile quippè est, ut duæ naturæ formaliter ab invicem distinctæ, de se invicem in concreto prædicentur, nisi uniantur in persona seu supposito: nunquam enim duorum qui hypostasi distinguuntur, unus de altero prædicatur, quantacumque sit inter illos animorum & affectuum consensio: nusquam Plato v. gr. Socrates, aut vicissim Socrates Plato propriè appellabitur.

Secunda. Joannis 1. *Verbum* dicitur *caro factum*. At non est caro factum, per sui conversionem in carnem: quis tam impius ut istud fingat? Ergo est caro factum per assumptionem carnis in Verbi personam.

Tertia. Philipp. 2. de Christo dicitur, *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*. Atqui exinanitio illa concipi non potest sine unione hypostatica. Si enim Verbum semetipsum exinanivisse ideo diceretur, quòd sit in Christo per inhabitationem tanquam in templo, ut volebat Nestorius; pari ratione Pater & Spiritus sanctus, qui in Sanctis inhabitant, exinaniti quoque dicerentur, quod quidem per se absurdissimum est. Exinanivit ergo seipsum Verbum, quòd cùm in forma Dei esset, formam servi, id est naturam servi, in unitatem suæ personæ assumpsit.

Quarta. Pronomina demonstrativa ad personam vel hypostasim referuntur: neque enim quis diceret v. g. alio currente, Ego curro, nisi fortè figurativè, si nempè alius ipsius loco curreret. Atqui ille homo qui dictus est Jesus Christus, de seipso ait, *Ego sum qui de cœlo descendi. Antequam Abraham fieret, ego sum. Ego & Pater unum sumus. Exivi à Patre, & veni in mundum &c.* quæ omnia manifestè ad divinitatem pertinent; ergo homo ille Christus verè Deus erat.

Quinta. Si Christus verus non est substantia Deus, funditùs ruit Christiana Religio; & omnes quotquot hactenus extitere Christiani, idololatriæ rei sunt, utpote qui Christum tanquam Deum adoraverint, qui tamen, juxta impietatem Nestorii, verus Deus non est.

Sexta denique. Si duæ sunt in Christo personæ, divina una, humana altera, quænam, quæso, pro nobis passa est, mortua? quænam pro nobis satisfecit, à peccato & damnatione nos redemit, Sacramenta instituit? &c. An divina? sed hæc nec pati, nec mori, nec pro nobis satisfacere potest. An humana? verùm hæc cùm finita sit, pretium infiniti valoris Deo pro nobis offerre non potest; nec Sacramenta instituere, cùm incapax sit illis impertiendi vim gratiæ productivam. Ex illo igitur Nestorii nefando errore uno ictu ruit

ruit Incarnatio Verbi, ejus pro nobis satisfactio, humani generis redemptio, institutio & efficacia Sacramentorum; uno verbo, universa Religio Christiana funditùs labefactatur ac subvertitur. *Non ignoravi*, ait S. Cyrillus Libro de recta fide ad Theodosium, n.28. *futuros, qui interrogent, Uter verè est Jesus Christus? isne qui homo ex muliere natus est, an Verbum quod ex Deo genitum est? Næ stultum est supervacaneis verbis contendere, ac quibuslibet anilibus nugis sese opponere. Respondeo nihilominus, non solùm periculosum, sed etiam perniciosum esse, hominem & Verbum sejungere, factaque divisione utrumque seorsim statuere: quippè cùm dispensationis mysterium ejusmodi sectionem nequaquam admittat, & divina præterea Scriptura unum dumtaxat Christum esse disertè tradat. Assero enim neque Dei Verbum absque humanitate, neque templum rursum, quod ex muliere in lucem editum est, nisi cum Verbo conjunctum sit, Christum Jesum appellari posse.* Tom.3. Conc.p. 82.B.C

Hæc & alia multa passim adversùs Nestorium urget S. Cyrillus, quem impiæ hæreseos coram universa Ephesina Synodo convincit. Unde à Cœlestino S. Pontifice in Epistola ad Clerum & plebem Constantinopolitanam, & à Patribus Ephesinis in sententia depositionis, *novus Judas* appellatur. Theodosius Imperator sectatores Nestorii *Simonianos* infamari, eorumque Libros omnes, data lege, flammis absumi jussit.

Solvuntur Objectiones Nestorianorum.

Objicies 1. Moyses, Angeli, Judices ipsi nonnunquam in Scripturis dii appellantur, neque tamen ulla est in illis hypostatica cum divinitate conjunctio.

2. Joan. cap. 2. Christus ait, *Solvite templum hoc*, id est corpus suum seu humanitatem; ergo improbari non debet in Nestorio, quòd humanitatem Christi Dei templum appellaverit. Porrò inter templum, & Deum qui in templo habitat, hypostatica non intercedit conjunctio.

3. Philipp. 2. Christus dicitur *factus in similitudinem hominum, & habitu inventus ut homo*. Ergo Christus verus homo fuit: quomodo igitur cum divinitate personaliter uniri potuit?

4. Deus immortalis est ac impassibilis; ergo Christus qui passus est ac mortuus, verus Deus non est.

Resp. ad primum, Moysen, Angelos & Judices improprio ac figurato sensu deos appellari, nempè propter singularem auctoritatem seu potestatem quà à Deo donati fuere. Quapropter postquam Judices deos appellavit, statim addit, *Verumtamen sicut homines moriemini*; quæ verba apertè innuunt, eos impropriè ac figuratè deos appellari. Legenda sunt quæ eam in rem diximus, ubi de Mysterio sanctissimæ Trinitatis. Psal.81 v.7.

Ad secundum: Non ideo improbatus est Nestorius, quòd dixerit humanitatem Christi templum esse divinitatis; sed quòd accidentalem dumtaxat & moralem, non physicam & hypostaticam admitteret unionem inter humanam & divinam in Christo naturam.

Ad tertium: Meritò Christus dicitur *in similitudinem hominum factus*, quia revera cæteris hominibus (excepto peccato) quantùm ad naturam similis fuit, iisdem infirmitatibus obnoxius, quibus obnoxia est humanitas: vel dicitur habitu inventus ut homo, quia specie tenus velut homo purus appare-

parebat, communi cæterorum hominum via genitus, qui tamen verus erat Deus, in utero Virginis virtute Spiritus sancti conceptus. Ne quæras autem qui fieri istud possit. *Namque Incarnationis modus*, ait S. Cyrillus L. de recta fide ad Theodosium, n. 23. *admodum subtilis est verèque inexplicabilis; talis demum qui cogitationis captusque nostri angustias multis partibus excedat.... Nempè, ut periculo non vacat curiosiùs in ea inquirere, quæ humana non sunt; ita extremæ dementiæ videri, ea quæ mentis nostræ aciem excedunt, humani judicii trutinæ subjicere moliri.*

Tom. 3. Conc. p. 74. E.

Ad quartum: Deus quidem non homo factus, impassibilis est, immortalis; sed homo factus, ratione humanitatis quam in unitatem personæ assumpsit, verè passus est ac mortuus: *Verbum enim caro factum est*.

Instabis. Si Dei Filius passus ac mortuus dici potest; ergo dici pariter poterit, Divinitas passa est, mortua &c.

Resp. nego consequens. Istæ quippè denominationes in suppositum ipsum, seu personam Verbi ex duabus naturis constantem, cadunt, non verò in ipsam divinam naturam. *Passus est Deus*, ait Vigilius Tapsensis in Africa Episcopus initio sexti sæculi L. 2. contra Eutychem, *in unione personæ, non est passus in proprietate naturæ. Siquidem passionis injurias etiam divinitas pertulit, sed passionem sola ejus caro persensit.... Ita ergo suscipiendo passiones, & earum non cedendo affectibus, apparet Deum Verbum impassibiliter passum.... Ergo perferre passionem, naturæ est utriusque; sed cedere passioni, non est utriusque naturæ, cùm sit unius ejusdemque personæ.*

Bibliot. PP. T. 8. pag. 727. D.

Et L. 5. *Proprium est illi mori, propter naturam carnis, quæ mortalis est; & proprium est illi non mori, propter naturam Verbi, quæ mori non potest. Item propter ineffabile mysterium unionis utrarumque naturarum communis in ipso fuit mortalitas carnis, Verbi naturæ, quæ mori non potuit; & communis in ipso est immortalitas Verbi, naturæ carnis, quæ morti succubuit.*

Ibid. p. 738. B.

Objicies 2. Si unica in Christo esset persona, Christus meritò dici posset *unus de sancta Trinitate passus*; & asseri, *unum de Trinitate esse passum*. Atqui id dici non potest, judice vel ipso Hormisda S. Pontifice, qui propositionem hanc velut erroneam damnavit in Monachis Scythiæ.

Resp. nego min. Vera enim & orthodoxa est propositio, quam S. Pontifex Hormisdas nusquam erroris incusavit, sed tantùm ut novam ac dissidiorum causam silentio premendam esse judicavit, repressa Monachorum Scythiæ temeritate ac pertinacia, qui hujusmodi loquendi formam definitioni Concilii Chalcedonensis necessariò adjiciendam esse contendebant, quasi absque tali additione, manca illa & imperfecta foret. Cæterùm hanc loquendi rationem Ecclesia suo Judicio probavit ac confirmavit in V. generali Concilio Can. 4. & 5. Probavit & S. P. Joannes II. in Epist. ad Justinianum, in qua & Imperatorem laudat qui eam tuebatur, & Acoemetas monachos contrà sentientes condemnat.

Tom. 5. Conc. p. 570. E. & pa. 511. B. C.

Probarunt sanctus Fulgentius Lib. de fide ad Petrum n. 15. Facundus Hermianensis L. 1. pro defensione Conc. Chalcedonensis cap. 1. Fernandus Diaconus in Epistola ad Anatolium; & in Epist. ad Severum Scholasticum, fervente adhuc harum concertationum æstu num. 9. tres distinguit hujus propositionis, *Christus unus est de sancta Trinitate, quam nonnulli*, inquit *nimis cautè negabant*, sensus. *Primus est, ne ideo Christus unus de Trinitate prædi-*

Tom. 4. Conc. p. 1746. P. 506. Pag. 4. Bibliot. PP. To. 9. pag. 505.

prædicari putetur, ut alius ipse, alia Trinitas de qua unus esse dicitur, inculcetur: velut cùm de Patre esse Filium credimus, alius est procul dubio Filius, alius Pater de quo est Filius... Secundus modus est, ne fortasse unus de Trinitate fraudulenter intimetur; propter hoc videlicet, ut non ejus humanitas, sed divinitas prædicetur esse passibilis. Tertius modus est, ne quæratur, Quid unus? Cùm verò dixerimus, pergit Auctor, *Christum unum esse de Trinitate, interrogati, Quid unus? non possumus dicere, Unus Deus; quia Trinitas illa non est deorum &c. . . . . non possumus respondere, Unus filius; quia Trinitas illa non est filiorum*. En argutiæ, propter quas nonnulli *nimis cautè* refugiebant dicere, *Christus unus est de Trinitate*. Alii igitur, quibus favet Ferrandus, ut ab istis interrogationum laqueis se extricarent, nudè ac simpliciter dicendum arbitrabantur, Christum unam esse Trinitatis personam. *Rectissimè hoc dicitur*, ait Ferrandus: *convenientiùs una persona, quàm unus dicitur; ne parum intelligentibus aut malè suspicantibus scandalum procuretur*. In rei quippè veritate de dogmate dissensio non erat, sed de modo loquendi: nec aliud volebant, qui *unum de Trinitate passum dicebant*, quàm *Filium Dei passum esse carne*. Ibid. p. 513. A. Ibid. B.

Objicies 3. Quæ divinitatem non genuit, Dei genitrix dici non potest: atqui B. Virgo divinitatem non genuit, ut certum est, aliàs ipsa dea foret.

Resp. nego maj. Satis enim est ut B. Virgo eum genuerit, qui Dei filius est, ac verus Deus: quemadmodum ut in humanis mulier dicatur hominis mater, satis est quòd eum generet, qui homo est, tametsi præcipuam hominis partem, animam scilicet rationalem, ipsa non generet. Ita respondet S. Cyrillus in Epist. ad Monachos, n. 12. Inde manifesta est ratio, cur B. Virgo dea nec sit, nec dici possit, quia nempè divinitatem ipsam non genuit, sed hominem dumtaxat Deo intimè seu personaliter conjunctum. Erroris igitur ac putidæ calumniæ reus erat Nestorius, qui supponebat ex sententia Catholicorum sequi, beatam Virginem deam esse, atque ut deam ab illis agnosci & coli debere. Non ita est: beatam Virginem quacumque creatura gratiæ donis ac insigni matris Dei privilegio longè superiorem & excellentiorem esse agnoscimus, Deo solo minorem, sed non æqualem Deo. Tom. 3. Conc. p. 30. B. C

Instabis 1. B. Virgo dici non potest mater Verbi divini; ergo nec Filii Dei: Verbum enim proprius est Dei Filius; ergo si B. Virgo potest dici mater Filii Dei, quidni & mater Verbi?

Resp. nego consequens. Disparitas est, quòd nomine Verbi intelligatur terminus generationis æternæ in sinu Patris: nomine autem Filii, intelligatur terminus tùm æternæ, tùm temporalis generationis in utero materno beatæ Virginis. Cùm ergo Verbum sit caro factum, & carnem in utero B. Virginis sumpserit, ratione hujus assumptæ humanitatis Filius Dei homo factus meritò B. Virginis filius dicitur. Distingui ergo potest ista propositio: Filius Dei non potest esse filius Mariæ, ratione divinitatis, & prout est æternæ generationis filius, concedo: ratione humanitatis Verbi personæ hypostaticè conjunctæ, nego.

Instabis 2. Mater debet esse filio consubstantialis: at B. Virgo, ex concessis, non est filio suo consubstantialis.

Resp. dist. ant. Debet esse filio suo consubstantialis, aliqua ex parte, concedo: omni ex parte, nego. Cùm mater filium generat duabus constan-

tem naturis, divina & humana, filio consubstantialis esse debet ratione naturæ humanæ, non autem ratione naturæ divinæ. Frustrà hujusce rei accuratum exemplum in creatis quæreres, nullum profectò invenies: est enim planè singulare ac stupendum Incarnationis Verbi mysterium.

Instabis 3. Tot sunt in Deo admittendæ personæ, quot naturæ perfectæ: atqui duæ sunt in Christo naturæ perfectæ, divina scilicet & humana; ergo & duæ personæ.

Major propositio probatur, quia persona, ex Boetio, est naturæ rationalis individua substantia: atqui duplex est in Christo individua substantia, divina nempè & humana; ergo & duplex persona.

Resp. nego maj. Cùm enim natura inferior à superiori in unitatem personæ assumitur, ab illa perficitur, completur, & ultimò terminatur; adeoque non propria, sed aliena subsistit personalitate. Nomen substantiæ in definitione personæ, apud Boetium, supponit pro substantia completa & ultimò terminata, totum aliquod peculiare seorsim constituente, non pro qualibet substantia individua, seu particulari: aliàs anima rationalis à corpore separata, quæ substantia quædam est rationalis & particularis, vera dici posset persona, quod falsum est. Verùm de hujusce modi difficultatibus jam diximus, ubi solvimus objectiones adversùs possibilitatem mysterii Incarnationis.

Instabis 4. Aut Verbum assumpsit humanitatem in abstracto, aut in concreto. Non in abstracto: abstractio enim illa merus est fœtus mentis, non quid reale ac solidum; ergo assumpsit humanitatem in concreto, id est, hominem seu personam habentem humanitatem.

Resp. meram hìc argutam esse de nomine quæstionem. Si per humanitatem in abstracto intelligis substantiam particularem non completam, nec ultimò terminatam, uno verbo, non personam, Verbum hoc sensu humanitatem abstractè sumptam sibi personaliter conjunxit; neque sic sumpta humanitas fictitium aliquid est, & merus fœtus mentis abstrahentis, sed reale quid ac solidum: abstractio, mentis dumtaxat fœtus est, cùm natura universalis in se, præcisis omnibus individuis, spectatur tanquam communis. Pariter si per humanitatem in concreto intelligis formam & subjectum formæ, id est, humanitatem & personam in qua est humanitas, falsum est hoc sensu Verbum assumpsisse humanitatem in concretò: si verò intelligis tantùm hanc vel illam numero humanitatem particularem, hoc sensu concedimus Verbum assumpsisse humanitatem in concreto.

Instabis 5. Ex una substantia generari nullatenus possunt duæ substantiæ: atqui Deus & homo sunt duæ substantiæ; ergo B. Virgo non potest esse simul hominis Deique genitrix.

Resp. dist. maj. Si duæ substantiæ separatim generentur, esto: si una per se non generetur, sed ratione alterius, atque in unam concurrant hypostasim, nego. Ita nodum solvit Ferrandus Diaconus in Epist. ad Anatolium. *Nunc verò*, inquit, *in magno illo & mirabili sacramento, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundùm humanam substantiam propriè nata est; quia non separatim nata est, nec humanitatem propriè natam sibi divinitas adunavit, sed adunando eam sibi, propriè nata est. Dicam adhuc planiùs pro captu infirmitatis meæ..... Propriè est nata de Patre divinitas pura, propriè est nata de matre eadem incarnata divinitas.*

Bibliot. PP. To. 9. pag. 508. B.

Objicies

Objicies 4. nonnullorum SS. Patrum auctoritatem, inter quos

I. Alii Christum vocant *hominem Deiferum*. Ita S. Basilius apud Theodoretum in reprehensione Anathematismi quinti. *Deiferum hominem*, inquit Theodoretus, *sicut à multis sanctis Patribus dictus est, non devitamus; quorum unus magnus ille Basilius in Sermone de sancto Spiritu ad Amphilochium hoc usus est nomine, & in explanatione quinquagesimi noni Psalmi.* To.4.p. 714.D.

II. Christus ipse vocatur *homo Deificatus, homo Dominicus*. Ita Eustathius Episcopus Antiochenus contra Arianos, laudatus à Gelasio, Libello adversùs Eutichen & Nestorium. Ita S. Athanasius in Expositione fidei, Augustinus Lib. 83. quæstionum quæst. 36.

III. Alii dicunt *hominem fuiße à Verbo assumptum*. Ita S. Ambrosius Lib. 5. de Fide cap. 5. S. Augustinus Lib. 11. de Civit. Dei cap. 2.

IV. Sunt qui humanitatem Christi appellant *divinitatis instrumentum*. Ita S. Athanasius L. de Incarnatione; Eusebius L. 4. Demonstr. Evang. cap. 13. Cyrillus Dial. de Incarnatione; Joannes Damasc. L. 3. de fide c. 15. post medium.

V. Denique, nonnulli humanam naturam *divinitatis templum* esse asserunt. Ita Eustathius Antiochenus apud Theodoretum, Dial. 1. Gregorius Nyssenus L. 2. contra Eunomium; Cyrillus ipse L. 6. in Joan.

Resp. has & similes loquendi rationes studiosè à Theodoro Mopsuesteno & Diodoro Tarsensi in causæ suæ defensionem collectas fuisse: at frustra profectò. Ut enim rectè respondet Leontius Bysantinus L. 3. contra Nestorianos, non de verbis, sed de sententiis ac verborum sensu quæstio movenda est; iisdem enim vocibus, & Nestorii impietas, & veritas fidei exprimi potest; sola igitur loquentis mens, scopus, consilium, status controversiæ, temporis ac personarum circumstantiæ accuratè pensandæ sunt, ac verus & genuinus Sanctorum illorum sensus apparebit. Biblioth. PP. To. 699. A.

I. Rectè S. Basilius carnem Christi *Deiferam* appellavit, quia reipsa Dei propria est, propter unionem hypostaticam inter carnem seu humanitatem, & Deum ipsum.

II. Christus ipse non immeritò *Deifer, homo Deificatus* seu *Deificus* dici potest, ob eamdem hypostaticam unionem inter divinam & humanam naturam. In Nestorio quidem has loquendi rationes jure meritò reprehendebat S. Cyrillus, ob pravum ipsius sensum, unionis scilicet dumtaxat moralis & accidentalis inter utramque in Christo naturam: at in viris Catholicis, nec suspectis, omni vitio ac suspicione erroris carebant.

III. Humanitas Christi sano & catholico sensu divinitatis instrumentum dici potest, non quidem separatum, qualis est serra v.g. in fabro lignario ad secandum lignum; sed conjunctum & intimè unitum, cujusmodi est corpus respectu animæ, ad operationes vitæ sensitivas exercendas. Ita solvit S. Thomas L. 4. contra Gentes c. 41.

IV. Humanitas Christi rectè templum Dei ab aliquibus Orthodoxis dicitur, non quidem ad mentem & sensum Nestorii, qui Deum in Christo non aliter inhabitare contendebat, quàm in templo & in sanctis suis inhabitat, per meram scilicet assistentiam, ac gratiæ subministrationem; sed ad sensum Apostoli ad Coloss. 2. v. 9. *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, per unionem scilicet veram, realem, physicam & hypo-

staticam; non moralem tantùm, non accidentalem, vel affectus, concordiæ, gratiæ, aut adoptionis.

Denique nonnulli absque suspicione erroris asserebant Verbum Dei assumpsisse hominem, idest, humanitatem, concretum pro abstracto usurpantes. Id quidem meritò damnat in Nestorio S. Cyrillus, quia per hominem, non tantùm naturam, sed & personam humanam à Verbo assumptam esse impius ille affirmabat; unde non unum, sed duos Christos esse fatebatur, ac Christum Redemptorem nostrum non esse verum substantia & natura Deum, sed tantùm per gratiam & adoptionem.

Objicies 5. auctoritatem S. Joannis Chrysostomi Homil. 3. ad caput 1. Epist. ad Hebr. ubi disertè varios confutans errores, duas in Christo personas admittere videtur. En verba: *Vide quomodo & quàm dilucidè dividat creaturas & creatorem, ministros & dominum, verumque ac proprium hæredem & filium, ac servos. Ad filium autem dicit*, Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. *Ecce regni signum*. Virga æquitatis, virga regni tui. *Ecce rursus aliud quoque signum regni. Deinde rursus de eo quod est carne indutum*, Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus. *Quid est Deus tuus? Nam quoniam magnum est locutus, id rursus lenit ac mitigat. Hic & Judæos, & Pauli Samosateni asseclas, & Arianos, Marcellumque & Sabellium ferit & Marcionem. Quomodo? Judæos quidem, ostendens duas personas, & Deum, & hominem. Alios autem, Pauli, inquam, Samosateni asseclas, quòd hæc dicat de æterna substantia, & increata essentia. Nam ad discernendum & ex adverso distinguendum illud*, fecit, *hoc opposuit*, Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. *Adversùs Arianos autem, & rursus hoc ipsum, & quòd non sit servus. Si autem creatura, servus. Adversùs Marcellum autem & alios, quòd sint duæ personæ divisæ per hypostasim. Adversùs Marcionitas autem, quòd divinitas non ungitur, sed humanitas*. En integer S. Doctoris textus, ex quo sic arguitur: S. Joannes Chrysostomus de Christo Domino verba faciens, duas in ipso personas disertè agnoscit: *Ostendens* (Propheta) *duas personas, & Deum, & hominem*; ergo &c.

Edit. Commel. p. 1769.

Resp. nego ant. Falsò supponitur S. Doctorem verbis mox relatis solum Christum Dominum designasse. Christi nomen nullo in codice, nulla in editione, in nulla interpretatione latina citati Chrysostomi textus legitur. De Deo Patre & Filio, qui reipsa duæ sunt personæ distinctæ; ac de Filio incarnato seu homine facto, in quo duæ sunt, non quidem personæ, sed duæ naturæ, S. Doctor loquitur. Temeritas ergo fuit castiganda in Auctore interpretationis Gallicæ Homiliarum S. Chrysostomi, quæ ante aliquot annos publici juris facta est, in qua S. Doctoris verba sic ille reddit gallicè: *S. Paul confond les Juifs, en leur montrant qu'il y a deux personnes en Jesus-Christ, Dieu, & l'homme. Il confond Marcel, en montrant que les deux personnes qui sont en Jesus-Christ, sont subsistantes par ellesmemes, & separèes entre elles*.

Tota profectò Nestoriana est hæc interpretatio, atque sanctissimo Doctori gravissimum imponit errorem, cujus accusatus, quod sciam, nunquam ille fuit: eoque gravior Interpretis gallici culpa est, quòd nullus ante ipsum in nulla interpretatione latina, Chrysostomi verba in hunc sensum reddiderit. Anxii & solliciti quidem nonnulli fuere, circa interpretationem citati

S. Chry-

S. Chrysostomi textus, in quo illustrando maximè laborarunt; at nullus ausus est pronuntiare, reipsa duas à Chrysostomo admissas in Christo distinctas personas.

Quatuor maximè inter Litteratos viros, scrupuli aliquid circa mentem Chrysostomi passi aliquando videntur: Itali duo, Flaminius Nobilius, & Sixtus Senensis. Duo pariter Angli, Halesius & Dounæus, qui citatum textum variè legunt ac interpretantur.

Flaminius Nobilius, qui unus fuit ex iis qui jussu Gregorii XIII. S. Pontificis recognoscendis SS. Patrum Operibus utilissimam operam impenderunt, editionem Veronensem secutus, sic legit: *Judæos quidem percussit, ostendens eis duas esse personas, & Deum, & hominem*: quæ verba de uno Christo dicta esse, atque πρόσωπον, & ὑπόστασιν, impropriè, non pro persona, sed pro natura & essentia usurpari à Chrysostomo contendit; ut sensus sit, Judæos confundi, adversùs quos ostenditur, Christum Deum esse simul & hominem, seu duas in ipso esse naturas. Si hanc interpretationem sequi voluisset gallicus Interpres, duas dicere debuisset in Christo naturas, non duas personas.

Huic interpretationi obstare videtur 1. quia ætate Chrysostomi vocabulum ὑπόστασις vix unquam pro natura & essentia usurpatum legimus. 2. quia ipse Chrysostomus idem vocabulum hoc eodem sensu aliis in locis usurpat. Epistola ad Cæsarium, *Etsi enim*, inquit, *duplex natura, veruntamen indivisibilis & indissipabilis unitio, in una filiationis confitenda persona, & una subsistentia*. 3. Chrysostomus duas simul istas voces conjungit, πρόσωπον, & ὑπόστασιν: ut certum est, vocabulum πρόσωπον, nusquam usurpatum fuisse ad significandam naturam & essentiam. 4. denique, quia eodem prorsus sensu ὑπόστασιν usurpat ibidem adversùs Judæos, quo adversùs Marcellum, Sabellium & alios: adversùs Marcellum & alios ait, *Ostendit quòd sint duæ personæ divisæ per hypostasim*. Porrò nomen personæ propriè sumitur, cùm Marcelli, Sabellii & aliorum tres in Deo personas negantium error designatur ac revincitur. To.3. p. 746. A.

Sixtus Senensis L.6. Bibliothecæ sanctæ annotatione 329. sic legit; *Duas personas ostendens, Deum, & Deum*. Et textus: *Chrysostomus Homilia in Epistolam ad Hebræos tertia, videtur duas in Christo ponere personas, divinam & humanam, quod Theologi nefas & dicere & sentire arbitrantur*. Tùm relatis verbis S. Chrysostomi, sic pergit: *Suspicor hunc locum etiam in græcis codicibus esse depravatum; & pro eo quod in eis scriptum est*, Deum & hominem, *legendum fore*, Deum & Deum. *Occasionem suspicionis præbent geminæ conjecturæ: harum prior est, quòd Theophilactus referens hæc eadem Chrysostomi verba, omissa hominis mentione, & Dei nomine bis posito, sic scribat*: Hoc adversùs Judæos, & Sabellium & Marcellum pugnat, tanquam duas personas indicans, Deum & Deum. *Altera conjectura est, quòd conduplicatio particulæ, Dei, aptissimè congruat cum proposita Pauli sententia, in qua geminato Dei nomine dicitur*, Unxit te Deus, Deus tuus, *ad expressionem scilicet duarum personarum, reclamantibus Judæis, Sabellio & Marcello, qui unam tantùm deitatis personam agnoscunt. At si quis urgeat lectionem græcorum codicum esse integram, & legendum esse*, duas personas, Deum & hominem, *non multùm repugnabimus; mo-* P. 899.

dò per hominem, Christi simul & hominis personam significari intelligamus; per Deum verò, personam Patris, aut Spiritus sancti.

Hactenus Senensis, cujus interpretatio longiùs distat ab illa Interpretis gallici, de qua antea, & à Chrysostomo omnem prorsus removet erroris Nestoriani suspicionem.

Halesius, cujus notas Savilius in suam editionem transtulit, ita citata S. Chrysostomi verba sic legit, *Duo eumdem esse ostendens, & Deum & hominem*; ut non de Filio solo, sed de Patre & Filio dicatur: ita ut sensus iste sit, Pater & Filius duæ sunt personæ, & unus Deus; Filius autem, & Deus & homo est: quæ profectò sententia verissima est, ac duplici Judæorum errori contraria. Vetustissimum Chrysostomi Interpretem, Mutianum Scholasticum, qui sic legit, *Ostendens eis personas duas, sed unum Deum*, sequutus est Halesius.

Dounæus Anglus alter ita legit: *Duas personas ostendens, & eumdem esse Deum & hominem. Nequaquam*, inquit, *ibi Chrysostomus dicit, Deum & hominem esse duas personas, ut Nestorius; sed Patrem & Filium designatos in istis verbis Scripturæ, Thronus tuus &c.* & *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*, quibus verbis duæ distinguuntur personæ, Pater qui ungit, & Filius qui ungitur.

Ex dictis hactenus, constat duas esse verborum S. Chrysostomi interpretationes. Prima, verba ista, *duas ostendens personas*, non de Christo, sed de Patre & Filio dicta esse contendit; altera verò, de solo Christo dicta intelligit; ita tamen ut personæ nomine natura seu essentia intelligatur, non hypostasis seu persona propriè ac strictè sumpta.

Si verò postules quænam ex his duabus interpretationibus ad verum accedere magis videatur.

De Patre & Filio loquitur S. Chrysostom. Probatur. Resp. primam ad mentem & sententiam S. Chrysostomi longè propiùs accedere nobis videri. Momenta quibus ducimur, ista sunt.

I. Quia eodem planè sensu nomen personæ initio citati textus usurpat adversùs Judæos, quo in fine, adversùs Marcellum, Sabellium & alios: atqui adversùs istos nomen personæ in propria & accurata significatione, pro hypostasi scilicet usurpat, ut certum est; ergo &c.

II. Quia, ut jam observavimus, Chrysostomus personæ nomen nusquam assumit ad significandam naturam & essentiam.

III. Quia S. Chrysostomus verba Prophetæ & Pauli, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus &c.* de duabus SS. Trinitatis personis, Patre & Filio, intelligit Homilia 5. de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos: *Visne*, inquit, *discere ubi Patrem & Filium simul positos Deum & Deum vocet? Audi Prophetam David & Apostolum Paulum hoc ipsum nobis declarantes*: (To. 1. p. 482. F.) Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui .... Propterea unxit te, Deus, Deus tuus &c. Eodem prorsus modo hæc ipsa verba ad Patrem & Filium referunt ex Veteribus S. Cyprianus L. 2. testimoniorum adversùs Judæos; Origenes L. 1. contra Celsum; Eusebius Cæsariensis L. 4. Demonstr. Evang. c. 15. S. Hieronymus Epist. 140. Theophilactus ac Theodoretus Chrysostomi Exscriptores, Comment. in caput primum Epist. ad Hebr.

IV. Quia tam disertis ac conceptis verbis unam in Christo personam agnoscit

ſcit S. Chryſoſtomus in Epiſtola ad Cæſarium Monachum, ut in ſuſpicionem præformati erroris neſtoriani venire nunquam poſſit. *Pium*, inquit, *& valdè pium, Chriſtum qui morte circumdatus eſt, confiteri in divinitate perfectum, unum filium unigenitum non dividendum in filiorum dualitatem: portantem tamen in ſemetipſo indiviſarum duarum naturarum inconvertibiliter proprietates. Non alterum & alterum, abſit; ſed unum & eumdem Dominum Jeſum Deum Verbum, carne noſtra amictum & ipſa non inanimata aut irrationabili, ſicut impius Apollinaris dixit. Iſtis mentem intendamus: fugiamus eos qui dividunt naturam. Etſi enim duplex natura, verumtamen indiviſibilis & indiſſipabilis unitio, in una filiationis confitenda perſona & una ſubſiſtentia.* Non potuit Neſtoriana impietas verbis ſignificantioribus in anteceſſum penitùs confodi & atteri. To.3.p. 745.D. E.

V. Scopus Prophetæ & Apoſtoli, ad quem intendit S. Doctor, poſtulabat ut duplicem Judæorum errorem contra Trinitatem & contra incarnationem, confutaret, oſtendendo Patrem & Filium duas eſſe in Deo diſtinctas perſonas, non unam, ut ipſis videbatur; & Chriſtum Dominum ſimul & Deum & hominem eſſe, quem illi purum ac ſimplicem hominem arbitrabantur.

VI. Probata ſemper fuit & acceptiſſima Cœleſtino S. Pontifici doctrina S. Chryſoſtomi, atque Neſtorium, inter alia multa, novitatis & erroris arguebat, quòd nullus ante ipſum in Conſtantinopolitana Sede idem cum ipſo docuiſſet. Ita S. Pontifex in Epiſtola ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum. Eamdem rationem adducit S. Cyrillus in ſuis ad eoſdem Litteris. *Numquid*, ait, *qui illum* (Neſtorium) *anteceſſerunt, doctrinæ fidei operam non dederunt? Numquid eloquentior eſt Joanne?* Et in altera: *Prædicabant illi* (prædeceſſores Neſtorii) *apud vos, non duos Chriſtos, ſed unum tantùm; eumdem nimirum Deum verum, & hominem rurſus ſecundùm carnem ex muliere ortum.* Tom.3. Conc.p. 365. B. Ibid. p. 333. E. Ibid. p. 441. A.

VII. Denique, citata ex Chryſoſtomo verba tam apertè neſtorianum errorem ſpirant, ut mirum videri debeat ea (ſi vera & genuina forent) nec à Neſtorio, nec à Joanne Antiocheno, cæteriſque Neſtorii amicis ac defenſoribus in patrocinium ſui erroris laudata unquam fuiſſe. Quos illi, quæſo, triumphos egiſſent, quanta arrogantia Catholicis inſultaſſent, ſi tanti viri nomine ac auctoritate tutari ſe potuiſſent! At eos ſcilicet fugit locus iſte Chryſoſtomi. Fugit & Theodoretum, qui in exegeticis Scriptis unum ferè præ oculis habuiſſe Chryſoſtomum videtur, quem exſcribit ac contrahit. An illum verò omiſiſſet, aut S. Cyrillum oppugnans, aut Neſtorium defendens? Fugit & Facundum Hermianenſem Epiſcopum, acerrimum trium famoſorum Articulorum defenſorem. L. 11. cap. 5. S. Chryſoſtomum ad partes ſuas trahere totis viribus nititur. Nonnulla ex ejus Scriptis refert, quæ dictis à Theodoro Mopſueſteno conſentire putat; verùm de propoſita hìc ſententia, ne verbum quidem. Fugit denique prætenſus ille S. Chryſoſtomi locus Caſſianum ejus diſcipulum. Is enim L. 7. de Incarnatione Chriſti c. 30. magiſtrum ſuum defendit, ejuſque auctoritate Neſtorium debellat. *Non res tantùm*, inquit, *blaſphemiis tuis ſunt oppoſitæ, ſed & verba rerum: ut apertè intelligamus, olim adverſùs blaſphemias tuas munimen à Deo inexpugnabile præparatum, quod venturam quandoque vim hæreticæ impugnationis* P. 173. P. 1128

parato jam muro frangeret veritatis. *Et tu, ò impiissime atque impudentissime præclaræ Urbis contaminator, Catholicæ ac sanctæ plebis gravis & exitiosa contagio, stare in Ecclesia Dei ac loqui audes, & blasphemis ac furiosis vocibus tuis Sacerdotes semper illæsæ fidei & Catholicæ confessionis infamas &c?*

Hactenus de famoso S. Chrysostomi testimonio, de quo legi potest docta & elegans Dissertatio eruditi Theologi è Societate Jesu P. Daniel, quæ extat Tomo tertio Collectionis diversorum Operum ipsius, pag. 569. & seq.

Objicies denique S. Hilarium L. 10. de Trinit. n. 16. ubi ait, *Corpori Christi Mariam originem non dedisse; licèt ad incrementa partumque corporis, omne quod sexus sui naturale est, contulerit*. Porrò si Maria corpori Christi originem non dedit, Dei mater dici non potest.

Pagina 1045. C

Resp. hoc ipso argumento, si quid valeret, ostendi, Mariam nequidem Christi matrem dici posse, siquidem *corpori Christi originem non dedit*. Mens igitur ac sententia S. Hilarii hæc est, Mariam corpus Christi cæterorum hominum more, ex commercio viri cum muliere non genuisse, sed operante Spiritu sancto, & carnem Christi ex purissimo B. Virginis sanguine efformante. *Virgo*, inquit ibidem S. Doctor n. 15. *nonnisi ex suo Spiritu sancto genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantùm ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam*. Vide in eum locum, Monachos Benedictinos Operum S. Hilarii editores.

Ib. A.B.

Huc usque impiam Nestorii hæresim validissimis ex Scriptura & Traditione momentis confutavimus. Quæ verò ad personam ejus spectant, indolem animi, fortunam variam, amicos, defensores, turbas & commotiones quas in Ecclesia Christi excitavit, Historicis narranda relinquimus.

Legatur ampla & erudita Præfatio præfixa editioni Operum Marii Mercatoris, junctis Commentatoris P. Garnerii Societatis Jesu Dissertationibus. Legatur Natalis Alexander Doctor sacræ Facultatis, in Historiam quinti sæculi. Accedat & Historia Nestorianismi gallicè adornata ab uno è Societate Jesu Theologo P. Doucin.

Tria dumtaxat, eaque breviter, hìc expendemus.

I. An legitimè & canonicè damnatus ac depositus fuerit Nestorius.

II. An Joannes Antiochenus cæterique Orientales, non tantùm personæ, sed errori Nestorii adhæserint.

III. An S. Cyrillus Nestorium summo ardore impugnans, in alium errorem lapsus fuerit.

Utrum legitimè ac canonicè damnatus & depositus fuerit Nestorius.

In duo extrema opposita hìc nonnulli feruntur.

Sunt qui Nestorium erroris accusant, non tantùm contra Incarnationis Mysterium, sed etiam contra Trinitatem, negata cum Ario Verbi consubstantialitate; & cum Sabellio, personarum reali distinctione.

Sunt è contra quibus Nestorius ab omni, etiam contra Incarnationem, errore purus videtur, ac de solo nomine, seu, ut ait Socrates, de una *vocula* litem ipsi intentatam fuisse contendunt. *Vocula* autem illa est *Deiparæ* appellatio, à qua totus animo refugiebat Nestorius; in qua tamen una totius

tius Mysterii Incarnationis veritas ac substantia, & quasi summa continetur: unde vox θεοτόκος in præsenti causa, tessera est fidei, sicut ὁμοούσιος in causa SS. Trinitatis. Qui Nestorium ab errore circa Incarnationem purum vindicant, consequenter asserunt eum illegitimè ac injustè damnatum & depositum fuisse. Ita ex Calvinistis Albertinus in Opere de Eucharistia, Ægidius Gaillard, Joannes Crojus, David de Rodone qui famosum *De supposito* Librum eo consilio scripsit, ut Nestorium absolveret; è contra verò Cyrillum, totamque Ephesinam Synodum probris ac contumeliis lacesseret.

Alii inter hæc duo extrema medium tenent. Erroris circa Incarnationem Nestorium reum fatentur, quod nos ipsi ostendimus, prolatis in medium ejus verbis initio hujus Tractatus pag. 51. & seq. cùm varios circa Incarnationem errores exponebamus: ab erroribus verò circa Verbi consubstantialitatem, & distinctionem realem personarum absolvunt, sequuti Vincentium Lirinensem in Commonitorio c. 16. ubi ait, *Nestorium, ut uni suæ hæresi aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectatum esse.* *Bibliot. PP. T. 7. p. 253. F.*

Eleganter omnino ac verè Commentator Marii Mercatoris Differt. 1. de hæresi & Libris Nestorii, pag. 283. ait: *Nonnulli opinantur Nestorium vel nullatenus errasse, quod dictu impium; vel leviter, quod temerarium; vel ultra modum, quod injustum..... Scelus est,* pergit ille, *hominem sceleratissimum absolvere; & injustitia, hominem sceleratissimum alienis criminibus onerare.*

Nestorius Germanicia oriundus oppidulo Syriæ, quamquam Marcellinus Antiochiæ natum prodidit. Addit Cassianus, in eadem urbe institutum, ac baptisatum adhuc infantem: scribit Evagrius, monasticam vitam eum professum in Laura sancti Euprepii prope Antiochiam; cùmque diu se exercuisset, atque parum in liberalibus disciplinis profecisset, ait Theodoretus hæreticarum fabularum Lib. 4. n. 12. factus est ex Monacho Presbyter à Theodoro Episcopo. Socios habuit in Monasterio, Joannem, postea Episcopum Antiochenum, & Theodoretum; Præceptorem verò Theodorum Mopsuestenum, cujus errorem circa Christum avidiùs combibit. Pulcherrima & maxima voce præditus ille erat, dicendi facundia celebris; moribus in speciem austeris, fucata modestia ac pietate. Mortuo Sisinnio Constantinopolitano Episcopo, cùm Clerus in partes varias divisus esset, & alii Proclum, alii Philippum Presbyterum ad illius regimen Ecclesiæ promovere conarentur, ac vix ulla concordiæ spes affulgeret, à Theodosio juniore anno 427. ad Sedem Constantinopolitanam evehitur, ibique ordinatus. *Theod. T. 4. p. 244. B. C.*

Tùm brevi post conceptum errorem evomere cœpit, primò aliorum arte ac ministerio, tùm suis & Sermonibus & Quaternionibus. De novo grassante errore Cœlestinum pro more monuit Cyrillus Alexandrinus; monuit & Nestorium, tùm S. Pontifex, tùm Cyrillus ipse: at cùm nihil profecissent, coacta est an. 431. Ephesina Synodus, quæ post diligentem & accuratam, ut rei gravitas postulabat, discussionem, Nestorium ejusque impium errorem anathemate percutit, eumque ab Episcopatu depositum, in exilium amandat Imperator, ubi exesa à vermibus lingua miserè periit. Hæc quæ fusiori stylo Historici prosequuntur, paucis contraho, ut aliis dogmaticis quæstionibus quæ supersunt, pertractandis, per tempus ac præfixos huic Tractationi limites nobis liceat.

CON-

CONCLUSIO.

Nestorius legitimè ac canonicè ab Ephesina Synodo damnatus ac depositus fuit.

Probatur: Quia conditiones omnes ad canonicam & legitimam damnationis & depositionis sententiam istæ requiruntur: criminis notitia & probatio; testium fides non suspecta: diligens & accuratum examen; diluendi objecti criminis plena reo concessa facultas; legitima in Judicibus auctoritas; in reo pertinacia. Atqui omnes istæ conditiones in sententia damnationis ac depositionis contra Nestorium à Concilio generali Ephesino pronuntiata reperiuntur, ut constat ex Historia & Actis Concilii Ephesini.

Publica & omnibus nota erat impietas Nestorii, ad quam infremuerat universa plebs Constantinopolitana, tùm cùm ore primùm Anastasii Presbyteri, tùm suo apertè declaravit B. Virginem Deiparam non esse. Testes fuere quotquot utrumque concionantem audiverunt; testis S. Cyrillus; testes ducenti Episcopi Ephesi congregati, qui summa cura & diligentia Nestorii Sermones, Quaterniones, Scripta excusserunt, facta eorum cum Symbolo Nycæno, ac SS. Patrum, quos referunt, sententiis, comparatione. Plena criminis diluendi facultas Nestorio concessa, qui tertiò à Patribus Concilii honestè invitatus, ac monitus ut se Concilio sisteret, contumaciter recusavit, nequidem in conspectum suum admissis Concilii Legatis.

Act. 1. Conc. Ephes. To. 3. Conc. p. 508. & seq. Ibid. p. 453-436. 460.

Plures, quàm decem dierum, induciæ, quas S. Pontifex Cœlestinus præfixerat, ipsi concessæ: Synodus etenim indicta fuerat ad diem Pentecostes septimam Junii; dilata nihilominus Patrum indulgentia ad diem vigesimam secundam ejusdem mensis, ut ipsi resipiscendi locus, & Joanni Antiocheno adventandi tempus daretur. Episcopis verò, qui Judices sedebant, annon plena & legitima fuit à Christo Domino concessa auctoritas? Annon ipsis datum est *regere Ecclesiam Dei*, ac concreditum fidei depositum servare? *Dic Ecclesiæ*, id est, Ecclesiæ Præpositis; *& si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Magna igitur fuit in Nestorio animi pertinacia, qui tot Episcoporum, etiam in variis ante generalem Ephesinam Synodis congregatorum, judicio acquiescere noluit. Observat enim Marii Commentator Garnerius, plures ante Ephesinam habitas in causa Nestorii particulares Synodus: Romæ quatuor; totidem Alexandriæ; Constantinopoli quatuor; duas saltem ab Orientalibus, priorem Antiochiæ ante pacem Ecclesiarum, posteriorem Berœæ. Singulas ille percurrit Tom. 2. Marii Mercat. Dissert. 2. p. 331. & seq. Tandem anno 431. œcumenica Synodus Ephesina in contumacem Nestorium sententiam damnationis ac depositionis pronuntiavit his verbis: *Sancta Synodus dixit: Cùm præter cætera impiissimus Nestorius neque nostræ citationi parere, neque sanctissimos religiosissimosque Episcopos à nobis destinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quæ impiè docuit, examinationem animum non adjungere. Deprehendentes itaque partim ex Litteris Commentariisque ipsius, partim ex Sermonibus, quos nuperrimè in hac Ephesiorum Metropoli habuit, quique testimoniis comperti sunt, illum impiè sentire & predicare: coacti per sacros Canones, & Epi-*

Act. 20. v. 28. Mat. 18. v. 17.

Actione 1. Conc. Ephes. Tom. 3. Conc. p. 533.

Epistolam sanctissimi Patris nostri & Comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lachrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessariò venimus. Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse definit.

Hanc depositionis sententiam Synodus ad Nestorium transmisit cum hac epigraphe: *Sancta Synodus.....* Nestorio novo Judæ. *Agnosce te, propter impias prædicationes tuas & adversùm Canones contumaciam, vigesimo secundo die mensis Junii præsentis, juxta Ecclesiasticarum Sanctionum decreta à sancta Synodo depositum; atque ab omni Ecclesiastico gradu alienum esse.* *Ibid. p. 549. A.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Quo tempore pronuntiata fuit in Nestorium sententia, Synodus Ephesina verè œcumenica non erat: nondum enim advenerant Legati Cœlestini S. Pontificis; aberat Joannes Antiochenus cum suis; aberat & ipsemet Nestorius Constantinopolitanus: nonnulli ex parte ipsius Episcopi contestati jam fuerant, se tanquam nullum & irritum habituros quidquid in absentia Joannis & aliorum Orientalium adversùs Nestorium actum fuisset. Ergo tunc legitima & canonica non fuit lata in Nestorium depositionis sententia. *Extat contestatio Synodica c. 9. Nov. Collect. Conc. p. 701.*

Resp. 1. nego ant. Legitimè convocata fuerat Synodus, legitimè ac canonicè celebrata, vocatis qui vocandi erant. Aderant Episcopi ducenti, S. Pontifex Cœlestinus suas & totius Occidentis vices Cyrillo Alexandrino commiserat: suam uterque sententiam synodicè jam pronuntiaverat, Cœlestinus Romæ, Cyrillus Alexandriæ: ter vocatus Nestorius, venire recusavit; aliunde reus ille erat, qui fidei suæ rationem coram Synodo reddere tenebatur: Joannes verò Antiochenus, plùs æquo in Nestorium propensus, diu expectatus, de industria moras nectebat, ut amico faveret. *Tanta enim dilatione*, ait Synodus in Relatione ad Cœlestinum, *malitiosè usus est, cùm ipsum anteverterint qui longè majori viarum intercapedine distarent.* Inter Episcopos autem quos Joannes secum adduxerat, ex quibus Conciliabulum suum Ephesinum composuit, *alii erant extorres, otiosi, Ecclesiisque carentes: alii ante multos annos ob graves culpas à suis Metropolitanis depositi: cum ipsis etiam Pelagiani & Cœlestiani &c.* Vide Relationem Synodi ad Cœlestinum. Contestationis verò aliquorum Episcoporum nullam rationem habuit Synodus. Denique Legati Summi Pontificis subinde rata & firma habuerunt, quæcumque acta in Nestorium fuerant. Ergo plena & integra stat sua œcumenicæ Synodo Ephesinæ auctoritas. *Act. 5. Conc. Ephes. Tom. 3. Conc. p. 659. E. Ibid. p. 663. A. B.*

Resp. 2. nego conseq. Quasi canonica & legitima non foret sententia, quæ ab alia, quàm ab œcumenica Synodo pronuntiaretur? aut Ecclesiæ dispersæ consensus non sufficeret, ad firmam & inconcussam latæ alicujus sententiæ auctoritatem?

Instabis: Et Joannes Antiochenus expectari debuisset, & Nestorius tribus distinctis vicibus intra certum tempus citari: atqui observatum istud non fuit.

Resp. 1. Joannem de industria, ut mox dictum est, moras traxisse; culpa igi-

pa igitur ejus fuit, si citiùs Ephesum non appulit, quòd nempe particeps noluit esse pronuntiatæ in amicum Nestorium sententiæ. Quæ in Conciliabulo Ephesino postea gessit Joannes, malè affectum ejus animum manifestant.

Resp. 2. tribus distinctis vicibus, juxta Imperalia Constituta, vocatum ac citatum fuisse Nestorium, quod ad formam juris sufficiebat: neque enim intervallum temporis, quod intercedere debet inter unam & alteram citationem, fixum ac determinatum erat. Monitiones suas canonicas vocant ipsimet Patres Ephesini, Actione 1. pag. 460. Quin & in Concilio Chalcedonensi, ter eadem die appellatus Dioscorus, damnationis sententiam pariter reportavit.

To. 4. Conc. p. 384.

Objicies 2. Cyrillus Nestorio suspectus meritò erat, cum quo graves gerebat inimicitias, unde sese mutuò erroris incusabant. Aliunde, Cyrillus, ipso Imperatore teste, fervidioris erat animi, ac turbarum plùs æquo amans. *Scitio*, inquiebat Theodosius in Epist. ad Cyrillum; *magnam à te rerum perturbationem excitatam esse*. Deinde verò, jam sententiam suam in particulari sua Synodo Cyrillus aperuerat: qua igitur æquitate, non tantùm ut Judex, sed etiam ut Præses in Ephesina Synodo sedere potuit? Tandem culpam suam agnovisse videtur Cyrillus, cùm absolvi voluit ab excommunicatione quam in eum tulerat in Conciliabulo Ephesino Joannes Antiochenus.

To. 3. Conc. p. 433. D.

Resp. ad primum, S. Cyrillum Nestorio, antequam hæreticus factus sit, amicum fuisse; hæretico verò pertinaci strenuè obstitisse, non in felle amaritudinis, sed studio fidei & charitatis.

Ad secundum: Solent Hæretici Principum animos quantùm possunt, suis mendaciis ac calumniis contra Catholicos occupare. Gratia & auctoritate plurimùm in Aula valebat Nestorius Regiæ Urbis Antistes, Candidiani & Irenæi fretus præsidio: quid ergo mirum, si Cyrillum, tanquam virum inquietum, turbarum ac dissidiorum auctorem apud Theodosium accusaverint, quas solus sua novitate Nestorius excitaverat? Deceptus est Imperator, ut sæpe fit, falsa hæreticorum hominum relatione: at postea comperta veritate, calumniam agnovit, & quo par erat loco Cyrillum strenuum fidei defensorem habuit.

Ad tertium: Annon licet Episcopis sæpius, ut fert occasio & Ecclesiæ necessitas, suum de rebus ad Religionem pertinentibus interponere judicium? Nonne Alexander in sua privata Synodo damnatum Arium, postea in Concilio Nicæno iterùm damnavit? Quidni ergo idem potuit Cyrillus in Nestorium? Apage ineptias hujusmodi. Inde quippe sequeretur, nullam ferè hactenus legitimam habitam fuisse Synodum œcumenicam, quia vix ulla fuit, in qua, qui Judices sedebant Episcopi, suam jam antè non protulissent sententiam.

Ad quartum: Quamquam Memnon Antiochenus & Cyrillus Alexandrinus injustam ac notoriè irritam agnoscerent excommunicationis sententiam quam in ipsos tulerat Joannes Antiochenus, attamen ex œconomia quadam ac pacis restaurandæ studio, ne fortè scrupuli aliquid in animis simplicium resideret, ab illa absolvi postularunt.

Objicies 3. Iidem simul judices, testes & accusatores esse non possunt: atqui Cyrillus, Theodotus Ancyranus, & Acacius Melitensis in Concilio Ephesino judices, testes & accusatores fuerunt.

Resp.

Resp. Cyrillum propriè nec testem nec accusatorem fuisse erroris Nestorii. Plebs ipsa universa Constantinopolitana contra impietatem reclamavit & insurrexit: Monachi ejusdem Urbis novitate doctrinæ turbati, supplici Libello ab Imperatoribus Synodum postulant, cujus auctoritate error, ne longiùs serperet, proscribatur: non alias autem partes hic egit Cyrillus, quàm peritissimi Doctoris, ac fidei defensoris eximii. *Cum fides tam insigniter lædatur*, ait in Epistola ad Nestorium, *totque passim sint infecti, qui tandem tacere hic licuit? Annon ante Tribunal Christi sistemur? An intempestivi silentii rationem reddituri non sumus?* To. 3. Conc.p. 425. Ibid. p. 313. C. D.

Addit ibidem, turbas excitatas fuisse, non quidem à se, sed ab Homiliis ipsius Nestorii, quæ non sine grandi Fidelium offensione ac scandalo ubique circumferebantur, & ipsimet S. Pontifici Cœlestino innotuerant, cujus rei veritatem anxiè sciscitabatur. Si quid verò alii duo Episcopi mox appellati, contra Nestorium protulerunt, non ut accusatorum personam sustinerent, protulerunt, sed (quod Judicibus semper licitum fuit) ad confirmationem sui, quod ferebant, judicii.

Objicies 4. Immeritò erroris circa Incarnationem damnatus est Nestorius, qui B. Virginem Deiparam fateri non renuebat, modò dea non diceretur. Serm. 5. n. 4. *Si quis*, inquit, ... *hac voce Teotocos gaudet, apud me nulla est de voce invidia: tantùm ne Virginem faciat deam.* Et Serm. 12. num. 7. *Damna eos*, inquit, *qui dicunt, secundùm Apollinaris & Arii sensum, Dei genitricem; & ego unà tecum clamo Θεοτόκον .... Filius Dei natus est, Deus Verbum & homo, ergo quæ peperit, propter unitatem dicatur Dei genitrix.* Apud Mar. par. 2. pag. 30. Ibid. p. 86. Ibid. p. 88. nu. 22.

Resp. dist. maj. B. Virginem Deiparam confiteri non renuebat, subdolo & hæretico sensu, ob unionem dumtaxat accidentalem & moralem utriusque naturæ in Christo, in quo tanquam in templo divinitas inhabitabat, concedo: sensu catholico, nego. Vide quæ suprà Qu. 1. Art. 4. congessimus à pag. 51. ad pag. 58. Sufficiat hic sensum, quem ipsemet Nestorius aperit in Epistola 1. ad Cœlestinum, exponere. *Ferri*, inquit, *potest hoc vocabulum (Θεοτόκον) propter ipsam considerationem, & quod solùm nominetur de Virgine hoc verbum, propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa; non quia ipsa mater sit Dei Verbi; nemo enim antiquiorem se parit.* Aperta hæc sunt, non obscura, non involuta. Inde est quòd Synodus V. œcumenica Collat. 8. Canon. 6. observat Nestorium abusivè, non verè dicere sanctam gloriosam semper Virginem Mariam Dei genitricem esse. To. 3. Conc.p. 351. A. To. 5. Conc.p. 571.

Instabis 1. Semper contestatus est Nestorius, se vocem *Deiparam* sensu dumtaxat Apollinaris & Arii rejicere, qui, ut ait in mox citata ad Cœlestinum Epistola, *Dominicam in homine unionem ad cujusdam contemperationis confusionem passim commiscent; adeo ut & quidam apud nos Clerici blasphemant .... Deum Verbum Patri homousion, tanquam originis initium de Christotoco Virgine sumpsisse .... & carnem post resurrectionem in naturam transisse deitatis.* To. 3. Conc.p. 350.

Resp. animo planè subdolo & hæretico id contestatum fuisse Nestorium: at reipsa dum unum Arii & Apollinaris sensum rejicere se fingit, alium æquè impium & execrandum apertè declarat, nempe B. Virginem non genuisse personam quæ simul verè ac substantialiter Deus & homo sit. Istud porrò Hæ-

ro Hæreticis ferè omnibus solemne semper fuit, doctrinam suam excusare obtentu ac studio declinandi oppositam erroneam: sic contestabantur Ariani, ut à Sabellianis recederent; Pelagiani, à Manichæis; Eutychiani, à Nestorianis; Monothelitæ, ab Eutychianis; Nestoriani ipsi, ab Arianis & Apollinaristis. At Catholicos in fraudem non inducit simulata hæc ac mendax professio; veritas enim catholica ab extremis erroribus æqualiter distat & abhorret.

Instabis 2. Nestorius unam dumtaxat in Christo admisit personam; atque in eo Cyrillum laudat, quòd duarum naturarum conjunctionem
Ibid. p. in una Christi persona admitteret. *In eo autem laudo*, ait in Epistola ad Cy-
314. C. rillum n. 2. *quòd distinctionem naturarum, secundùm divinitatis & humanitatis rationem, harumque in una persona conjunctionem prædicas*. Cohærenter Nestorius non duos, sed unum Christum; non duos, sed unum filium agnoscit.
Apud Mar. Mercat. par. 2. pag. 9. Sermone 2. *Christus*, inquit, *secundùm quod est Christus, indivisus est; & Filius, secundùm quod est Filius, indivisus est. Non enim habemus duos Christos, vel duos Filios; neque est apud nos primus Christus, & secundus; neque alter & alter: neque iterùm alter Filius, & iterùm alter Filius; sed idem ipse est duplex, non dignitate, sed natura.*

Resp. ad primum, dist. Nestorius unam admisit personam, moraliter seu unam unitate affectus voluntatis ac concordiæ, concedo: unam physicè, seu unam unitate physica & personali, nego. Lege quæ superiùs dicta sunt à pag. 51. usque ad pag. 58. Turpi huic æquivocationi ac effugio locum præclusit Synodus V. generalis Collat. 8. Can. 4. his verbis. *Si quis dicit, se-*
To. 5. Conc. p. 570. C. *cundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm æqualitatem honoris, vel secundùm auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, vel secundùm bonam voluntatem, quasi quòd placuit Deo Verbo homo, eo quòd benè visum ei de ipso, sicut Theodorus dixit: vel secundùm homonymiam, per quam Nestoriani Deum Verbum Filium & Christum vocantes, & hominem separatim Christum & Filium nominantes, & duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam personam, unum Filium, & unum Christum confingunt dicere. Sed non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundùm compositionem sive secundùm subsistentiam factam esse, sicut SS. Patres docuerunt, & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de SS. Trinitate, talis anathema sit.*

Ad secundum, eadem est responsio. Dolosè ac fraudulenter non duos, sed unum Filium dicit Nestorius, unum scilicet moraliter, affectu, concordia &c. non physicè, hypostasi ac persona.

Instabis 3. Eam unionem inter utramque naturam in Christo admisit Nestorius, ex qua, ipsomet fatente, sequitur reciproca proprietatum, seu, ut
Tom. 3. Conc. p. 325. D. ajunt, idiomatum communicatio. *Rectum proinde, Evangelicæque traditioni consentaneum est*, ait Epistola ad Cyrillum, n. 3. *ut Christi corpus divinitatis templum esse confiteamur, illudque nexu usque adeo sublimi, divinoque & admirabili ipsi conjunctum, ut dicamus divinam naturam ea sibi vindicare, quæ corporis alioqui sunt propria.* Porrò unio ex qua sequitur reciproca proprietatum utriusque naturæ communicatio, verè hypostatica est ac personalis.

Resp.

Resp. dist. maj. Si verè ac sincerè illam communicationem admisit, concedo: si dolosè, fraudulenter, & ad fucum dumtaxat faciendum, nego. Porrò quæ immediatè post subjungit Nestorius, malam ejus fidem, aut ignorantiam manifestè produnt. *Verùm*, pergit ille, *propter hanc appropriationem, divino Verbo adscribere nativitatem, passionem, mortem, cæterasque carnis proprietates, id demum, mi frater, mentis est aut Ethnicorum more verè errantis, aut certè insani Apollinarii & Arii, aliorumque Hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis.* Negat hic Nestorius, quod modò concesserat, *divinam nempe naturam ea sibi vindicare, quæ corporis propria sunt.* Ergo vel sibi crassè contradicit, vel fallit; vel quod scribit, non intelligit. *Ibid. E.*

Instabis 4. Nestorius Serm. 12. affirmat Christum esse Deum, & insaniam Pauli Samosateni, asserentis Christum esse purum ac nudum hominem, procul à se removet; ergo &c. *Apud Mar. Mercat. Par. 2. pag. 85.*

Resp. Socinianos etiam fateri Christum Deum esse; sed quo sensu? eo ipso quo Nestorius: nempe, per gratiam, auctoritatem à Deo acceptam, per adoptionem, dignitatem, honorem &c. non per naturam atque substantiam; anathematismo enim primo, damnat eos qui dixerint *eum, qui est Emmanuel, Deum esse verum, & non potius à Deo inhabitatum.* *To. 3. Conc. p. 413. C.*

Objicies 5. eorum auctoritatem qui Nestorium ab errore purum fuisse testantur. Ita

I. Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus in Epistola ad Nestorium 1. parte Conc. Ephesini c. 25. significat eum cum cæteris SS. Patribus idem sentire, & à voce *Deipara* dumtaxat abhorrere, quamquam pium ejus sensum non aversetur. *Ibid. p. 392. D. E.*

II. Idem testatur Acacius Beroensis Episcopus in Epistola ad Cyrillum, ubi etiam multos alios testes laudat. *Ibid. p. 384.*

III. Accedit & Theodoretus Epistola 2. ad Alexandrum Hierapolitanum, Epistola ad Andræam Samosatenum.

IV. Socrates L. 7. Hist. c. 32. ubi declarat, excussis omnibus causæ Nestorii momentis, sibi videri, eum neque cum Paulo Samosateno, neque cum Photino sentire, *sed solam Deiparæ vocem tanquam larvam reformidare.*

V. Idem testantur Diodorus Tarsensis, & Theodorus Mopsuestenus: utrumque verò Catholicæ fidei vindicem fuisse probat Facundus in defensione trium Capitulorum.

Resp. hæc testimonia nunquam præponderare posse Judicio ducentorum Episcoporum, qui Nestorium contumacem hæreticum anathemate percusserunt, & à Sede Episcopali, quam obtinebat, dejecerunt in Concilio generali Ephesino: item testimoniis tot Monachorum, tot Presbyterorum, imò & Laicorum, totiusque plebis Constantinopolitanæ, qui omnes summo religionis ardore in Nestorium statim insurrexerunt.

Joannes Antiochenus Nestorio amicissimus fuit: culpam, quantùm potuit, elevavit, personæ favit, non errori. Fortè cùm ad Nestorium scripsit, nondum plenè evolutus ac distinctus erat amici error; quamobrem utcumque illum emollire ac extenuare conatus est: subinde tamen comperta rei veritate, ab illo recessit.

Idem dicendum de Acacio Beroensi. Idem & de Theodoreto, qui

totus

totus primùm Nestorio addictus, deinde ipsi anathema dicere in Concilio Chalcedonensi coactus fuit, cujus etiam errorem memorat in Libris hæreticarum fabularum.

Socrates vix audiendus: cùm Theologum agit, extra metam excurrit, nec quidquam ponderis & auctoritatis habere potest. Idem esto de aliorum, qui appellati sunt in gratiam Nestorii, testimoniis.

Utrum Joannes Antiochenus cæterique cum ipso Orientales, non tantùm personæ, sed etiam errori Nestorii adhæserint?

Quæ in gratiam Nestorii egerit Joannes Antiochenus, nemo ignorat. Eò temeritatis & audaciæ processit in suo Ephesino Conciliabulo, ut & Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Antiochenum sententia excommunicationis percellere non erubuerit. Hinc assertæ impietatis nestorianæ vehementer suspecti fuerunt apud Patres Ephesinos: an verò reipsa non tantùm personæ, sed etiam errori Nestorii adhæserint, disputatur.

To. 3. Conc p. 595.

CONCLUSIO.

Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus, personæ dumtaxat Nestorii, non ejus errori adhæsit.

I. Non adhæsit ante Concilium. Siquidem in Epistola quam ad Nestorium scripsit, hortatur eum ut & vocem, & sensum *Deiparæ* admittat, tanquam à Patribus usurpatum, & mysterio divinæ dispensationis exprimendo idoneum maximè & accommodatum. *Cùm ergo*, inquit n. 3. *hoc periculosum non sit, æquum non est ut sanctitas tua illud refutet; neque id nunc apud se cogitet, turpe esse sibi pugnantia docere. Si enim mens tua eadem sapit & sentit, quæ sancti Patres Ecclesiæque Doctores sentiunt & sapiunt.....quorsum veteris pium sensum convenienti voce publicare?* Et n. 4. *Ego verò, non ad probrosam aliquam orationis correctionem, neque ad puerilem palinodiam, ut sic loquar, pietatem tuam invito; sed quia multi, ut intelligo, non infrequenter ex te audierunt, quòd ipsam solam vocem, non piam quoque ipsius vocis notionem aversaris: si qui verò celebrioris famæ Ecclesiastici auctores tibi fuerint, ut ipso quoque nomine admisso, sacram Virginem Mariam Deiparam appelles, te istud neutiquam recusaturum esse. Hanc ob rem te moneo, hortorque, ut libera id voce depromas, quod citra errorem sapere certò dignosceris..... Etenim si id quod nominis significatione offertur, non recipimus, restat ut in gravissimum errorem prolabamur; imò verò ut inexplicabilem illam unigeniti filii Dei œconomiam abnegemus: quandoquidem nomine hoc sublato, vel hujus potius nominis notione repudiata, sequitur mox illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causa suscepit &c.* Hæc certè verba hominis non sunt errori Nestorii adhærentis.

Ibid. p. 389. D.

Ibid. p. 392. D.

Ibid. p. 395. A.

II. Non adhæsit in Concilio. In tota scilicet Actorum Conciliabuli Ephesini serie, ne verbum quidem extat de approbata Nestorii doctrina: atque Sixtus S. Pontifex in Epistola quam post initam pacem scripsit ad Cyrillum

Ibid. p. 1177. A.

rillum expresse ait: *Non se exuli vestro sanctus frater noster Joannes addiderat; non ejus est blasphema prædicatione deceptus; nam quantum rerum exitus docet, suspendit sententiam suam, non negavit.*

Et sanctus Cyrillus Epistola ad Valerianum Episcopum, *Religiosissimi*, ait, *totius Orientis Episcopi, unà cum domino meo Joanne.... scripta dilucidaque confessione omnibus palam fecerunt, se profanas Nestorii vocum novitates æquè ac nos condemnasse & anathematisaße, seque nullo unquam loco eas habuisse.* Ibid. p. 1176.A.

Rursus Epistola ad Acacium Melitenum, qui per Epistolam conquestus fuerat, Cyrillum Orientalibus tandem consensisse, sic loquitur: *Quia verò sanctissimi Orientales Episcopi cùm Ephesi essent, à nobis dissentiebant, eaque de causa, quasi blasphemiarum Nestorii laqueis irretiti tenerentur, suspecti erant; ut eo crimine se liberarent, inculpatæque fidei amatoribus per omnia satisfacerent, ac nestorianæ impietatis se expertes esse ostenderent, apologiam composuerunt, & id quidem admodum prudenter, tantùm abest ut hoc ipsorum factum aliqua omnino nota aut reprehensione dignum videatur .... Quid igitur temerè convitiis insectantur sanctissimos Phœniciæ Episcopos, eorum consensum novum symbolum appellantes, quem illi utiliter & necessariò ediderunt, ut nimirum se purgarent, eosque demulcerent, qui ipsos nestorianam doctrinam approbare existimaverant.* Scilicet cùm Nestoriani pacem ac concordiam inter Cyrillum cæterosque Orientales initam esse intellexissent, nihil non moverunt ut conviciis ac mendaciis eam perturbarent. *Vehementer propter sanctarum Ecclesiarum pacem consternati*, ait ibidem S.Cyrillus, *eos qui eadem cum ipsis sentire nolunt, malitiosissimè lacerant, sanctorumque Episcoporum, Orientalium inquam, apologiam non absque amarulentia proscindunt.* Sese in omne latus vertebant pacis ac fidei hostes, ut dissidia inter Episcopos spargerent: *Quibus sanè*, ait eleganter ibidem Cyrillus, *ejusmodi quidpiam accidisse videtur mihi, quod illis evenire solet, qui cùm natare nesciant, è navi tamen subitò prolapsi sunt. Hi enim postea quàm mergi incipiunt, pedes manusque hac illac incompositè jactant, retinendæque vitæ cupidi, quidquid in manus fortè venerit, id temerè arripiunt miseri. An non verè dici potest, eos vehementer perturbatos consternatosque esse, quòd se desolatos, & extras eas Ecclesias ejectos pulsosque animadvertunt, quas sibi adjumento futuras sperabant?* Ibid. p. 1117.B. Ibid. A. Ibid. p. 1116. C. D.

III. Multò minus post initam inter Ecclesias pacem, Joannes Nestorii impietati adhæsit, quam simul cum auctore suo publicè damnavit. Fatetur ingenuè ipsemet Joannes, scribens ad Sixtum S.Pontificem, se primùm Nestorii depositioni ac damnationi consensisse, atque ægrè tulisse, quæ adversùs ipsum acta fuerant: verùm, addit, *cùm mutuis inter se discordiis Ecclesiæ dissiderent, unumque illud omnes maximè curare oportere visum esset, ut omni dissidio sublato, amicè inter se iterum congruerent.... placuit & nobis quoque, in sanctæ Synodi sententia, qua Nestorium deposuit, acquiescere, ipsumque pro deposito habere, ac blasphemam illius doctrinam anathematisare; eò quòd nostræ Ecclesiæ, perinde ac vestra sanctitas, rectam semper inculpatamque fidem tenuerint, ac servaverint, eamdemque populis tradiderint. Assentimur etiam Ordinationi Maximiani.... & cum universi orbis religiosissimis Episcopis, quicumque orthodoxam sinceramque fidem habent, eamque servant, communicamus.* Ibid. p. 1088.E. Ibid. p. 1089.A.

Dices: Pluribus in locis Patres Ephesini Joannem cum suis erroris accusant. Epistola Synodica ad Clerum Constantinopolitanum, *Joannem Antiochenum*, ajunt, *& qui cum illo faciunt, in facie Ecclesiæ, jam anathematisavimus: primùm quidem, quòd impietatis præconem Nestorium unà nobiscum deponere noluerunt, sed & familiariter cum illo versati, eidem semper patrocinari perrexerint . . . . Postremò autem, quòd cum Nestorio sentire nequaquam cessant.*

Ibid. p. 770. B.

Ibid. p. 1044. B. Et S. Cyrillus in sua ad Imperatorem Apologia. *Qui Antiochiæ Ecclesiæ præest*, inquit, *à vestra Majestate ad præfinitum diem adesse jussus, à sancta Synodo abfuit. Studio enim in itinere hærebat, ut ea cunctatione illius improbitati gratificaretur, qui contra Christum nugatus fuerat; vel etiam (quod verisimile est, aut verum potius & indubitatum) quòd eadem cum illo sentiret.*

Idem in Epistola ad Clerum Constantinopolitanum, de Orientalibus ita scribit: *Illud quoque sciatis, nempe, cùm fidei expositionem componerent, inter se contendisse, & in ea altercatione etiamnum versari. Nam alii ex illis sanctæ Virgini Deiparæ appellationem concedunt, ut etiam fatentur illam hominis matrem: alii verò prorsus negant, adduntque paratiores se esse ut manus suas amputandas præbeant, quàm ut hujusmodi voci subscribant. Ubique autem turpiter se gerunt, hæreticos se declarantes.*

Ibid. p. 762. A.

Resp. meritò Joannem cum suis erroris nestoriani suspectum fuisse, ob tam apertum quod Nestorio impendit patrocinium; nec improbanda illa suspicio, quæ tot firmis nixa erat momentis. Verùm ex eventu manifestum est, eos ex animo errori non adhæsisse, sed tantùm ex nimia propensione ac immoderata amicitia personæ Nestorii plùs æquo favisse. *Joannem Antiochenum*, ajunt Patres in Relatione ad Imperatores per Palladium missa, *ita animo comparatum esse odorati sumus, ut qui amicitiæ mallet gratificari, quàm fidei utilitatem spectare, ex eo conjecturam facientes, quòd neque Majestatis vestræ minas veritus, neque piæ fidei jam inde ab initio traditæ zelo permotus, sanctam Synodum post terminum à vestra Majestate præstitutum, per dies viginti & unum suspensam tenuisset... Erat autem hæc nostra de Joanne Episcopo religiosissimo suspicio non inanis, nec vana. Nam cùm primùm appulisset, Nestorii sententiæ sese adhærere, apertè sanctæ Synodo declaravit: sive hoc inde evenerit, quòd amicitiæ gratificaretur; sive inde, quòd in dogmatis errore cum eo communicaret.* Rem quasi in dubio ac suspenso relinquit Synodus: *ex conjectura, & suspicione* dumtaxat, Joannem errori Nestorii adhæsisse affirmat.

Ibid. p. 737. C.

Ib. D.

Ad verba S. Cyrilli ex Epistola ipsius ad Clerum Constantinopolitanum, dico S. Doctorem vel non omnes Orientales designare voluisse, sed tantùm Nestorianos quosdam, scilicet Helladium, Himerium, & Dorotheum, iisque junctos Pelagianos; vel si omnibus notam hæreseos inussit, priorem de illis emendasse sententiam, discussis contentionum nebulis.

Instabis. Joannes Antiochenus & Orientales Capitula seu Anathematismos S. Cyrilli errori nestoriano directè contrarios impugnarunt, imò & Synodum ipsam Ephesinam contumeliosè irriserunt, explosa ejus auctoritate.

Resp. non errore juris & odio fidei, sed tantùm errore facti oppugnatos à Joanne aliisque Orientalibus Cyrilli Anathematismos, ac explosam aliquando Synodi Ephesinæ auctoritatem: quia scilicet errore facti arbitrabantur

tur illi, S. Cyrillum, dum Nestorium expugnabat, in oppositum errorem Apollinaris declinasse, ac Synodum Ephesinam verè Oecumenicam non esse, propter absentiam Joannis Antiocheni & Orientalium qui eum sequebantur: at in utroque facto illi aberrabant.

Utrum S. Cyrillus Nestorium impugnans, in oppositum errorem lapsus fuerit.

Cyrillus Christum in duos à Nestorio divisum; Nestorius vice versa, confusas à Cyrillo duas Christi naturas criminabatur: Cyrillus Scripta Nestorii variis anathematismis confutabat; Nestorius vicissim, Cyrillo alios opponebat anathematismos. Hinc Arii, inde Apollinaris reciproca erroris insimulatio; quo in conflictu quantùm divisis hinc & inde animis Ecclesiæ pax & concordia miserè turbata fuerit, ignorat nemo: at tandem vicit Cyrillus, aut potius vicit in eo ac triumphavit fidei veritas.

Cùm Scriptor recentior paulò liberiùs minùsque reverenter de S. Cyrillo scripsisset, quasi factionis cujusdam auctor & incensor fuisset, gravi censura Parisiensis Archipræsulis Harlæi repressus fuit die 16. Aprilis an. 1693. & ad palinodiam compulsus.

CONCLUSIO.

S. Cyrillus Nestorium impugnans, in oppositum Apollinarii errorem lapsus non fuit; ejusque Scripta ab omni erroris labe, qua ab Orientalibus aspersa fuerant, aliena sunt & omnino pura.

Probatur testimoniis Veterum.

I. Cœlestini S. Pontificis in Epistola ad Cyrillum, ubi zelum illius, ac pro tuenda fide studium & doctrinam commendat. *Nos quoque*, inquit, *dilecte frater, nonnulla addituri eramus, nisi eadem omnia quæ nos sentimus ac tenemus, te itidem sentire ac tenere perspiceremus, & in fide tuenda fortissimum te propugnatorem esse exploratum haberemus. Nam quæcumque sanctitas tua de hoc negotio perscripsit, ea omnia Possidorius Diaconus ordine nobis exposuit. Omnes sermonum illius* (Nestorii) *techuas retexisti, fidemque ad eum modum corroborasti, ut corda in Christum Deum nostrum credentia, in alteram partem abduci non facilè queant. Magnus sanè hic fidei nostræ triumphus est, quòd nimirum & nostra tam validè probaveris, & his opposita per divinarum Scripturarum testimonia tam potenter expugnaveris.* Et in Epistola ejusdem Pontificis ad Nestorium, *Alexandrinæ*, inquit, *Ecclesiæ sacerdotis fidem & probavimus & probamus: & tu admonitus per eum, rursus eadem senti nobiscum, si vis esse nobiscum. Si tibi sensus datur, damnatis omnibus quæ huc usque sensisti, statim hæc volumus prædices, quæ ipsum videas prædicare.* An verò istud jussisset S. Pontifex, si quid erroneum lateret in Scriptis Cyrilli?

To. 3. Conc. p. 348. A.

Ibid. p. 361. B.

II. Synodus Alexandrina in Synodica ad Nestorium Epistola n. 2. sic loquitur: *Ad Epistolas porrò quod attinet, quas Alexandrina Ecclesia ad te misit, eas cùm à sacra Romana Synodo, tùm à nobis omnibus quoque, ab omni errore & vitio immunes judicatas esse scias. Hisce autem Litteris no-* Ibid. p. 397. C.

stris utraque subiunximus, & ea quæ te oportet sapere & docere, & ea rursum à quibus te convenit abstinere. Hæc enim est Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ fides, in qua universi Occidentis & Orientis orthodoxi Episcopi consentiunt.

III. Cùm Actione 1. Conc. Ephesini lecta fuisset Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, Cyrillus rogavit, ut quid de illa sentirent congregati Episcopi, vel-
Ibid. p. 461. B. lent aperire. *Sanctitatem vestram rogatam cupio*, ait, *ut coram exponat, rectène & inculpatè, sanctoque illi Concilio convenienter hæc scripserim, an secus.* Omnes Episcopi communi consensu declararunt, Epistolam illam fidei Nicænæ evidenter consentire. Inter cætera Episcoporum suffragia unum
Ib. D. E. hic sufficiet, quod est Theodoti Ancyrani, *Sanctæ fidei*, ait, *expositionem à trecentis decem & octo sanctis Patribus, qui Nicænæ convenerunt, editam, admirabilem, rectamque & apprimè piam, religiosissimi, piissimique Patris nostri & Episcopi Cyrilli Epistola clariùs & apertiùs ostendit: quæ in nullo ab ea fidei expositione dissentit, & ea tractat fusiùs, quæ illa disseruerat angustiùs. Quare cognita Epistolæ & trecentorum decem & octo SS. Patrum mentis & fidei concordia, ut illis annuimus, & per omnia adstipulamur, ita etiam Patri nostro Cyrillo, qui illorum dicta planiùs per hanc Epistolam exposuit.*

IV. Synodus ipsa Ephesina in Relatione ad Imperatores, de Cyrilli
Ibid. p. 570. E. Epistola sic loquitur: *Ac principio quidem Cyrilli religiosissimi sanctissimique Archiepiscopi Epistolas de fide conscriptas cum hac expositione* (Concilii Nicæni) *contulimus, collatasque dogmatibus ac sententiis consentaneas comperimus, nec ulla in re doctrinam ejus à pia illa expositione discrepantem.*

Ibid. p. 662. E. Et in Relatione ad S. P. Cœlestinum, *Lectæ sunt Litteræ quas sanctissimus Deoque dilectissimus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Cyrillus ad eum* (Nestorium) *scripserat, quas sancta Synodus approbavit, ut rectè inculpatèque exaratas, atque in nullo dissentaneas divinis Scripturis &c.* Quamobrem S. Cyrillus in sua ad Imperatorem Apologia, quæ extat parte 3. Conc. Ephe-
Ib. pag. 1052. E. sini c. 13. à pag. 1028. usque ad pag. 1057. *confidenter affirmat, fidei suæ rectitudini testimonium perhibuisse, & Romanam Ecclesiam, & sanctam quoque Synodum ex universo orbe qui sub cælo est congregatam.*

V. Actione 2. Concilii Chalcedonensis cùm lectæ essent duæ S. Cyrilli Epistolæ, *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Omnes sic credimus: Papa Leo*
To. 4. Conc. p. 344. D. *sic credit: Leo & Anatolius ita credunt: Omnes sic credimus: sicut Cyrillus, ita credimus: æterna memoria Cyrilli.*

Et Actione 5. in definitione fidei profitentur Patres, se Epistolas S. Cyril-
Ibid. p. 565. C. li suscepisse & approbasse. *Propter illos autem*, inquiunt, *qui dispensationis mysterium corrumpere conantur, & purum hominem esse genitum ex S. Virgine Maria impudenter delirant, Epistolas Synodicas beatissimi Cyrilli, Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulis, ad Nestorium & ad Orientales, congruenter habentes suscepimus.*

VI. denique, quinta Synodus generalis non alia de causa Can. 13. non-
To. 5. Conc. p. 578. nulla Theodoreti Scripta, & Can. 14. defensores Epistolæ Ibæ configit, quàm quod tùm Theodoretus, tùm Ibas Edessenus Scripta S. Cyrilli adversùs Nestorium pro fidei defensione, impugnassent.

Dices 1. S. Cyrillus in duabus ad Successum Epistolis, & alibi, fre-
To. 3. p. 2. p. 137. D. E. quenter inculcat, unam esse in Christo post unitionem naturam. In priori sic loquitur: *Post unionem naturas alteram ab altera non dividimus, neque in duos*

duos filios unum illum impartibilemque secamus, sed unum asserimus Filium, & ut sancti Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam. Quod ibidem confirmat exemplo unionis animæ cum corpore, ex qua una resultat hominis natura. P. 138.

In altera verò ad eundem Epistola, Orientales confutans, quos noverat ista sua loquendi ratione, *Una post unionem natura incarnata*, abusos fuisse, ut naturas confusas ac permixtas, & divinitatem passam esse inferrent, dictum suum sic rursus confirmat. *Cùm utrumque* (divinitas & humanitas in Christo) *in sua proprietate naturali permaneat.... unam nobis Filii naturam ostendit, sed, ut diximus, incarnatam.* Ibid. p. 143. F.

Idem repetit scribens ad Acacium Melitinensem Episcopum. *Quapropter*, inquit, *ea ex quibus est unus & solus Filius ac Dominus Jesus Christus, cogitationibus complexi, duas quidem naturas unitas esse dicimus: verùm post hanc adunationem, tanquam sublata jam in duas sectione, unam esse credimus Filii naturam, tanquam unius, verùm inhumanati & incarnati.* Atqui dicere unam esse in Christo post unionem naturam incarnatam, Apollinaris errorem omnino redolet; neque mirum si Eutychiani hanc Cyrilli sententiam in erroris sui confirmationem traherent. Ibid. p. 115. D.

Resp. nego min.

I. Quia nomine *naturæ*, intelligi potest persona, seu hypostasis, sicut plurimi ex Antiquis intellexerunt, quæ interpretatio non tantùm omni prorsus erroris suspicione caret, sed maximè Catholica est, imò ad errorem Nestorii confodiendum apta maximè & accommodata. Sic ipsemet Cyrillus in defensione octavi Anathematismi, adductis S. Athanasii testimoniis *naturam* usurpat pro *persona*; qua supposita interpretatione, proposita evanescit objectio. Ephræmius Patriarcha Antiochenus in Libro quem de laudata Cyrilli propositione scripsit, cujus meminit Photius codice 229. responsionem suo calculo confirmat. To. 3. Conc. p. 856. & 857. Phot. p. 786.

II. Et quidem, ut videtur, ad mentem Cyrilli aptius; Per *naturam*, sanctus Doctor intelligit Verbi divini essentiam seu substantiam, quæ una quidem est, sed humanitatem assumendo, duplex evasit, natura scilicet divina assumens humanitatem, & humanitas ipsa assumpta, quæ duæ sunt distinctæ naturæ. Seipsum nitidè interpretatur & exponit sanctus Doctor, in secunda ad Successum Epistola. *Si*, inquit, *dicentes unam Verbi naturam, tacuissemus ac minimè adjunxissemus, incarnatam, excluso prope modum dispensationis mysterio, esset illorum fortasse oratio non inepta, dum interrogare se simulant, Ubinam est in humanitate perfectio, aut quomodo subsistit illa nostra essentia? Sed quia & illa in humanitate perfectio, & essentiæ nostræ declaratio, illata est, dum dicimus incarnatam, desinant baculo inniti arundineo.* Jam paulò antè dixerat: *Supervacuè igitur ratiocinantur qui asserunt, Si una sit natura Verbi incarnata, prorsus consequi per mixtionem atque confusionem factam fuisse, imminuta nimirum atque subtracta hominis natura.* To. 5. part. 2. p. 143. E. Ib. C. D.

Eumdem loquendi modum tanquam minimè suspectum, imò catholicum, cum Cyrillo usurpavit Flavianus Constantinopolitanus in suæ fidei professione quam Imperatori obtulit. *Unam quidem*, ait, *Verbi Dei naturam, incarnatam tamen & inhumanatam dicere non negamus, eo quòd ex ambabus unus atque idem sit Dominus noster Jesus Christus.* Quinta pariter Synodus, cùm ap- To. 4. Conc. p. 15. D.

probat Justiniani Imperatoris contra tria Capitula Edictum; & Synodus Lateranensis sub Martino I. eamdem loquendi formam approbant. *Siquis*, ait Synodus Lateran. Can. 5. *secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quòd incarnata dicitur nostra substantia perfectè in Christo Deo & indiminutè, absque tantummodo peccato significata, condemnatus sit.*

Tom.6. Conc.p. 351.C.

Eadem est mens ac sententia seu Gelasii, seu Vigilii Tapsensis Libro contra Eutychen. Eadem & S.Fulgentii in Responsione ad quæstionem secundam Ferrandi. Quapropter tantum abest, ut laudata Cyrilli propositio errori Apollinaris & Eutychis faveat, quin nocet maximè.

Dices 2. Joannes Antiochenus cum tota Orientis Diœcesi duodecim Capitula Cyrilli, velut Apollinaris errore aspersa, damnavit, atque Andreæ Samosateno, & Theodoreto illa refellendi provinciam imposuit: Gennadius quoque Constantinopolitanus, qui Anatolio successit, vir orthodoxus & sanctus, in duodecim Cyrilli Capitula summo ardore insurrexit, atque ut hæretica damnavit, ut constat ex Fragmentis illius à Facundo relatis L. 2. cap.4. S. pariter Isidorus Pelusiota Lib. 1. Epist. 310. testatur Cyrillum parum orthodoxè tractasse quæ Christi erant, & contentionis æstu, animoque ad privatarum injuriarum ultionem accenso abreptum, Ecclesiam turbasse; & Theophili avunculi sui turbulentam indolem imitatum, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Antistitem Nestorium ejusque amicos vexasse, sicut ipse Theophilus Chrysostomum vexaverat. Idem repetit Epist. 370. Inde est quòd Cyrillus, etiam post initam pacem, suorum Capitulorum nec mentionem facere, nec, ut iis subscriberent, Orientales adigere voluerit; imò ut ea retractaret, pro conditione ad pacem prævia, postulabant Orientales.

Pag.28. P. 83. A. B.

P.97.A.

Resp. omnem hìc Joanni Antiocheno cæterisque Orientalibus fidem derogandam esse. *Mentiens*, ait Cyrillus in Apologetico, *dicit* (Joannes) *quod cum impio Apollinario sentiamus, & execranda impiaque Arii & Eunomii dogmata approbemus. Fecit autem hoc, ut dixi, implacabilis ira impulsibus omnem lapidem movens, totasque impio furori & arrogantiæ habenas permittens.*

Tom. 3. Conc.p. 1045.B.

Revera, teste eodem Cyrillo in Epistola ad Acacium Meliten. postulabant Orientales omnia Cyrilli Opera aboleri: at Cyrillus nusquam consensit. *Quæ*, inquit, *rectè contra Nestorii blasphemias scripsimus, ea ejusmodi sunt, ut nulla nobis ratione persuaderi possit, ut rectè scripta esse negemus.* Fervente igitur disputationis ac contentionum æstu, Joannes cum suis totus in calumnias in Cyrillum effusus est: at sedatis paulò post animis, ac defervescente controversiarum ardore, inita tandem pace, illi omnes mutuis ad se invicem Litteris amicitiæ ac in una fide concordiæ testimoniis plenis, ad eamdem Catholicam communionem, omni deposito animorum odio, sincerè redierunt.

Ibid. p. 1113.D.

Ex prudenti quidem dispensatione & œconomia coacti non fuere Orientales ut Cyrilli Anathematismis subscriberent: imò & illos defendens Cyrillus, interdum exposuit, ac tandem siluit; sed nusquam ea revocavit.

Fuisse hujus hæresis (Apollinaris) *nomine suspectum Orientalibus Cyrillum*, ait Commentator Marii Mercatoris Dissert. 1. *nemo fortè mirabitur, qui apud se perpenderit, vel temporum conditionem, quibus latebat adhuc Incarnationis mysterium suis omnibus tenebris involutum, vel suspicantium affectionem, quos livor urebat. Nam unioni naturæ secundùm hypostasim, quam Cyrillus Catho-*

P. 300.

Catholicè defendebat, eadem quæ arianæ heresi, & consequentia & pugnantia videbantur, istis præsertim hominibus quos partim invidia commoverat, partim fascinaverat vesanus amor sui Nestorii . . . . Ita porrò altè insederat ipsorum animis isthec suspicio, ut quamvis Cyrillus nullam prætermiserit occasionem sive Ario anathema dicendi, sive conversionem Verbi confusionemque ac mixtionem oppugnandi, sive affirmanter docendi totam humanitatem, ipsamque adeo animam, aßumptam esse, vix tamen unquam facere sibi fidem potuerit; imò coactus sit aliquando, cùm pax Ecclesiarum iniretur, de suis Anathematismis, tanquam discordiæ causis, silere: usque adeo discrimen utriusque sententiæ obscurum tunc erat, nec nisi oculatißimis quibusque perspicuum. Hæc Garnerius.

Ad testimonium Gennadii Constantinopolitani, dico 1. Opus illud ipsi à Facundo ascriptum, non extare; atque in eo laudando, ut & in aliis nonnullis, deceptum fuisse Facundum: neque enim verisimile videtur, orthodoxum & sanctum Episcopum Gennadium, etiam post Concilium Chalcedonense, à quo Cyrilli Epistolæ probatæ sunt, tam duro & intemperanti stylo in Cyrillum insurrexisse. Quòd si re ipsa insurrexit, dicendum 2. falsis rumoribus deceptum illum, nec Cyrilli mentem assecutum fuisse. Responsionem hanc subjicit vel ipse Facundus L. 2. cap. 2. *Talia*, inquit, *Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minùs intellexisset.* P. 28. D.

Ad S. Isidorum Pelusiotam, dico, ipsum Capitula S. Cyrilli non damnasse, sed Orientalium clamoribus & calumniis à fautoribus Nestorii in vulgus sparsis, & longè latèque per Provincias diffusis, conturbatum, S. Cyrillum amicè ac paterno affectu monuisse: ipsum quippe Cyrillus patrem appellabat, & ut patrem venerabatur.

Dices 3. S. Cyrillus docuit, sola contemplatione naturas duas in Christo discerni. Ita in Epistola 2. ad Successum, in qua Hæreticos redarguens, qui duas in Christo subsistentes naturas negabant, ait, *illos ignorare, quæcumque non sola mentis consideratione distingui solent, ea prorsus etiam in diversitatem distinctam omnifariam ac privatim à se mutuò segregari.* Ergo divinitas & humanitas Christi, ex mente S. Cyrilli, sola contemplatione animi, non reipsa, discernuntur. T. 5. par. 2. p. 145. B.

Resp. nego ant. ad cujus probationem, dico S. Cyrillum duas post unionem naturas sola cogitatione divisas, & quasi à se mutuò separatas asserere, non verò sola cogitatione distinctas, quæ duo valdè diversa sunt; unde ibidem exemplum affert animæ rationalis & corporis: at inter corpus & animam reale discrimen intercedere nemo dubitat, tametsi, quamdiu homo vivit, non dividantur nec separentur. *Duas namque*, ait sanctus Doctor, *in eo* (homine) *naturas intelligimus, unam animæ, alteram corporis. Sed cùm sola discreverimus intelligentia, & differentiam subtili contemplatione seu mentis imaginatione conceperimus, non tamen seorsim ponimus naturas, neque illis in totum per divisionem virtutem immittimus, sed unius hominis esse intelligimus, ita ut illæ duæ non jam sint duo, sed utraque animal unum absolvatur.* Ibid. Quo exemplo rectè ostendit sanctus Doctor, duas in Christo naturas reipsa distinctas esse, sicut distinguitur in homine corpus & anima; sed non esse divisas seu separatas, nisi sola mentis cogitatione.

Comparatio verò illa, qua sanctus Cyrillus utitur, unionis animæ cum

corpore, in eo stat 1. quòd sicut intima est ac physica unio animæ & corporis in homine, ita & unio divinitatis cum humanitate in Christo. 2. sicut ex unione animæ & corporis una resultat hominis persona, ita & in Christo ex unione naturæ utriusque. In eo verò comparatio manca est ac deficit, quòd in homine ex unione animæ & corporis, tanquam ex duabus partibus incompletis & inadæquatis, una totalis exurgit natura, quæ dicitur humanitatis; non ita in Christo, in quo sunt duæ naturæ perfectæ ac integræ, impermixtæ ac inconfusæ.

Cæteras omnes Orientalium in 12. Anathematismos S. Cyrilli objectiones, & S. Doctoris responsiones consule parte 3. Conc. Ephesini c. 2.

Confutatur hæresis Eutychiana.

Eutyches Presbyter & Archimandrita, id est, Abbas seu Præfectus celeberrimi Monasterii Constantinopolitani, dum errorem Nestorii acriùs insequitur, in oppositum lapsus est. Duas Nestorius in Christo personas, perinde ac duas admittebat naturas; Eutyches, ut unam personam, ita & unam post Incarnationem naturam: quo verò sensu unam intellexerit, facile non est definire. Vide quæ eam in rem superiùs dicta fuere à pag. 59. usque ad pag. 63, ne sæpius eadem repetamus. Sit itaque

CONCLUSIO.

Duæ sunt in Christo post unionem distinctæ, inconfusæ ac impermixtæ naturæ, divina scilicet & humana, salvis utriusque proprietatibus.

Primũ argumẽtum. Probatur 1. ex Scripturis triplici argumento. Primum ex iis locis ducitur, quibus duæ in Christo naturæ evidenter asseruntur. Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Quomodo autem est caro factum? An conversione divinitatis in carnem? Quid insulsius cogitari posset? Ergo assumptione humanitatis in Deum, per quam habitavit in nobis, per omnia similis nobis absque peccato.

Et 1. Joan. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Duplex hìc Christi natura distinguitur: divina, *de Verbo vitæ*; humana quæ oculis visa est, manibus attrectata &c.

Phil. 2. v. 6. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Duplex hìc in Christo forma, Dei, & servi, non confusa & permixta, sed distincta.

Secundũ argumentum. Secundum argumentum ea Scripturæ loca suppeditant, quæ duas in Christo voluntates, ac consequenter naturas distinguunt. Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Et Matth. 26. v. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Porrò voluntas Christi quatenus Deus est, eadem prorsus erat cum voluntate Patris; ergo aliam habebat, quatenus homo; ergo Deus simul & homo erat. Nec idcirco sequitur duos esse in Christo *volentes*: quia nempe voluntas, ad naturam; volens, ad personam: atque voluntatem non statim

ex

ex personalitate inferri, patet, quia tres sunt in Deo personæ, una verò tantùm voluntas.

Tertium argumentum ex iis locis petitur, in quibus contraria Christo tribuuntur, propter nimirum duplicem diversam ac distinctam naturam: v.g. quòd à nobis abscesserit, & nobiscum tamen æternùm maneat, Joan. 16. Matth. 28. Quòd è Cœlo descenderit, & in terra versetur, & tamen simul sit in Cœlo, Joan.3. v.15. Quòd infans natus sit in tempore, & tamen egressus ejus sit à diebus æternitatis, Mich.5. v.2. Quòd mortificatus, & vivificatus: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu*. 1. Petri 3. v.18. & alia hujuscemodi benè multa, quæ absque duplici Christi natura exponi & intelligi non possunt. Ad hæc accedant quæ superiùs prolata sunt contra Nestorium Scripturæ testimonia, quibus B. Virgo Deipara ostenditur; Deipara verò non est, quòd divinitatem genuerit, sed hominem Deum; ex quo necessariò sequitur, in Christo duas esse distinctas naturas. Tertiũ argumentũ.

Probatur 2. ex Conciliis.

Nicæno primo generali. In Symbolo fidei, postquam divinitatem Filii asseruit, de suscepta hominis natura ait: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est*. Secunda probatio ex Cõciliis.

Constantinopolitano an. 449. Adversùs Eutychen sic definiunt Patres: *Confitemur ex duabus naturis Christum esse post incarnationem in una subsistentia, & in una persona, unum Christum filium, unum Dominum confitentes*.

Constantinopolitano altero an. 450. ubi Anatolius Constantinopolitanus aliique Patres dicto anathemate Nestorio & Eutychi, ajunt: *Catholica fides & ante Incarnationem unam tantùm Verbi fuisse, & post Incarnationem duas, id est, Verbi & perfecti hominis, fatetur in una persona, inconfusa proprietate sui manere naturas*. Tom. 7. Conc. p. 1576. C

Chalcedonensi an. 451. In definitione fidei adversùs Eutychen pronuntiat, *Christum Dominum nostrum eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundùm deitatem, consubstantialem nobis secundùm humanitatem: ante sæcula quidem de Patre genitum secundùm deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundùm humanitatem, unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam concurrente*. Accuratior proferri non potest in rem præsentem fidei definitio ac professio. Tom. 4. Conc. p. 568. A.

Definitionem hanc jam ante Synodum Chalcedonensem præformaverant SS. Ecclesiæ Doctores, quorum plures referuntur Actione 2. dicti Concilii: ab eorum testimoniis hic exscribendis supersedeo, quòd obvia sint omnibus. Legatur imprimis Epistola dogmatica S. Leonis ad Flavianum, quæ à Patribus sexcentis & triginta in Synodo Chalcedonensi suscepta & probata fuit, ubi egregiè mysterium Incarnationis evolvit ac tuetur adversùs eos omnes à quibus impugnatur.

Probatur 3. variis rationibus Theologicis, ex Incarnationis Dominicæ veritate depromptis.

Prima:

Biblioт. PP.To. 8. pag. 702. F. Prima ex voce unitionis. *Unitio enim est duarum naturarum ; non cujuscunque alterius abolitio*, inquit Gelasius aut Vigilius Tapsensis L. contra Eutychen; res enim una simplex secum unita non dicitur: unitio autem Verbi cum carne manifestè his verbis declaratur, *Verbum caro factum est*. Et verò idem Christus dicitur Deus & homo: atqui fieri istud non potest, nisi per unionem substantialem naturæ humanæ cum persona Verbi; impossibile quippè est ut duæ naturæ formaliter ab invicem distinctæ, de se invicem prædicentur in concreto, nisi uniantur in supposito.

Secunda ratio hæc est. Si ex duabus naturis unica in Christo facta esset, nec humana illa esset, nec divina; adeoque Christus nec Deus esset, nec homo; nec patri, nec matri consubstantialis. Sic ratiocinatur Leontius, apud Eutymium in *Panoplia* parte 2. tit.15.

Tertia ratio. Naturæ uni ac simplici contrariæ proprietates non conveniunt, cujusmodi sunt in Christo passibilem esse v.g. & impassibilem ; mortalem, & immortalem. Hæc quidem de uno & eodem Christi supposito in concreto, ut ajunt, rectè prædicantur, ob diversas quibus constat naturas: at si una supponatur, in eam cadunt tam contrariæ & oppositæ proprietates; & ita divinitas passa esse dicenda erit, sicut reipsa dicere compulsi sunt Eutichiani, Theopaschitæ inde dicti, quo certè nihil absurdius cogitari ac dici potest.

Quarta ratio. Funditus ruit divinæ dispensationis ac reparationis humanæ mysterium, nisi duæ sint in Christo distinctæ naturæ, quarum una, humana scilicet, satisfactionis materiam, altera verò, nempè divinitas, pretium ac valorem infinitum communicet, sicut pluribus antea probatum fuit.

Quinta denique ratio est S. Thomæ hìc & L 4. contra Gentes c.35. qua pressiùs refelluntur Eutychiani contendentes ex duabus naturis post Incarnationem unam coaluisse. Unum fieri non potest, nisi aliquo ex his modis : vel ex duobus integris ac perfectis remanentibus; vel ex duobus perfectis permixtis aut permutatis; vel denique ex duobus imperfectis in unum coalescentibus: atqui nullo ex his modis facta dici potest in Christo naturarum unio. (To. 14. p.658.) Non primo: Tùm quia totum ex duobus integris perfectis remanentibus, non est totum per se, sed per accidens: & forma in toto hujusce modi non est natura, sed ars, ut patet in constructione alicujus ædificii : porrò Christus non est totum per accidens & ex arte, sed per se ac natura & substantia. Tùm quia totum ex duobus integris perfectis remanentibus, totum non est absolutè ac simpliciter, sed secundùm quid, & in duo potest æqualiter dividi: atqui Christus unus est simpliciter, in duos non partitus nec divisus.

Non secundo; Tùm quia divinitas quæ purissima est, simplicissima, & immutabilis, permisceri cum alia natura, aut in aliam transire ac mutari non potest; vel una divinitatis idea & notio id evincit. Tùm quia humanitas nunquam in divinitatem converti potest, à qua infinito distat intervallo. Tùm quia post illam conversionem humanitatis in divinitatem, corpus Christi verum non esset & nostro simile, sed phantasticum ac umbratile, ut contendebant Manichæi. Tùm denique, quia ex his quorum unum altero longè præstantius & excellentius est, mixtio propriè fieri non potest, solvitur quippè unius eorum species: v. g. si quis paululum mellis in fluvium injiciat, vera non est mellis mixtio, sed potius corruptio; & lignum in ignem immissum,

non

non dicitur cum igne misceri, sed ab igne consumi ac destrui. Porrò natura divina infinitè superat humanam, & propriè cum ipsa in Christo non permisceretur, sed tota penitus absorpta foret & destructa.

Secundum istud momentum egregiè urget Gelasius, seu potius Vigilius Tapsensis Libro adversùs Eutychen & Nestorium. *Si aliquid*, ait, *quod absit, vel divinitatis vel humanitatis inde decesserit, sequitur ineffabilis resolutio sacramenti, & quod dictu audituque fugiendum est, vel homo Deus esse iam desinat, si sola illic humanitas, non etiam deitas perseverat; vel Deus homo consequenter esse desistat, si sola illic divinitas, non etiam humanitas unita permaneat: nec glorificata videatur nostra conditio unitione deitatis, sed potius esse consumpta, si non eadem subsistit in gloria, sed sola existente deitate humanitas illic esse destitit. Videbitur autem, quod abhorret animus dicere, sed cogit necessitas non tacere, divinitas in utroque mutabilis, si vel in carnem est ipsa conversa; vel sic est in deitatem humanitatis transfusa conditio, ut proprietas eius esse desierit. Si enim ex se ipsa ex toto iam non est, restat ut accesserit, accreveritque deitati, sic in deitatis naturam scilicet transeundo, ut esse destiterit prorsus humanitas, ubi modis omnibus divina substantia mutabilitatem recipere videtur, quæ cùm nec minui possit omninò, nec crescere, transfusione humanitatis adiecte, velut aucta videatur.* Non tertio denique modo: Quod enim fit ex duobus imperfectis, vel fit tanquam corpus ex pluribus partibus quantitativis, vel tanquam ex materia & forma: at neutro modo divinitas concurrere potest ad unam naturam constituendam. Non primo, quia Deus simplex est & incorporeus: non secundo, quia divina natura nec materiæ, nec formæ rationem habere potest.

Bibliot. PP. To. 8. pag. 781. A.

Solvuntur Obiectiones Eutychianorum.

Obiicies 1. hæc S. Joan. verba cap. 1. v. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, quæ loquendi ratio veram innuit Verbi in carnem mutationem: quemadmodum cùm Joan. 2. v. 9. dicitur aqua in vinum conversa; & cap. 6. v. 51. *Panis est caro mea*; & Matth. 26. v. 26. *Hoc est corpus meum*; vera procul dubio intelligitur conversio aquæ in vinum, & panis in corpus Christi.

Resp. 1. ne Eutychianos quidem docuisse unquam, quod sciam, Verbum in carnem transmutatum fuisse: imò potius humanitatem à divinitate totam absorptam asserebant; ergo frustrà & in vanum citata S. Joannis verba hic opponuntur.

Resp. 2. Verbum carnem factum esse, non quidem per mutationem sui in carnem, sed per assumptionem carnis in unitatem personæ Verbi, quod ista verba, *& habitavit in nobis*, clarè demonstrant. Quomodo enim in nobis habitavit Verbum; nisi quia carnem assumpsit; *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ait sanctus Paulus Philipp. 2. v. 6. Ita citata verba exponunt SS. Patres. *Cùm ita loquitur* (S. Joannes) ait S. Epiphanius hæresi 77. *Verbum caro factum est; non illud indicat, Verbum in carnem fuisse conversum, aut in eam omninò transiisse, sive divinitatem in carnem esse mutatam: verùm cum divinitate Verbum propriam hominis assumpsisse naturam.*

To. 1. p. 1014. A

S. Am-

To.2.p. 717.A. S. Ambrosius Lib. de Incarnatione cap. 6. verba hæc S. Joannis, *Verbum caro factum est*, ex istis explicat, *& habitavit in nobis. Hoc est, illud Verbum quod carnem suscepit, hoc habitavit in nobis, hoc est, in carne habitavit humana; & ideò Emmanuel dictus est, hoc est, nobiscum Deus.* Ante ipsos S. Ed. Cotell. p. 897.D. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallianos scripserat, *Verè genitus est* (Christus) *ex Deo & ex Virgine; verùm non simili modo: nec enim eadem res est Deus & homo: verè corpus assumpsit; Verbum enim caro factum est.*

Nec te moveat verbum, *factum est*, quasi mutatio Verbi in carnem inde sequatur: siquidem Christus Galat. 3. v. 13. dicitur pro nobis *factus maledictum* An verò quisquam tam insulsus fuerit, ut dicat, Christum in *maledictum* To.2.p. 717.D. peccati conversum fuisse? non puto. *Desinant*, ait S. Ambrosius L. de Incarnatione c. 6. adversùs Apollinaristas, *dicere naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam; ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati.* Christus igitur dicitur factus pro nobis *maledictum*, quia pro Estius in hunc locum. nostra redemptione ac salute crucifixus, similitudinem gessit hominis à Deo maledicti, & pro tali reputatus est ab hominibus, juxta quod à Propheta dicitur *cum sceleratis reputatus.*

Isai. 53. v. 12. Non sine causa autem Evangelista verbum, *factum*, usurpavit. 1. ut expressiùs significaret intimam unionem divinæ cum humana naturæ. 2. ut effusam charitatem Dei commendaret, qui propter nos ad id usque quod To.1.p. 742.A. deterius est sese demisit. Ita S. Greg. Nazianz. Epistola 1. ad Cledonium. 3. ne apparentem ac umbratilem dumtaxat carnis speciem in Christo quis suspicaretur. Ita S. Chrysostomus Homil. 10. in Joann. *Quanam*, inquit, Edit. Comel. p. 58.D. *gratia, hoc verbo, factum est, utitur? Ut hæreticorum os obstruat. Cùm enim sint, qui dicant imaginationem quandam & figmentum esse, quæcunque de Incarnatione feruntur, ab ipso principio eorum excludens blasphemiam, factum esse asserit.*

Ad exempla verò mutationis aquæ in vinum, in nuptiis Cana Galilææ, & panis in corpus Christi, nemo non videt quantùm hæc disparata sint, tùm ex ipsa rerum natura, tùm ex circumstantiis adjunctis. Aquæ in vinum, & panis in corpus suum veram mutationem apertè declarant temporis & loci circumstantiæ: aquam in vinum convertit, ut nuptiarum sanctitatem; panem verò in corpus suum, ut insigne ac stupendum amoris erga nos sui argumentum declararet. Porrò Verbum carnem esse factum, sine ulla ex parte divinitatis immutatione, eleganti exemplo illustrat sanctus Augustinus To 5.p. 887.B. C. Sermone 187. aliàs 27. de tempore. *Neque enim*, inquit, *quia dictum est, Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est; sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus: quando in ipsa carne quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, Nobiscum Deus. Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox cùm id ore proferimus, non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro ista in qua procedat assumitur; ut & intus maneat quod intelligatur, & foris sonet quod audiatur: hoc idem tamen profertur in sono, quod antè sonuerat in silentio; atque ita verbum cùm fit vox, non mutatur in vocem; sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce procedit ad audientem, & non deserit cogitantem.*

Instabis: Philipp. 2. v. 7. Filius Dei *semetipsum* dicitur *exinanivisse.*

Resp. Filium Dei semetipsum *exinanivisse*, non quidem conversione divinita-

nitatis in carnem, sed ipsa carnis assumptione: *formam servi accipiens*, ait Apostolus, *in similitudinem hominum factus....factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Non major certè in Filio Dei exinanitio & humiliatio cogitari potest, cùm nempè, ut ait S. Leo in celebri ad Flavianum Epistola, *suscepta est à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; & ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili*. To.1.p. 480.c.3

Objicies 2. multos ex SS. Patribus, qui cùm de Incarnationis mysterio loquuntur, *mixtionis*, seu *permixtionis* nomen usurpant. Ita S. Irenæus L.2.c.21. Tertull. Apolog. c.21. S. Cyprianus L. de idolorum vanitate, S. Augustinus Epist. ad Volusianum, S. Leo Serm. 3. in die Natalis Domini.

Resp. dist. ant. Mixtionis nomen usurpant, ad significandam intimam & hypostaticam utriusque naturæ in Christo unionem, concedo: ad significandam naturæ utriusque confusionem, nego. *Si enim sermo*, ait Tertull. L. contra Praxeam c.27. *ex transfiguratione & demutatione substantiæ caro factus est, una jam erit substantia Jesus ex duabus, ex carne & spiritu mixtura quædam, ut electrum ex auro & argento; & incipit nec aurum esse, id est spiritus; neque argentum, id est caro, dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur. Neque ergo Deus erit, Jesus. Sermo enim desiit esse, qui caro factus est, neque caro, id est homo: caro enim non propriè est, qui sermo fuit. Ita ex utroque neutrum est: aliud longè tertium est, quàm utrumque. Sed enim invenimus illum directò, & Deum & hominem expositum*. Refellit posteà Tertullianus illam naturarum in Verbo Dei mixturam & confusionem. Pagina 516.D.

Rem apertissimè distinguit & exponit S. Augustinus Epistolà 137. aliàs 3. ad Volus. *Sicut*, inquit, *in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis; in hac persona mixtura est Dei & hominis: si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam, quamquam & in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur*. To.2.p. 405.F.

Objicies 3. cum Eutychianis auctoritatem Julii Romani Episcopi in Epist. ad Dionysium Corinth. Episcopum, ubi ait: *Necesse est eos, cùm duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptisari, in humanam verò non baptisari*.

Respondet Leontius L. de Sectis Act. 8. Epistolam illam Julii non esse, sed ipsi ab Eutychianis falsò ascriptam: 1. quia nihil Julio dignum continet. 2. quia ea in Epistola corporis mentio fit, non animæ qua informatur, contra usum hujus temporis. 3. quia S. Greg. Nyssenus in Opere contra Apollinarem multa ex illa Epistola laudat, quæ Apollinaris haud dubiè sunt, non Julii. Biblior. PP.To. 9.p.672. A. B.

II. Responderi potest, etiam supposita Epistolæ veritate, S. Pontificem Julium nomen naturæ pro persona usurpasse, cùm negat duas esse in Christo naturas. Ita Eulogius Alexandrinus Patriarcha, apud Photium codice 230. Phot.p. 831.

Objicies 4. auctoritatem S. Greg. Thaumaturgi Neocæsariensis Episcopi in Expositione fidei, cujus verba referuntur ab eodem mox citato Eulogio. *Non duæ*, inquit, *personæ, neque duæ naturæ; non enim quatuor nos adorare dicimus*. Ibid. p. 846. n. 30.

Respon-

Resp. Leontius in fragmento adversùs Apollinaristas Patrum depravatores, Opus illud falsò Gregorio tribui, cùm sit Apollinaris, aut Eutychis, aut alterius cujusdam hæretici hominis. *Quidam*, inquit, *ex hæresi Apollinarii, vel Eutychis, vel Dioscori, cùm vellent suam hæresim confirmare, quasdam Orationes Apollinarii Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Julio inscripserunt, ut simpliciores fallerent.*

Biblioт. PP.To. 9. pag. 707.G.

Objicere hìc etiam solent, tùm S. Cyrillum in duabus ad Successum Epistolis, tùm comparationem, qua utitur cum aliis benè multis, unionis animæ & corporis.

Verùm paulò antè, ubi ex professo Cyrillum à suspicione erroris purgavimus, utrumque istud momentum discussum fuit ac plenè solutum.

ARTICULUS II.

Quid sit unio hypostatica, & in quo consistat.

QUamquam ex Veteribus quàm plures in exponendo Incarnationis mysterio promiscuè vocibus *unionis*, *unitionis*, & *assumptionis* utantur, nihilominus in rigore Scholastico, discriminis nonnihil inter eas statui debet: *unitio* quippè actionem denotat unientis; *unio* verò terminum actionis; *assumptio* verò naturam quæ ad unionem assumitur. Unde observat sanctus Thomas, Verbum divinum rectè quidem dici unitum, non verò assumptum, quia propriè ac strictè non assumitur à natura humana, sed potius illam assumit tanquam inferiorem.

Unanimi quidem consensu Orthodoxi omnes docent, naturam humanam unione intima, reali, physica & hypostatica cum Verbo conjungi; at valdè discordes sunt inter se Scholæ Doctores, in assignanda hujus unionis natura, quæ certè tota in abstruso ac recondito mysterio posita est, nec satis potest explicari: neque verò id mirum videri debet, siquidem ne ipsa quidem unio naturalis animæ spiritualis cum corpore materiali, hactenus liquidò exponi & explicari potuerit.

Varias in partes hìc scinduntur Scholastici.

Alii existimant unionem hypostaticam esse qualitatem quamdam supernaturalem absolutam, quam vocant *gratiam unionis*, non quidem sensu Nestorii, qui moralem dumtaxat inter utramque naturam, non hypostaticam admittebat unionem, & Christum per gratiam & adoptionem Deum appellabat; sed quodam philosophico sensu, quia existimant duas illas tam diversas & à se invicem distinctas naturas copulari simul in una persona non posse, quàm per qualitatem quamdam absolutam. Ita Gabriel in 1. dist. 30. q. 4. art. 1. & in 3. dist. 1. q. 1. art. 1.

Putant alii, unionem esse relationem realem, qua humana natura vel ad naturam divinam, vel ad divinam personam refertur. Tribuitur hæc opinio Scoto, in 3. dist. 1. q. 1.

Putant alii, esse modum substantialem transcendentem, relativum, ab extremis unitis realiter distinctum. Ita Suares 3. parte disp. 8. sect. 2.

Alii arbitrantur, unionem hypostaticam esse ipsammet actionem per quam humanitas Christi producta fuit, ita ut eadem actione & producta fue-

fuerit, & Verbo unita; eo ipso ferè modo quo, in mente aliquorum Philosophorum, forma simul è materia educitur, & cum ipsa unitur.

Alii denique sentiunt unionem nihil esse extremis unitis superadditum, adeoque naturam humanam seipsa, absque ulla qualitate vel modo, Verbo divino in unitatem personæ conjungi: quam sententiam ut faciliorem amplectimur. Itaque sit

CONCLUSIO.

Unio hypostatica non est quid distinctum à Verbo & humanitate, sed Verbum & humanitas se ipsis formaliter absque ullo medio uniuntur.

Probatur exemplo apud SS. Patres familiari, unionis scilicet animæ rationalis cum corpore, quæ unio absque ullo superaddito medio exponi utcumque potest. Nempè, per id anima corpori conjungitur, per quod fungitur munere & officio formæ, unumque totale & adæquatum constituit principium omnium proprietatum, actionum & passionum: atqui anima rationalis per semetipsam immediatè, absque ullo superaddito, fungitur munere & officio formæ, unumque totale constituit proprietatum, actionum, & passionum principium, quia per seipsam est actus & forma corporis, modò adsint ex parte corporis conditiones prærequisitæ. Pariter igitur Verbum divinum per seipsum humanitati copulatur, quia per seipsum eam terminat, complet ac perficit, per suam nempè subsistentiam seu personalitatem infinitam; creatam nimirum naturæ humanæ subsistentiam excludendo: seu, ut loquitur Typhanius eam impediendo. *Consumptio*, ait S. Thomas 3. p. q. 4. art. 2. ad 3. & in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. ad 4. *ibi non importat destructionem alicujus, quod prius fuerit, sed impeditionem ejus, quod aliter esse posset.... quia persona divina sua unione impedivit, ne humana natura suam personalitatem haberet.* Verùm quæstio hæc tota videtur esse de nomine, de qua multùm non curamus. *Tiph. de hypost. & pers. p. 144. & seq.*

Si verò quæsieris, quid sit humanitatem in Verbo subsistere, & quomodo id concipi & exponi possit.

Resp. 1. clarè ac nitidè à nemine mortalium exponi posse, cùm sit fidei mysterium humanæ rationi prorsus inaccessum. *Hic si ratio quæritur*, ait S. Augustinus Epistola 137. aliàs 3. ad Volusianum, *non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* *To. 2 p. 405. A. B.*

Resp. 2. utcunque exponi ac declarari istud posse, eodem exemplo unionis animæ cum corpore. Sicut enim 1. ex unione illa resultat una natura totalis per se subsistens ultimò terminata & completa, & idcircò alteri tanquam supposito incommunicabilis. 2. sicut ex illa unione resultat unum suppositum, quod talis homo dicitur, atque unum est principium & subjectum denominationis omnium actionum & passionum. 3. denique, sicut anima rationalis in homine est principium superiùs dirigens ac moderans omnes ejus actiones; ita quoque per subsistentiam Verbi humanitas subsistere dicitur. 1. Quia ex unione Verbi cum humanitate resultat, non quidem una totalis natura, (qua ex parte deficit exemplum animæ & corporis) sed unum totum duplici constans natura, nempè unus Christus, cujus humana natu-

natura ità est ultimò completa & terminata & in Verbo subsistens, ipsique tam propria & intima, ut non possit alteri homini tanquam supposito communicari. 2. Ex illa utriusque naturæ in Christo unione, una exurgit persona, quæ est principium *quod*, & subjectum denominationis omnium Christi actionum & passionum; hincque nascitur idiomatum communicatio, qua fit, ut Deus dicatur homo, & vicissim homo Deus; ut Deus dicatur mortuus, & homo immortalis &c. 3. denique, quia natura divina tanquam superior ac domina, conjunctam sibi humanitatem in uno Christi supposito regit, moderatur, ac specialem in eam dominatum exercet: atque inde, velutà fonte, fluit valor ille infinitus qui universas Christi actiones afficit, tùm propter Verbi personam, quæ est illarum actionum principium *quod*, & veluti pars est satisfactionis Deo Patri oblatæ, ut non semel antea dictum à nobis fuit; tùm propter divinam naturam, quæ illarum actionum moderatrix est, unde vocantur *Theandricæ*, id est *Dei-viriles*. Jus illud ac dominium speciale Verbi in humanitatem Christi, vulgò adducunt SS. Patres, tanquam veram à priori causam & rationem, cur una dumtaxat sit in Christo persona. Ita SS. Gregorius Nazianz. Orat. 35. seu 3. de Theologia; Augustinus Epist. 137. aliàs 3. ad Volus. Cyrillus Alexandrinus Epist. ad Valerianum, & 1. ad Successum, & L. de recta fide; S. Maximus Martyr apud Euthymium in Panoplia, Damascenus L. 3. de fide orthodoxa &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Quod passivè indifferens est ut cum aliquo uniatur, debet per aliquid superadditum determinari, ut cum illo potius quàm cum alio uniatur: atqui natura humana Christi prorsus indifferens erat ut uniretur cum persona vel Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti; ergo necesse fuit eam per aliquid superadditum determinari: atqui istud superadditum modus est; ergo &c.

Resp. nego maj. Namque indifferentia illa æquè fuit in Verbo, ut cum tali numero humanitate conjungeretur, ac in humanitate, ut ab hac vel illa assumeretur divina persona: atqui tamen novam in Verbo entitatem, novumque modum superadditum non admittunt adversarii; ergo nec in humanitate debet admitti: par quippè videtur ex utraque parte ratio, quia par est hinc & inde unio extremorum.

Instabis. Duo contradictoria non possunt successivè de eodem prædicari, nisi facta mutatione quadam reali in subjecto; atqui de eadem humanitate duo contradictoria successivè prædicantur, nempè quòd de non unita, unita fuerit Verbo divino; ergo realiter mutata fuit: quæ mutatio absque aliqua superveniente entitate, seu aliquo modo, exponi non potest. Fertur Ochamum hoc argumento superatum, à priori sua sententia recessisse, admissa modorum necessitate.

Resp. 1. simili argumento probari posse, Verbum esse mutatum per aliquam entitatem superadditam, quando nempè humanitatem assumpsit, quam antea non assumpserat: atqui tamen id falsum est.

Resp. 2. dist. ant. In rebus absolutis, concedo: ita non potest homo de indocto fieri doctus, sine acquisitione scientiæ & quadam in animo mutatio-

tatione: in rebus relativis, subdist. nisi facta mutatione saltem relativa & connotativa, concedo: entitativa, nego. Sic v.g. non potest unus paries albus de non simili fieri alteri similis, quin in alio pariete sit & connotetur albedo; sed necesse non est ut nova quædam entitas accrescat parieti albo, ut denominetur alteri similis. Porrò cùm humanitas de non unita Verbo divino facta est unita, mera relatio accessit: uniri enim alteri unione personali, quid est? nisi fieri juris alieni, & connotare personam cui intimè uniris, tanquam principium *quod* omnium actionum & passionum: id autem sine ulla entitate superveniente ac mutatione substantiali exponi utcumque potest.

Objicies 2. Omnis actio habet aliquem terminum: atqui incarnatio, unitio, assumptio, voces sunt quæ actionem denotant, cujus terminus alius esse non potest, quàm unio ab extremis distincta. Quis enim ille foret? Verbum divinum? at per actionem transeuntem, qualis est incarnatio, non producitur. Corporis & animæ Christi productio? at talis actio unio non appellatur; sed vel creatio, vel generatio.

Resp. dist. maj. Omnis actio habet terminum, vel quem producat, vel ad quem tendat, concedo: quem semper producat, subdist. si actio sit productiva, concedo: si sit tantùm unitiva vel adductiva, nego. Sic v.g. motus localis est actio, non quidem productiva, sed adductiva tantùm ad locum: visio etiam beatifica est actio, nec tamen, in sententia multorum, verbum seu speciem, ut ajunt, expressam producit, sed tantùm tendit ad objectum. Ita pariter actio qua humanitas assumitur in unitatem suppositi Verbi divini, non est productiva, sed unitiva tantùm. Porrò terminus actionis unitivæ non est entitas de novo producta, sed est totum compositum ex partibus unitis conflatum.

Instabis: Ubi mutatio intervenit, nova quædam fit productio: atqui in Mysterio Incarnationis vera mutatio intervenit, saltem in humanitate; ergo &c.

Resp. dist. maj. Ubi mutatio intervenit entitativa, concedo: mutatio dumtaxat connotativa, licèt intima & personalis, nego. Patet responsio ex mox dictis.

Objicies 3. ex S. Thoma hìc: Unio de qua loquimur, quædam est relatio quæ consideratur inter divinam & humanam naturam, secundùm quod conveniunt in una persona Filii Dei; ergo unio est relatio.

Resp. dist. ant. Unio sumpta pro mutuo respectu qui oritur ex conjunctione Verbi & humanitatis, concedo: unio sumpta pro formali utriusque nexu ac vinculo, nego. *Sicut enim*, ait Cajetanus in hunc locum, *super conjunctione substantiali corporis & animæ fundatur relatio inter animam & corpus, ita super conjunctione substantiali personæ Verbi & naturæ humanæ, fundatur in opinione D. Thomæ relatio unionis inter duas naturas, vel inter naturam humanam & personam Verbi. Talis autem relatio unionis, præ vocum inopia, vocatur unio.*

Objicies denique, si verum est, quod nostra fert sententia, humanitatem in Verbo subsistere, quia non ampliùs sui juris est, sed à Verbo regitur, à quo in humanas actiones pretium infiniti valoris derivatur, sequitur neque Deo satisfecisse Christum, cujus humanitas jure sibi proprio ac naturali spoliata fuit, neque consequenter liberas in eo fuisse humanitatis actio-

nes, quæ juris alieni fuere, non proprii: utrumque autem istud consequens falsum & absurdum est.

Resp. nego utrumque illud consectarium. Primum, quia ideo potius Christus divinæ Justitiæ satisfecisse dicitur, quia Verbum humanas ejus actiones ita dirigebat, ut valorem infinitum in eas influeret, cujus valoris per sese incapax erat humanitas à Verbo sejuncta.

Alterum quoque consectarium falsum est: quia principium illarum actionum, sive *quod*, nempè persona, sive *quo*, nempè natura, liberrimum est. Et verò, nonne voluntas creata actiones hominis dirigit, & in eas dominium suum exercet? attamen non minùs illæ liberæ sunt, quia nempè libera est voluntas à qua eliciuntur aut imperantur. Ita & de humanis Christi actionibus sentiendum.

ARTICULUS TERTIUS.

De proprietatibus hypostaticæ unionis.

Circa proprietates unionis hypostaticæ hæc præcipuè inquirenda.

1. An sit aliquid creatum.
2. An sit in Christo naturalis, vel per gratiam.
3. An facta sit in natura vel in persona.
4. An sit unionum maxima.
5. An sit perpetua & indissolubilis.

An unio hypostatica sit aliquid creatum.

Qui existimant unionem hypostaticam esse vel qualitatem, vel modum ab extremis unitis distinctum, ii consequenter asserunt, unionem illam esse aliquid creatum.

Qui pariter eam non distinguunt ab unitione, assumptione, incarnatione, id est, ab actione qua humanitas cum Verbo intimè copulatur, consequenter asserunt eam ratione termini in humanitate recepti, esse quid creatum, quia actio illa Dei humanitatem cum Verbo unientis externa est ac transiens, cujus terminus sequitur conditionem subjecti in quo recipitur: ex vulgari enim Scholæ axiomate, *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.*

Qui verò putant unionem nihil esse ab extremis distinctum, illi consequenter volunt illam partim increatam esse, partim creatam, pro natura extremorum quæ uniuntur, nempè Verbi æterni & increati, & humanitatis creatæ: ubi vides propositæ quæstionis solutionem in æquivoco esse, ac pendere ex varia sententia circa naturam unionis.

An unio hypostatica sit in Christo naturalis & substantialis; an verò per gratiam.

Pendet tota hæc quæstio ex sensu ac significatione varia vocis hujus *naturalis*: naturale quippè pluribus modis usurpatur.

I. Quatenus opponitur ficto & umbratili, & est aliquid verum ac reale: quo

quo sensu Apostolus Galat. 4. v. 8. dixit, *iis qui natura non sunt dii, serviebatis*. Hoc sensu unio hypostatica naturalis est, quia vera & realis, non fictitia nec imaginaria. Reprehensus à Theodoreto S. Cyrillus, quasi unam in Christo naturam admisisset, eo quòd illos improbasset, qui negabant Verbum divinum cum humanitate conjunctum esse *secundùm naturalem unitionem*, reposuit S. Doctor in defensione tertii Anathematismi, se per *naturalem unitionem*, veram & realem, non fictam nec umbratilem intellexisse. *Tom. 3. Conc. p. 817.*

II. Naturale dicitur, quod debitum est naturæ, & opponitur gratuito beneficio. Ita per naturam dicimur homines, & per gratiam, filii Dei adoptivi. Hoc modo unio hypostatica naturalis non est, quia gratuita est, nec ullis humanis meritis debita, adeoque ex gratia, seu ex pura Dei benignitate, qui mundum sic dilexit, ut unigenitum Filium suum pro eo dederit. Cave tamen hìc à doloso Nestorii sensu, qui unionem illam soli gratiæ ita tribuebat, ut vellet eam physicam non esse, non substantialem, non personalem, sed moralem dumtaxat & accidentalem, unde Christum Deum solummodo dicebat per gratiam & adoptionem, non per naturam ac substantiam. Illa igitur unionis gratia extrinseca dumtaxat fuit, Dei scilicet voluntas gratuitò humanitatem cum Verbo unientis; non intrinseca unioni, quasi formalis ille nexus in sola gratia consisteret, ut ajebat Nestorius.

III. Naturale idem est ac necessarium, quod opponitur libero. Ita bellaæ dicuntur naturæ instinctu ac impetu in objecta sensibilia ferri. Hoc sensu naturalis non est nec dici debet unio hypostatica, quæ libera fuit, tùm ex parte Dei eam liberè decernentis, tùm ex parte Christi eam liberè acceptantis: *Oblatus enim est quia voluit.*

IV. Naturale idem significat ac quod à nativitate inditum est, non labore nec arte comparatum. Ita dicimur natura filii iræ & indignationis, propter originale peccatum quod nascendo contrahimus. Hoc modo unio hypostatica naturalis est, quia humanitas à primo, quo concepta est, instanti, Verbo personaliter conjuncta fuit: quin & ipsamet gratia habitualis statim Christo concessa, naturalis in ipso fuit.

V. Naturale contra personam aliquando distinguitur; unde duplex dicitur in Christo natura, & una persona: atque hoc sensu, hypostatica unio naturalis dici potest, quia natura, non verò persona hominis à Verbo assumpta fuit. Non est tamen naturalis perverso Apollinaris aut Eutychis sensu, quasi ex duabus naturis, post unionem, una conflata fuerit.

VI. Denique, naturale dicitur quod naturæ debitum est, seu quod ipsa exigit natura; & opponitur supernaturali: atque hoc sensu hypostatica unio naturalis nec est, nec dici potest, sed supernaturalis, omnem naturæ exigentiam longè superans.

Utrum unio hypostatica facta sit in natura, vel in persona.

Eutyches sic in natura unionem factam esse contendebat, ut post Incarnationem, seu unitionem, una tantùm superfuerit in Christo natura, quem errorem paulò antè confutavimus.

S 2 Com-

Communis Orthodoxorum sententia est, unionem in Christo non in natura, sed in persona propriè ac immediatè factam esse. 1. Quia unio in eo propriè ac immediatè facta dici debet, ex quo unus resultat Christus: atqui unus resultat Christus ex unione humanæ naturæ cum una Verbi persona, non cum una natura; aliàs ex duabus naturis simul unitis una composita coaluisset, qui error Eutychis fuit. 2. Quia si unio immediatè facta fuisset in natura divina, Pater & Spiritus sanctus non minùs incarnati dicendi forent, quàm Filius, cùm natura divina una & eadem numero sit in tribus divinis personis.

Hac ratione utitur Ferrandus Diaconus ad Anatolium. *Pater & Filius*, Bibliot. PP. To. 9. pag. 504. G. inquit, *substantia unum sunt, non in personis: una est natura Patris & Filii, sed alia est persona Patris, alia Filii. Filius verò suscipiens carnem .... naturam sibi adunavit humanam, sed in unitate personæ, quam non habet cum Patre communem. Ideo non Trinitas, sed tantummodo Filius & natus & passus est.* Et Toletana Synodus XI. in professione fidei sic loquitur: Tom. 6. Conc. p. 144. A. *Incarnationem hujus Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est..... solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ; in id quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati.*

Inde intelligi facilè potest, quo sensu nonnulli ex SS. Patribus, de quibus Petavius L. 5. de Incarn. dixerint humanam naturam à divinitate assumptam fuisse. Ita S. Augustinus L. 1. de Trinit. S. Leo Serm. 3. de Nativitate c. 3. scilicet per divinitatem Verbum ipsum intelligunt, abstractum pro concreto nonnunquam usurpantes, vel assumptam volunt mediante hypostasi, seu persona Verbi propria, non autem immediatè.

Utrum unio hypostatica sit omnium unionum maxima.

Dignitas & magnitudo unionis hypostaticæ spectari potest, vel ex parte extremorum quæ conjunguntur, vel ex parte illius in quo conjunguntur: atqui ex utraque parte unio hypostatica est omnium maxima. 1. ex parte extremorum realiter distinctorum, naturæ scilicet divinæ, & naturæ humanæ. Eò enim major æstimari debet unio extremorum, quò extrema longiùs à se distant: sed Deus & homo infinito à se distant intervallo; ergo unio per quam duo hæc extrema in unum conveniunt, est maxima. 2. ex parte illius in quo duæ conveniunt naturæ, nempè ex parte personæ Verbi, unio pariter maxima est. Nihil quippè Verbo superius ac dignius cogitari potest: nihil etiam excellentius ac præstantius eo bono, quod humanitati accedit per sui cum Verbo personalem unionem, qua fit ut homo natura & substantia verus Deus evadat. T. 10. p. 810. E. *Tam evecta est natura humana*, inquit S. Augustinus L. de prædest. SS. c. 15. *ut quo attolleretur altiùs non haberet.*

Utrum unio hypostatica perpetua sit, constans & indissolubilis.

Ad calcem Demonstr. Evangelic. p. 176. Marcellus Ancyranus, referente Eusebio L. 3. de Ecclesf. Theol. cap. 9. docuit Christum post ultimum Judicii diem omni officio suo Mediatoris ac Servatoris perfunctum, corpus & animam suam depositurum, quibus in nihi-

nihilum redactis, Regnum, quod ad hoc usque tempus occupaverat, dimittet ac Patri suo resignabit.

Ariani, teste S. Gregor. Nazianz. Orat. 36. censuerunt, divinitatem accedente morte Christi, conterritam ita fuisse, ut ab ipso ante obitum recesserit. To. 1. p. 580. C

Certum apud omnes Catholicos fidei dogma est, ita constanti & indissolubili nexu unitum cum humanitate Verbum, ut eam nunquam deseruerit, aut deserturum omninò sit: unde æterna dicitur in Scripturis Christi potestas, æternum regnum, æternum & sacerdotium. Danielis 7. v. 14. *Potestas ejus*, (Christi) *potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur*. Lucæ 1. v. 33. *Regni ejus non erit finis*. Et Joan. 12. v. 34. *Christus manet in æternum*. Hebr. 13. v. 8. *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula*. Et cap. 7. v. 24. dixerat: *Hic autem* (Christus) *eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*. Denique Psal. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*.

Accedit & definitio fidei in Concilio Chalcedonensi facta, ubi utraque natura dicitur concurrisse in eamdem personam *indivisibiliter & inseparabiliter*. Hæc apud omnes Orthodoxos certa & explorata sunt. Tom. 4. Conc. p. 568. B.

Tota præsens quæstio vertitur de triduo mortis Christi, ac duo quæruntur.

Primum, Cùm anima Christi ab ejus corpore triduo mortis separata fuit, deseruit-ne Verbum animam & corpus Christi? An hypostaticè cum illis unitum semper fuit?

Secundum, Sanguis Christi passionis ac mortis tempore effusus & à corpore sejunctus, habuit-ne sibi eo in statu hypostaticè unitam divinitatem?

An triduo mortis Christi Verbum unitum semper permanserit cum anima & corpore.

Multi è Veteribus negasse videntur. Tertullianus L. contra Praxeam c. 30. Eusebius L. 4. Demonst. Evang. c. 13. S. Hilarius Can. 33. in Matth. S. Epiphanius tùm hæresi 20. quæ est Herodianorum, tùm 69. quæ est Arianorum; S. Ambrosius L. 10. in Lucam, & in Expositione Symboli c. 13. Leporius in Libello emendationis, Vitalis & Constantius Hispani Episcopi in Epistola ad Capreolum Carthaginensem Episcopum.

Communis ac certa sententia est, triduo mortis Christi, Verbum divinum neque à corpore, neque ab anima recessisse.

Probatur 1. ex fidei publico Symbolo, in quo Christus dicitur, mortuus, sepultus, & ad inferos descendisse. Jacuit in sepulchro Christus, quantùm ad corpus; & anima ejus ad inferos descendit: qui autem Christum dicit, divinitatem dicit cum humanitate, aut tota simul, aut cum ejus partibus conjunctam. Utrumque autem istud Symboli caput, & sepultum esse Christum, & ad inferos descendisse, expressè docet S. Petrus primæ Epist. c. 3. v. 18. & 19. *Christus*, inquit, *semel pro peccatis mortuus est.... mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu: in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus vivens prædicavit*. Psalmo 15. v. 10. & Act. 2. v. 27. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Unde autem ista corporis Christi incorruptio? nisi ex insita ipsi ac permanente divinitate.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Athanasius L. de salutari adventu Christi disputans contra Appollinaristas, & S. Gregor. Nyssenus L. 1. contra Eunomium, demonstrant Verbum divinum animæ vices & locum in Christo non obiisse, isto potissimùm argumento, quòd caro Christi nec mortalis fuisset, nec mortua, quia nulla vis mortis potuisset unquam divinitatem ab humanitate divellere: quæ ratio manifestè supponit, tam firmo ac indissolubili nexu divinitatem cum assumpta humanitate connecti, ut ab ea sejuncta nusquam fuerit. Et Oratione prima de Resurrectione, idem S. Gregorius ait, *Deum qui totum hominem per suam cum illo conjunctionem, in naturam divinam mutaverat, mortis tempore à neutra illius, quem semel assumpserat, parte recessisse*. Et paulò post: *Quoniam igitur*, inquit, *duplex est hominis concretio, simplex autem atque una divinitatis natura, cùm homo dirimatur atque distrahitur, divinitas ipsa, quæ individua est, non separatur; sed contrà potiùs propter unitatem naturæ divinæ quæ utrique hominis parti ex æquo inest, quæ sejuncta separataque erant, rursum coeunt & conjunguntur.*

To. 2. p. 824. D.

Ibid. p. 826. B.

S. Augustinus L. contra Felicianum Arianum, c. 14. qui Liber in Appendicem Tom. 8. Operum S. Augustini rejectus est ab Editoribus Benedictinis, & Vigilio Tapsensi restitutus: sic autem loquitur Auctor antiquus, quisquis ille sit, Augustinus, aut Vigilius Tapsensis. *Sic in sepulchro carnem suam commoriendo non deseruit*, (divinitas) *sicut in utero Virginis connascendo formavit . . . . sic mortuus est non descendente vita, sicut passus est non pereunte potentia.*

T. 8. Append. p. 47. B. C.

Ipsemet S. Augustinus in genuinis suis Operibus Tractatu nimirùm 67. in Joan. & Epist. 187. aliàs 57. ad Dardanum, hujus nexus planè indissolubilis inter divinitatem & humanitatem fundamentum statuit, nempè Christum & Deum esse & hominem. *Homo Christus*, ait citata Epistola n. 7. *illo die* (mortis) *secundùm carnem in sepulcro, secundùm animam in inferno futurus erat: Deus verò idem ipse Christus ubique semper est*. Deinde n. 40. *An etiam præter hoc, quod tanquam in templo in illo corpore habitat omnis plenitudo divinitatis, est aliud quod intersit inter illud Caput*, (Christum) *& cujuslibet membri excellentiam? Est planè quòd singulari quadam susceptione hominis illius, una facta est persona cum Verbo*. Et Tract. 68. in Joan. *Formam servi accepit, non tamen formam Dei amisit*. Magistrum sequitur Discipulus S. Fulgentius, L. 3. ad Trasim. c. 16.

To. 2. p. 680. C.

Ibid. p. 691. E.

To. 3. 2. pa pag. 677. G.

Pa. 122.

Sanctus Leo Serm. 17. de Passione, *In tantam*, inquit, *unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi*. Et Ser. 8. de Nativitate, *Utrique naturæ*, ait, *in suis proprietatibus permanenti, tanta est unitatis facta communio, ut quicquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disjunctum; quicquid autem est hominis, non sit à deitate divisum.*

To. 1. p. 291. c. 1.

Ibid. p. 169. c. 1.

Denique S. Joannes Damascenus Libro 3. de fide orthodoxa cap. 27. rem totam nitidè explanat ac conficit. *Quamvis*, inquit, *Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, divinitas tamen à neutro, hoc est, nec ab anima, nec à corpore, quoquomodo sejuncta est, neque propterea persona una in duas personas divisa fuit: siquidem & corpus & anima simul ab initio in Verbi persona existentiam habuerunt; ac licèt in morte divulsa fuerint, utrumque tamen eorum unam Verbi personam*

To. 1. p. 251. A.

nam qua subsisteret, semper habuit. Quamobrem una eademque Verbi hypostasis tùm Verbi tùm corporis hypostasis erat. Neque enim unquam, aut anima, aut corpus, peculiarem, atque à Verbi subsistentia diversam subsistentiam habuit verùm una semper fuit Verbi hypostasis & subsistentia, nec unquam duplex. Idcircò una quoque semper Christi persona fuit: tametsi enim quoad locum, anima à corpore sejuncta erat, hypostaticè nihilominus per Verbum uniebatur.

Tam aperta & clara ista sunt, ut commentario non indigeant. Atque inde prodiit effatum, quod omnes Scholas pervasit, *Quod semel Verbum assumpsit, nusquam dimisit.*

Accedit & Clemens VI. S.P.in Extravag. *Unigenitus, De pœnitentiis & remissionibus*, ubi de fuso in ara crucis Christi sanguine sic loquitur: *In ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat, sed velut quoddam profluvium noscitur effudisse*. Supponit tanquam rem certam S. P. Christi sanguinem, qui in ara crucis effusus est, cum Verbo unitum fuisse, unde fluxit valor illius infinitus ad redemptionem nostram plus quàm sufficiens. P. 351. n. 50.

Narrat Suavis, & post eum Card. Pallavicinus Lib. 17. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 6. Amandum aut Amantem è Familia Servitarum B. Virginis Theologum, quem Episcopus Sebenicensis secum adduxerat, inter disputandum de Communione sub utraque specie, dixisse, *Corpus Christi demortui sejunctum fuisse a divinitate*; atque exorto inter Patres strepitu, dictum illud improbatum fuisse. Observat nihilominus ibidem Pallavicinus, in Acta nullum hujus Servitæ errorem relatum fuisse. To. 3 p. 28.

Qui verò in oppositam sententiam paulò antè laudati fuere Ecclesiastici Scriptores, vel, salva, quæ ipsis debetur, reverentia, deferendi hic sunt; vel, quod satius esse videtur, interpretandi de separatione divinitatis ab humanitate ipso mortis Christi tempore, quod singularem divinæ protectionis influxum; siquidem permisit Deus Christum turpissimæ & acerbissimæ morti addictum fuisse. Ita S. Ambrosium interpretatur Magister L. 3. dist. 21. Ita & Hilarium doctissimi Benedictini, in præfixa ad Opera Hilarii Præfatione.

An sanguis è corpore Christi tempore Passionis effusus, hypostaticè unitus remanserit cum Verbo divino.

Quæstio hìc non est de sanguine Christi corpori ejus, dum viveret, unito, sed effuso ac separato per triduum mortis Christi. Durandus quidem in 4. dist. 10. q. 1. n. 19. Gabriel Lectione 53. in Canonem Missæ, & alii nonnulli, etiam unito sanguini, quantò magis effuso ac separato, negant immediatam cum Verbo conjunctionem, sed remotam dumtaxat, ratione totius corporis, concedunt. Verùm opinio hæc paucos habet patronos ac defensores. De solo igitur effuso ac separato sanguine triduo mortis Christi hic quæstio movetur.

Non etiam hic controversia est, de illis sanguinis Christi particulis, quæ in quibusdam Ecclesiis asservari dicuntur, qualis à Dominicanis ostenta-

tur inclusus in ampulla quam B. Magdalena, cùm Massiliam appulit, asportasse secum, & in antro, ubi delituit, asservasse dicitur: quique, ut ajunt, quotannis in die Parasceves ebulliens apparet; qualis etiam jamdiu Mantuæ ostenditur, multis illustratus miraculis, de quo Annales Francorum in vita Caroli Magni, Platina in Leone III. Baronius ad an. Chr. 804. Quædam etiam sanguinis vestigia impressa in syndone cruore illo sacro tincta, Taurini exhibentur. De illis, inquam, particulis sanguinis Christi hìc non loquimur, neque animus nobis est, aut ad severioris criticæ leges facta hujusmodi expendere, aut Fideles ab illa pia credulitate, & sancto in sanguinem Christi affectu, vel tantillùm dimovere; absit. Hoc unum observo, Theologos, qui pretiosas illas sanguinis Christi reliquias ut veras admittunt, fateri tamen eas hypostaticè cum Verbo unitas jam non esse: communis ferè sententia est, totum, qui è corpore Christi tempore cruentæ mortis sanguis effluxit, à Christo redivivo assumptum rursus fuisse.

Pauci è veteribus Scholæ Magistris præsentem quæstionem attigisse leguntur. Anno 1462. sedente Pio II. S. Pontifice, gravis ea de re orta contentio fuit Dominicanos inter & Franciscanos: negabant isti, triduo mortis effusum Christi sanguinem divinitati unitum permansisse; alii verò pugnaciter affirmabant. Per tres dies, ipso præsente S. Pontifice, magno animorum æstu, hinc & inde agitata fuit quæstio. Nihil à Pontifice tunc pronuntiatum, sed biennio post, Calendis Augusti, die ante obitum 15. edita Constitutione, sub pœna excommunicationis litigantibus silentium imponit, injuncta lege, ne aliqua erroris, aut alterius cujuslibet censuræ nota, sese mutuò eam ob rem configerent, donec à sancta Sede res ea conclusa & definita fuisset: sed adhuc sub judice lis est. Inde duas in partes scinduntur Theologi: alii cum Durando, in 4. dist. 10. q. 1. Tostato Paradoxo 2. Gabriele Lect. 53. in Canonem, Cardinali S. Petri ad vincula, in suo Tractatu, Veritate 5. Richardo de Media Villa L. 3. Sentent. dist. 2. art. 2. q. 1. ad 2. Mayrone in 4. dist. 23. q. 1. negant; alii verò cum Capreolo in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. in responsione ad 5. Bartholomæo Medina 3. part. q 5. in expositione 2. articuli concl. 1. Vasquesio 3. part. q. 5. art. 2. disput. 36. cap. 4. contendunt, triduo mortis sanguinem Christi effusum cum Verbo unitum semper fuisse; imò sententiam oppositam velut temerariam, falsam & erroneam, & à sancta Sede damnatam traducunt. Amplam de præsenti controversia Dissertationem Libris quinque edidit Franciscus Collius Collegii Ambrosiani Doctor Mediolani an. 1617.

Spondanus ad an. 1462.

Non audet ille negantem opinionem velut erroneam damnare; sed affirmantem ut longè probabiliorem, imò & veram ipse amplectitur.

Utriusque verò sententiæ ista momenta sunt ac præsidia. Negantis

I. Quia effusus sanguis mutatur ac corrumpitur; non ergo in eo intimè unita divinitas residet. Act. enim 2. v. 27. dicitur, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

II. Naturæ humanæ partes propter totum assumuntur: sed triduo mortis totum illud, quod Christus est, integrum non permansit, nec Christus homo verus fuit, propter separationem animæ à corpore.

III. Unio hypostatica ab ea sanguinis parte, etiam vivente Christo, recede-

cedebat, quæ calore naturali continuò resolvebatur: quantò magis à sanguine effuso & separato recedere debuit?

IV. Aqua illa mixta sanguine, quæ de latere Christi fluxit, haud dubiè hypostaticam cum Verbo unionem non retinuit; quare autem eam sanguis retinuisset?

V. Unio hypostatica non remansit cum præputio Christi: ergo nec cum effuso sanguine.

VI. Communis opinio est, Verbum anima mediante carnem & sanguinem assumpsisse: sed triduo mortis anima separata fuit à corpore; ergo ea mediante non potuit sanguis effusus cum Verbo conjungi.

VII. Cùm tot numero fuerint guttæ sanguinis Christi tempore Passionis dispersæ, an verisimile est in illis singulis perseverasse hypostaticam unionem, quæ pro numero illarum guttarum sanguinis crescere ac multiplicari pariter debuisset?

VIII. Ex unione hypostatica Verbi cum humanitate sequitur idiomatum communicatio, unde Deus dicitur natus, passus, mortuus &c. At dici similiter non potest, Deus *effusus*: id tamen dici deberet, si in effuso sanguine unita perseverasset divinitas.

IX. Commune istud effatum, *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*, exponunt de partibus essentialibus vel integrantibus: aliàs, inquiunt, dicendum foret, etiam cum humoribus, pilis, unguibus &c. Verbum hypostaticè conjunctum fuisse.

X. denique, observant, S. Joannem Damascenum L. 3. de fide c. 27. de corpore & anima dumtaxat loqui, non de effuso sanguine, de quo ne verbum quidem.

Affirmans verò sententia his momentis nititur.

I. Quia frequenter testatur Scriptura, nos pretioso Christi sanguine redemptos fuisse: at unde virtus illa & efficacia, nisi ex unione ipsius cum Verbo?

II. Testimonia SS. Patrum quæ superiùs adduximus, de sanguine non minùs, quàm de corpore & anima intelligenda sunt.

III. Sanguis Christi ab omni corruptione immunis fuit. Vera enim simpliciter est ista propositio, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. *Act. 2. v. 27.*

IV. Multiè SS. Patribus sanguinem, qui ex aperto Christi latere fluxit, salutarem ac vivificum appellant; ergo cum divinitate conjunctum supponunt.

V. Si triduo mortis Apostolorum aliquis Sacra peregisset, nonne vi verborum verus sanguis Christi præsens factus fuisset, quanquam ab anima tunc sejunctus? Nonne cultu latriæ adorandus? At cultus ille soli divinitati debetur; ergo necesse est supponere sanguinem illum à divinitate tunc separatum ac sejunctum non fuisse.

VI. Gratis omnino ac sine ullo fundamento supponit adversa sententia, adductum S. Joannis Damasceni effatum, *Quod semel Verbum assumpsit, nusquam dimisit*, de anima dumtaxat & corpore debere intelligi, excluso sanguine: in corpore quippe vivente sanguis tùm nutritionis, tùm vitæ pars est non ignobilis, imò prorsus necessaria.

VII. Huic sententiæ apertè favent Pius II. Clemens VI. Paulus II.

quan-

quanquam fatendum sit, eos Pontificia auctoritate nihil eam in rem statuisse.

VIII. denique, esto Deus *effusus* dici non debeat, sicut dicitur sanguis effusus; quid inde? Deum cum effuso sanguine conjunctum non fuisse, nec in Christo locum habere idiomatum communicationem? minimè: sed hoc unum, quòd cùm ista idiomatum communicatio cadat in totum suppositum, nec ab aliqua dumtaxat parte, sed à tota & integra humana natura sumatur, sanguis autem sit tantùm pars corporis humani, non totum corpus, multò minùs tota humana natura; consequenter Deus *effusus* aptè non diceretur, licèt rectè dicatur sanguis *effusus*.

QUÆSTIO OCTAVA.

De extremis unionis, persona Verbi assumente, & humana natura assumpta.

PRæcipuas, quæ fidem spectant, circa personam Verbi quæstiones jam expendimus: nempe, Verbum reipsa carnem assumpsisse; convenientius fuisse incarnari Verbum, potius quàm Patrem & Spiritum sanctum; Incarnationem factam esse in unitate personæ, ac duplici natura; Christum denique verè, propriè ac strictè pro nobis Deo Patri satisfecisse. Quæ igitur hìc discutienda sunt, merum spectant Scholæ exercitium, & varias, easque liberas, Theologorum opiniones. Nimirum

I. An subsistentia, per quam Verbum divinum supplet ac perficit creatam humanæ naturæ subsistentiam, sit aliquid à substantia distinctum.

II. An creata subsistentia possit alienam terminare seu assumere naturam.

III. An natura divina præcisa à suis relationibus, immediatè ac per se possit uniri cum humanitate; & utrum, si daretur in Deo absoluta subsistentia, posset immediatè cum humanitate copulari.

IV. Utrum plures personæ divinæ possint eamdem assumere humanitatem, vel plures; vel una persona pluribus naturis simul conjungi.

ARTICULUS PRIMUS.

An subsistentia sit aliquid à substantia realiter distinctum.

HYpostasim à natura quodammodo distingui ignorarunt Philosophi quibus fides non illuxit, & Hæretici qui mysterium Trinitatis oppugnavere. Fide quippe certissimum est, esse in Deo unicam numero essentiam, & tres personas quæ à se invicem realiter distinguuntur, non essentia, sed personalitate. Certum etiam est, in Mysterio incarnati Verbi, neque Patrem, neque Spiritum sanctum, sed solum Filium carnem sibi in unitatem personæ assumpsisse, tametsi una sit & prorsus eadem Filii cum Patre ac Spiritu sancto natura; certum consequenter esse debet, nonnihil distinctionis intercedere inter naturam & personam. Quapropter fidei principiis minùs consona videtur eorum opinio, qui nullam, nequidem virtualem, admittunt distinctionem inter naturam & personam. Scholæ igitur controversia est, quid sit subsistentia, quidve naturæ superaddat. Quatuor præcipuæ sunt eam in rem opiniones Scholæ.

Prima

Prima eorum qui ſubſiſtentiam nihil aliud eſſe ajunt, quàm ſubſtantialem rei exiſtentiam.

Refellitur. 1. Quia tres ſunt in Deo ſubſiſtentiæ, unica verò ſubſtantialis exiſtentia. 2. In Chriſto humanitas propriam habet exiſtentiam, non autem propriam ſubſiſtentiam. 3. Alia eſt ratio exiſtentiæ, & alia ſubſiſtentiæ: per exiſtentiam res eſt extra nihil, per ſubſiſtentiam verò in ſe ac per ſe ſubſiſtit.

Secunda opinio ſubſiſtentiam creatam in duplici, increatam verò in triplici negatione reponit: nempe quatenus incommunicabilis eſt alteri, ut ſubjecto, ut parti, ut ſuppoſito, quia nempe eſt ens per ſe ſubſiſtens, id eſt ſui juris; nec in ſuis proprietatibus aut operationibus dependet ab alio, tanquam à particulari principio.

Refellitur. Tùm quia ſubſiſtentia eſt quid poſitivum, cùm ſit ultimum naturæ complementum: tùm quia triplex illa negatio ſupponit ſubſiſtentiam. Ideo enim ſubſtantia incommunicabilis eſt alteri, ut ſubjecto, ut parti, & ſuppoſito, quia eſt ens per ſe ſubſiſtens, id eſt ſui juris; nec in ſuis proprietatibus & operationibus dependet ab alio, tanquam à principio particulari.

Tertia opinio contendit ſubſiſtentiam eſſe modalem entitatem à ſubſtantia realiter & modaliter diſtinctam. Ita Suares, & cum illo multi recentiores.

Quarta, ſubſiſtentiam, non reipſa, ſed virtute dumtaxat à natura diſtinguit.

CONCLUSIO.

Subſiſtentia non eſt entitas realiter modaliter à ſubſtantia diſtincta, ſed eſt ipſamet natura prout ſui juris eſt, non alieni.

Prima pars probatur. 1. Quia natura humana in Chriſto perfecta eſt, nec ulla caret entitate naturali; Chriſtus etenim perfectè nobis ſimilis fuit, excepto peccato. Hebr. 2. v. 17. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* S. Auguſtinus Ench. cap. 34. *Nihil*, inquit, *naturæ humanæ in illa ſuſceptione fas eſt dicere defuiſſe.* Idem aſſerunt S. Athan. Tract. de adventu Chriſti contra Apollinarem, S. Gregorius Nazianz. Orat. 51. S. Cyrillus Alexandr. L. ad Reginas. Porrò defuit in humana Chriſti natura perſonalitas propria; ergo perſonalitas illa non eſt quid realiter modaliter diſtinctum à natura. T. 6. p. 205. F.

II. Entitas illa naturæ ſuperaddita inutilis planè ac ſuperflua videtur, quia ſine illa exponi poteſt quomodo natura per ſe ſubſiſtat.

III. Subſiſtentia eſt naturæ totalitas: ſed totalitas illa non eſt entitas ſuperaddita.

Secunda pars probatur. I. Quia ſubſiſtentia eſt naturæ incommunicabilitas alteri tanquam ſuppoſito: ſed illa incommunicabilitas eſt ipſamet natura ultimò & per ſe terminata & completa. Sicut enim ſubſtantia per ſe, nullo ſuperaddito, incommunicabilis eſt alteri tanquam ſubjecto inhæſionis, & alteri tanquam comparti, quia ſubſtantia, quando completa eſt, ex ſe apta non eſt inhærere alteri, & tanquam compars uniri; ita quoque

per

per seipsam singularis est, & incommunicabilis alteri tanquam supposito.

II. Cùm substantia alteri nobiliori non unitur, nec alterius, sed sui juris est, tunc per se, nullo superaddito, subsistere censetur; ergo humanitas Christi ideo per se non subsistit sua propria subsistentia seu personalitate, quia non sui, sed alieni juris est; sicut exposuimus suprà, ubi de natura hypostaticæ unionis.

Inde colliges, subsistentiam virtualiter tantùm à substantia distinctam esse.

Dices: Quæ realiter separantur, & separatim existunt, ea realiter à se invicem distinguuntur: atqui subsistentia & natura realiter separantur, ut patet ex mysterio Trinitatis & Incarnationis. In Filio v.g. divino tota est Patris substantia, non verò persona: in Christo tota natura humana, sine humana persona; ergo &c.

Resp. dist. maj. realiter distinguuntur, connotativè, concedo: realiter entitativè, nego. Sic v.g. inflexio digiti & digitus possunt à se invicem separari; quia potest esse digitus sine inflexione; neque tamen digitus realiter entitativè distinguitur ab inflexione, sed tantùm realiter connotativè, prout scilicet digitus inflexus tali situi correspondet. Pariter subsistentia non distinguitur à substantia, quoad entitatem, sed tantùm quoad connotationem: quia nempe substantia potest non connotare alienam subsistentiam nobiliorem, adeoque sui proprii juris esse; potest etiam eam connotare, & connotando desinere esse sui juris.

Instabis 1. Inde sequitur, humanam subsistentiam entitativè spectatam in Christo fuisse; ac consequenter humanam personam, saltem quoad entitatem. Probatur sequela: Quia subsistentia realiter & entitativè non distinguitur à substantia; ergo ubi est substantia, ibi est entitativè subsistentia seu persona. Ergo duplex in Christo agnoscenda erit persona, una formalis, eaque divina; altera entitativa, eaque humana.

Resp. dist. sequelam antecedentis: sequitur, subsistentiam humanam materialiter & entitativè spectatam, quatenus est ipsamet natura humana, fuisse in Christo, concedo: subsistentiam humanam formaliter & connotativè spectatam, nego. Sic v.g. numerus binarius est in ternario materialiter & entitativè, non verò formaliter & connotativè, quatenus nempe tertiam negat unitatem. Nego verò dici posse quòd sit in Christo humana persona saltem entitativè & materialiter, quia scilicet nomen personæ formalem sonat effectum subsistentiæ formaliter & connotativè sumptæ; hoc est, subsistentiæ quatenus est ultimus naturæ terminus, eamque reddit alteri tanquam supposito incommunicabilem. Humana porrò subsistentia formaliter & connotativè spectata in Christo non reperitur; quandoquidem natura ejus humana sui juris non est, sed alieni; nec propria, sed aliena subsistit Verbi subsistentia.

Instabis 2. Si natura humana eo ipso per se non subsisteret, quo Verbo divino unitur, Verbum quoque vicissim desineret per se subsistere, eo quòd cum humanitate conjungitur.

Resp. nego ant. & parit. Disp. est, quia natura humana à Verbo tanquam à nobiliori perficitur, & ea quidem perfectione, qua ut altiùs ascendat, non habet: è contra, Verbum sui cum humanitate conjunctione *exinanitur*, nedum perficitur.

Instabis 3. Si substantia eo ipso propriam amitteret subsistentiam, & sui juris

juris esse desineret, quo nobiliori naturæ conjungeretur, nullo negotio SS. Patres contra Nestorium probassent unam dumtaxat esse in Christo personam.

Resp. dist. maj. Si Nestorius substantialem agnovisset unionem inter Verbum & humanitatem, concedo: si moralem dumtaxat & accidentalem, nego. Porrò, ex dictis sæpius, Nestorius nonnisi moralem admisit Verbum inter & humanitatem unionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

An possit creata subsistentia alienam terminare naturam.

Substantia creata comparari potest vel cum nobiliori, ut homo cum Angelo; vel cum æquali, ut homo cum homine; vel cum inferiori, ut homo cum bruto.

Nonnulli è Veteribus, ut Origenes, de quo S. Hieronymus Præfatione in Malachiam, & alii, de quibus idem sanctus Doctor in caput 1. Aggæi, videntur existimasse Malachiam, Joannem Baptistam, & Aggæum veros Angelos fuisse in assumpta carne, quos refellit sanctus Hieronymus; aitque illos aliquando Angelos appellatos, non natura, sed officio.

Thomistæ, quibus se adjungit Suares, Vasques & alii nonnulli è recentioribus, putant impossibile esse ut creata subsistentia alienam terminet naturam, rati virtute infinita ad hoc opus esse. Scotus verò, Gabriel, & alii è contra sentiunt.

CONCLUSIO.

Subsistentia creata non potest assumere naturam nec se perfectiorem, nec sibi æqualem, sed tantùm inferiorem.

Prima pars manifesta videtur. Quia subsistentia naturam, quam assumit, assumendo complet ac perficit: porrò natura inferior ac imperfectior non potest superiorem, imò nec sibi æqualem, perficere ac complere. Ita non potest homo Angelum, vel alterum hominem in unitatem personæ assumendo perficere. Hac ratione S. Athanasius L. de Incarnatione Verbi, Apollinaristas garrientes carnem Christi Verbo consubstantialem esse, premebat, quia nempe quod alteri est consubstantiale, assumi ab illo non potest in unitatem personæ, eo quòd perfici ab illo non possit: at caro Christi seu humanitas longè perfectior facta est ex unione cum Verbo; ergo non est Verbo consubstantialis.

Secunda pars non minùs aperta videtur. Naturà quippe superior ac perfectior inferiorem & imperfectiorem assumendo, perficere illam potest; nec ad hoc necessaria videtur virtus infinita: ad supplendum quippe aliquid finitum, qualis est subsistentia creata, necessaria non videtur infinita virtus.

Scio quidem SS. Basilium in Psal. 44. Hilarium L. 4. de Trinit. Maximum Dial. 5. de Trinit. Augustinum L. 4. de Trinit. cap. 20. ex eo capite infinitam esse virtutem ac potentiam Verbi ostendere, quòd sibi hypostaticè humanitatem conjunxerit. Fatemur ultrò: verùm discrimen est, quòd Verbum pro-

proriis suis viribus alienam sibi conjunxerit naturam, ad quod infinita virtute opus esse non negamus: Conclusio verò nostra intelligitur de natura creata superiore quidem ac perfectiore, sed quæ ex potentia dumtaxat obedientiali, ut vocant, seu Dei concursu extraordinario, alienam ac inferiorem naturam terminaret.

ARTICULUS TERTIUS.

An natura divina præcisa à suis relationibus, immediatè ac per se possit uniri humanitati; & utrum si daretur in Deo absoluta subsistentia, posset humanitati immediatè conjungi.

PRIMA CONCLUSIO.

Divina essentia à suis relationibus præcisa, immediatè ac per se non potest humanæ naturæ conjungi.

Probatur: Quia, ex dictis antea contra Eutychianos, impossibile est ut ex unione naturæ divinæ ac humanæ aliqua tertia natura resultet; totum quippe per se, ex duobus entibus completis exurgere nunquam potest: atqui utraque natura divina & humana completa est in ratione naturæ; ergo &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ex hypothesi impossibili quòd unica foret in Deo absoluta subsistentia seu personalitas, impossibile non esset humanam naturam à divina assumi.

Probatur: Quia in ea hypothesi, procul dubio falsa, unica foret in Deo persona, quæ æquè posset humanam naturam assumere & terminare, ac illam de facto assumpsit ac terminavit divina Verbi persona. Verùm tædio nobis sunt ejuscemodi fictitiæ ac impossibiles hypotheses.

ARTICULUS QUARTUS.

An plures divinæ personæ possint eamdem assumere humanitatem, aut plures: vel una persona pluribus naturis simul uniri.

Triplex in hoc Articulo continetur hypothesis. Prima, utrum plures divinæ personæ v. g. Pater & Filius, eamdem numero humanitatem assumere possint. Secunda, utrum possint plures numero naturas assumere. Tertia, utrum una persona possit pluribus naturis simul conjungi.

CONCLUSIO.

Impossibile non videtur, aut plures personas divinas eamdem, vel plures naturas simul assumere; aut unam personam pluribus simul naturis conjungi.

Pro-

Probatur: Quia nulla videtur esse repugnantia, aut ex parte divinarum personarum assumentium, aut ex parte naturæ creatæ assumptæ.

Non ex parte divinarum personarum, quæ infinitam habent ad terminandum virtutem: & reipsa in mysterio SS. Trinitatis, tres divinæ personæ eamdem numero divinam terminant essentiam.

Non ex parte naturæ assumptæ: illa etenim licèt ex se nonnisi unam eamque ordinis naturalis subsistentiam exigat, nihil tamen obstare videtur, quo minus reipsa plures actu habeat supernaturales; non quòd eas exigat, sed quòd ex potentia obedientiali eas recipiat.

Neque verò sequeretur inde, quod nonnulli contendunt, naturam illam eo in casu infinitam fore, sicut infinita est divina, quæ una numero in tribus distinctis personis subsistit. Namque disparitas aperta est: divina scilicet natura ex sese infinita, triplicem, in qua subsistit, personalitatem seu subsistentiam postulat & exigit; non ita natura creata, quæ unica sibique connaturali subsistentia ultimò completur ac perficitur.

Neque etiam inde sequeretur, talem naturam simul totaliter completam fore, & non completam, utpote quæ per unam subsistentiam totaliter completa, per aliam etiam compleretur. Namque sub diverso respectu totaliter completa foret, & non completa. Si v.g. Pater & Filius eamdem assumerent naturam, totaliter completa illa foret per subsistentiam Patris in ratione paternitatis, non verò filiationis; & vice versa, completa totaliter foret per subsistentiam Filii in ratione filiationis, non autem paternitatis. Et verò res ita se habet in mysterio SS. Trinitatis, in quo divina essentia triplici distincta subsistentia completur ac subsistit.

In ea porrò hypothesi in qua plures personæ unicam humanitatem, aut una persona plures assumeret naturas, non plures, sed unus homo foret. Ratio est, quia vox *homo* concretum est substantivum: ad multiplicandum autem concretum substantivum, necesse est multiplicetur simul & forma, & subjectum formæ. Porrò in ea hypothesi, una foret, non multiplex humanitas; ac consequenter unus, non multiplex homo: eo ferè modo quo unus est Deus in tribus distinctis personis, quia una & eadem est in illis divina essentia. In mysterio pariter Incarnationis Verbi, licèt duæ sint naturæ distinctæ, non tamen duplex, sed unus est Christus, quia non duæ, sed una est persona eaque divina.

In ea pariter hypothesi nulla daretur idiomatum communicatio inter divinas personas. V.g. si Pater & Filius eamdem humanitatem assumpsissent, Pater dici non posset genitus, aut Filius ingenitus. Ratio est, quia idiomatum communicatio fundatur in unitate suppositi, ac pluralitate naturarum: atqui in ea hypothesi, vel plures essent naturæ, & una persona; vel plures personæ, & unica natura; & idcirco nulla inter illas admitti deberet idiomatum communicatio.

DE NATURA ASSUMPTA.

Præsentem quæstionem in quinque Articulos distribuemus.

Primus, an Verbum divinum veram nobisque consubstantialem naturam humanam assumpserit.

Secun-

Secundus, an humanitatem per se subsistentem, seu personam assumpserit, aut assumere potuerit.

Tertius, an assumpserit naturam universalem ab omnibus individuis abstractam, an singularem.

Quartus, utrum angelica natura, vel etiam irrationalis, potuerit à Verbo assumi.

Quintus, de ordine quo assumpta fuit à Verbo humanitas: an carnem immediatè, vel mediante anima Verbum assumpserit.

ARTICULUS PRIMUS.

An Verbum divinum veram nobisque consubstantialem naturam humanam assumpserit.

QUanta furoris insania inter veteres Hæreticos nonnulli in veram Christi humanitatem debacchati fuerint, exposuimus initio hujus Tractatus à p. 34. ad 41. Proprius hìc verò locus est, eos omnes confutandi, tùm eos qui Docetæ seu Phantasiastæ dicebantur, quibus corpus Christi non verum ac solidum, sed umbratile ac phantasticum videbatur; tùm eos, qui verum quidem illud ac solidum corpus esse agnoscebant, sed ex Maria Virgine natum inficiabantur; tùm denique eos qui humanitatem Christi anima, aut saltem mente spoliabant, rati Verbum divinum in Christo animæ ac mentis vices abundè supplevisse.

CONCLUSIO.

Verbum divinum veram nobisque consubstantialem humanitatem, solidum corpus, veram carnem ex Maria Virgine natam assumpsit.

Tam disertè ac clarè fundamentale istud Religionis nostræ caput in Scripturis exprimitur, ut mirum sit ab aliquibus negari potuisse. Quatuor argumentis ex Scriptura invictè illud demonstramus.

I. ex nativitate, ac tota vitæ Christi mortalis serie.
II. ex genealogia Christi.
III. ex nominibus quibus Christus insignitur.
IV. ex natura quæ ipsi tribuitur.
V. ex variis Christi officiis ac muneribus.

I. *A nativitate.*

Futuram illam ex Virgine nativitatem, nullus inter Prophetas clariùs indicavit, quàm Isaias c. 7. v. 14. his verbis. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Cujus prophetiæ complementum refert S. Matth. c. 1. v. 23. & S. Lucas c. 1. v. 30. *Ne timeas, Maria*, inquit Angelus Gabriel, *invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen eius Jesum*. Et v. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Apud S. Matth. cap. 1. v. 18. refertur Christi nativitas: *Cùm esset*, inquit, *desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Et c. 2. v. 1.

Cùm

Cùm ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis. Inde S. Paulus Galat. 4. v. 4. Christum vocat *factum ex muliere*; & Hebr. 7. v. 14. Tribum designat ex qua natus est: *Manifestum est enim quòd ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.*

Hæc ne, quæso, alium, quàm verum hominem designare possunt? An hominis phantastici nativitas, familia, tempus, ac modus nativitatis tam accuratè describi potuissent? An natus ex Maria Virgine Christus diceretur, si caro è Cœlo delapsa, per Mariam tanquam per merum canalem dumtaxat transiisset; quid insultius? Adde & omnes vitæ mortalis Christi circumstantias. Circumciditur; à Magis adoratur; parentibus subditus est; docet; patrat miracula; lachrymas fundit; flagellis cæditur; cruci affixus moritur. An hæc omnia totidem fuere sensuum nostrorum ludificationes, & ab homine umbratili ac phantastico factæ præstigiæ? Quis sui compos credat? Momentum hoc ex nativitate, vita & morte Christi urgent contra hæreticos Phantasiastas SS. Patres.

S. Ignatius Martyr in genuina ad Trallianos Epistola. *Obturate igitur*, inquit, *aures vestras, cùm vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria; qui verè natus est, edit, & bibit; verè persecutionem passus est sub Pontio Pilato; verè crucifixus & mortuus est, videntibus cælestibus, terrestribus, & subterraneis; qui & verè resurrexit à mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius.* Et in Epistola ad Smyrnenses docet, quòd si Christus specie tenus & opinione tantùm natus sit, passus & mortuus, Ignatius ipse non verè, sed fictè tantùm ac opinione pati & cruciari debeat, quia, in mente Hæreticorum, nonnisi pro phantastico homine pateretur ac cruciaretur. *Edit. Cotell. p. 864. D.* *Ibid. p. 873. D. E.*

S. Irenæus Lib. 5. c. 1. Tertull. Lib. 3. contra Marc. c. 8. hac ipsa ratione ex passione ac morte Christi ducta utuntur, ut evincant illum verum, non phantasticum fuisse, cujus sanguine, non fictè, non simulatè, sed verè redempti & à servitute dæmonis liberati sumus. *Nihil solidum ab inani*, ait Tert. loco mox citato, *nihil plenum à vacuo perfici licuit. Putativus habitus, putativus actus; imaginarius operator, imaginariæ operæ. Sic nec passiones Christi ejus fidem merebuntur: nihil enim passus est, qui verè non est passus; verè autem pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus: totum christiani nominis & pondus, & fructus, mors Christi negatur... nec de resurrectione constabit... Proinde resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est.* *P. 401. D.*

Idem Tertullianus L. de carne Christi cap. 5. eosdem Hæreticos festivè ac eleganter carpebat isto momento, Christum scilicet potius voluisse verè nasci, quàm in semetipsum, falsa solidæ carnis specie, mentiri. *Maluit, crede, nasci, quàm ex aliqua parte mentiri, & quidem in semetipsum; ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem.* *P. 310. D.*

II. *A genealogia Christi.*

Refertur genealogia Christi à SS. Matth. c. 1. & à S. Luca c. 3. Inde Apostolus Rom. 1. v. 3. ait, *Filium Dei factum esse ex semine David secundùm carnem.* An verò hominis fictitii seu phantastici genealogia tanta cura & diligentia describitur? *Posco nunc*, ait Alcimus Avitus Epistola 3. *bis proavorum successionibus ac nepotum, ex memorato patre usque ad virgineum fœtum, toto derivatæ hæreditatis accessu, phantasmatis linea ducatur, an traducis?* (*Bibliot. PP. To. 9. p. 566. G.*)

Idem ex genealogia Christi momentum urgebat Tertull. L. de carne Christi cap. 20. adversùs eos Hæreticos qui delapsum è Cœlo corpus Christi, ac per Mariam veluti per canalem transiisse putabant, quòd in ea, non ex ea natum dicatur, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* (*Matt. 1. v. 20.*) *Nempe*, ait Tertull. *tametsi ex ea dixisset, in ea dixerat. In ea enim erat, quod ex ea erat... sed benè, quod idem dicit Matthæus, originem Domini decurrens ab Abraham usque ad Messiam: Jacob, inquit, generavit Joseph virum Mariæ, ex qua nascitur Christus. Sed & Paulus Grammaticis illis silentium imponit: Misit, inquit, Deus filium suum factum ex muliere.* (*P. 322. C.*)

Hujusce momenti vi ac pondere oppressi Manichæi, hanc Scripturæ partem, in qua Christi genealogia texitur, expungere coacti fuere.

III. *Ex nominibus Christi.*

I. Christus sæpissime vocatur in Scripturis, filius hominis, filius David, homo. Joan. 8. v. 40. *Nunc autem*, ait Christus, *quæritis me interficere hominem.* Matth. 17. v. 21. *Filius hominis tradendus est in manus hominum.* Et cap. 1. v. 1. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* 1. ad Timot. 2. v. 5. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.*

Neque est quòd dicas, Angelos in assumptis corporibus nonnunquam filios hominum dictos esse. Esto ita sit, quàm lata est disparitas! Homines dicti sunt, ob apparentem ac visibilem, qua induti erant, hominis speciem; non ex propria eorum natura: nusquam Angelorum nativitas, parentes, familia, genealogia, & alia hujuscemodi, sicut de Christo, referuntur.

Neque etiam vim habet quod ajunt, Christum filium Abrahæ & Davidis ideo appellari, quòd illis promissus fuerit. Tùm quia Evangelistæ asserunt Christum ex *semine* David natum esse: istud, ex *semine*, veram procul dubio nativitatem significat. Tùm quia Christus omnibus sanctis ac prædestinatis promissus est, à Gentibus expectatus: an idcirco illorum filius aliquando dictus est aut dici potuit?

II. Christus in Scripturis vocatur *semen mulieris*, Gen. 3. v. 15. *semen Abrahæ*, Gen. 12. v. 3. *filius Abrahæ*, Act. 3. v. 25. *filius Davidis, & fructus lumborum ejus*, Lucæ 1. v. 32. *semen Virginis & fructus ventris ejus.*

IV. *Ex natura Christi.*

Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum est.* Rom. 1. v. 3. *Factus ex semine David secundùm carnem.* Philipp. 2. v. 6. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens,*

cipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Hebr. 2. v. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse pariter communicavit eisdem*. Et v. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Denique Lucæ ultimo, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Nihil expressius præferri potest ad conterendam Hæreticorum impietatem.

V. *Ex officiis & muneribus Christi.*

I. ex officio Redemptoris: proprio etenim sanguine Christus & Ecclesiam acquisivit, & nos à peccato & dæmonis servitute liberavit, ut superiùs abundè probatum est.

II. ex officio Pontificis. *Omnis Pontifex*, ait Apostolus Hebr. 5. v. 1. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum*. Unde cap. 5. v. 15. de Christo idem Apostolus dixerat, *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*.

III. ex officio Mediatoris; is etenim verus homo esse debet, ut & verus Deus: verus homo, ut possit pro nobis intercedere; verus Deus, ut intercessioni valorem ac pretium tribuat, *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, ait Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 5.

IV. ex officio doctoris & legislatoris. Filius scilicet divinus, ut nos viam salutis edoceret, missus à Patre fuit: divinæ autem majestatis splendorem homo mortalis sustinere non potuisset, nisi carnis indumento temperatus ac conditioni nostræ fuisset accommodatus. Hac ratione utuntur S. Irenæus L. 5. adversùs hæreses c. 1. S. Augustinus L. 1. de doctr. Christiana c. 11. *Iren. p. 291. Aug. T. 3. part. 1. p. 8.*

Atque hæc potissimùm Scripturæ testimonia urgebant sancti Ecclesiæ Doctores adversùs Manichæos, Marcionitas, Apollinaristas, aliosque veræ ac solidæ carnis Christi oppugnatores.

Addebant & ista rationum momenta. 1. Quia si Christus verè ac substantialiter homo non esset, nihil foret discriminis inter Incarnationem Dei novissimis temporibus factam, & modum, quo veteribus Patriarchis in Lege veteri apparuisse legitur: atqui discrimen istud exponit ipse Apostolus Hebr. 1. v. 1. *Multifariam, multisque modis*, ait, *olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula*. Veteribus Patriarchis loquebatur Deus per Verbum suum nondum carne indutum, nobis verò in carne loquitur. Ita S. Irenæus Lib. 5. toties laudato. 2. Idem sanctus Doctor L. 3. c. 20. Christum verè passum inde ostendit, quòd nos ad cruces, ærumnas ac labores hujus vitæ patienter tolerandos exemplo suo incitat & adhortatur: at nisi prior ipse ærumnis ac doloribus subditus fuisset, nos seduxisset, ac mendaciter imposuisset nobis: unde concludit ibidem Irenæus, nos supra magistrum Christum futuros, qui verè, non fictè, ut Christus, patimur & affligimur. 3. Suprema & increata veritas nec falli potest, nec fallere: at si Christus phantasticum & umbratile corpus, non verum ac solidum assumpsisset, nos induxisset in errorem, qui tam aptè simulata carnis veritate, se verum hominem exteriùs gerit ac demonstrat, qualis tamen, si Hæreti-

reticis credimus, reipsa non erat. Ita SS. Irenæus ibidem; Epiphanius, Augustinus L.83.quæst.qu.1.4. Si Christus fictus dumtaxat ac phantasticus homo erat, ergo & fictus ac umbratilis Deus: neque enim evidentiùs Scriptura ejus divinitatem designat, quàm humanitatem. Ita Tertull. L.3. contra Marcionem c.8.5. Si Christus humanitatis nostræ verè ac propriè particeps non fuit, neque nos divinitatis illius ac cœlestis, qua fruitur, gloriæ, participes esse possumus; omnis enim spes ac salus nostra in Christo capite nostro ac sponsore, fidei auctore ac consummatore posita est. Liceat ergo cum S. Joanne Epist. 1. c. 4. v. 2. concludere, *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est antichristus.*

Solvuntur Objectiones veterum Hæreticorum.

Objicies 1. Philipp. 2. v. 7. Christus factus dicitur *in similitudinem hominum, & habitu inventus ut homo.* Et Rom. 8. Deus *Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Sicut ergo Christus verè peccati carnem non assumpsit, ita nec veram & humanam carnem, sed tantùm externè & apparenter similem.

Resp. nego conseq. Duplex est similitudo: una externæ tantùm apparentiæ; altera, internæ veritatis, ac naturalium proprietatum. Priori modo Christus factus dicitur in similitudinem carnis peccati, quia caro ejus, quoad externam speciem, videbatur caro peccati, tametsi reipsa purissima foret, & ab omni vel minima peccati umbra remota: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Lucæ 1. v. 35. *Qui non noverat peccatum,* ait Apostolus 2. Cor. 5. v. 21. *pro nobis peccatum fecit,* (hoc est pœnas peccati tulit) *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Posteriori modo Gen. 5. v. 3. Adam genuisse dicitur Seth *in similitudinem suam:* hoc est, sibi planè in natura similem seu consubstantialem. Et Jacobi 5. v. 17. Elias dicitur *homo similis nobis passibilis.* Hoc sensu Apostolus dixit Christum *factum esse in similitudinem hominum, & habitu ut hominem inventum;* id est, verè & quoad substantiam similem nobis fuisse: *qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Nomine autem formæ, natura ipsa seu substantia tùm divina, tùm humana intelligitur.

Philipp. 2. v. 7. 8.

Objicies 2. Christus ipse carnem despicit ac damnat: 1. Cor. 15. v. 50. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt:* Quomodo igitur veram carnem Verbum assumpsisset? Non aliter ergo Christus caro factus dicendus est, quàm dicitur pro nobis factus *maledictum ac peccatum;* non quidem propriè ac verè, sed apparenter tantùm ac specie tenus.

Resp. dist. ant. Christus carnem ipsam, id est opera carnis, seu peccata damnat, concedo: carnem, id est substantiam carnis, nego. Ita Tertull. L. 5. contra Marc. c. 14. Inde patet longè dissimili ratione Christum pro nobis *maledictum & peccatum* factum: non quòd peccatum fecerit, qui sanctus est ac impollutus, segregatus à peccatoribus; sed quòd peccati pœnas à nobis, quibus debitæ erant, in se transtulerit.

Objicies 3. Joan. 3. v. 13. Christus ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Et c. 6. v. 41. *Ego sum panis*

nis vivus qui de cœlo descendi. 1. Cor. 15. v. 47. *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis*. Quibus in locis videtur Scriptura innuere, corpus Christi de Cœlo delapsum esse, ac per Mariam Virginem, tanquam per canalem, transmeasse: neque enim Deus, ut Deus est ubique diffusus, è Cœlo propriè descendere dici potest. Deinde Apostolus corpus Christi opponit terreno, quod corruptioni obnoxium est; non ita verò corpus Christi, de quo dicitur Act. 2. v. 27. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*.

Resp. Christum de Cœlo descendisse. 1. non ratione corporis, sed divinæ Verbi personæ, non quidem per motum localem, quasi Cœlum paternam sedem aliquando deseruerit, absit; sed per assumptionem humanæ nostræ naturæ, qui modus descensus, summa est Verbi demissio & exinanitio. Ita S. Hilarius L. 10. de Trinit. 2. Christus è Cœlo descendisse dicitur, ratione causæ efficientis, nimirum Spiritus sancti, cujus operatione ac virtute humanitas Christi in utero B. Virginis concepta & formata est. 3. ratione conditionis vitæ Christi, quæ tota divina & cœlestis fuit, propria & innata sanctitate ac potestate, non autem ipsa corporis conditione. Ad hunc sensum respexisse videtur Apostolus: unde colligit, Christum ejusque discipulos spiritalia sectari; homines verò ex Adamo progenitos, mundana & terrestria, ac concludit: Igitur *sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis*. Ita Tertull. L. de carne Chr. c. 8. Quamobrem antithesis quæ Joan. 3. instituitur, cùm Christus dicitur venire de Cœlo, homines verò è terra; antithesis, inquam, illa, non probat carnem Christi è Cœlo descendisse, sed tantùm nudos & meros homines è terra oriundos S. Joannes Christo opponit: cùm verò 1. Cor. 15. Christus opponitur Adamo, oppositio non fit ratione carnis, secundùm quam vocatur filius Adami, Lucæ 3. v. 38. sed ratione personæ ac officii. Pariter corpus Christi ante mortem cœlestis ac immortalis corporis dotibus ornatum non fuit, tametsi corruptionem non senserit quamdiu jacuit in sepulchro: fieri etenim non poterat, ut corpus, cui unita erat divinitas, corruptioni aliis corporibus propriæ ac communi subjaceret. 1. Cor. 15. v. 49.

Objicies 4. S. Matth. ait quidem in Maria natum Christum, non ex Maria; quæ loquendi ratio significat aliunde in Mariam adductam Christi carnem, non ex illa genitam: quapropter Christus ipse profitetur, se neque matrem, neque fratres habere: *Quæ est mater mea*, inquit, *& qui sunt fratres mei*? Matth. 12. v. 48. & Joan. 2. v. 4. *Quid mihi & tibi est mulier*? dicebat Mariam alloquendo, quam nusquam matrem suam appellasse legitur, sed nudè ac simpliciter mulierem.

Resp. vanam omnino ac futilem esse illam Hæreticorum argutiam, seu, ut ait Tertullianus L. de carne Christi cap. 20. *tortuositatem*, in assignando discrimine inter particulas *in* & *ex*; in eumdem enim sensum hic recidunt: *In ea enim erat*, ait Tertull. *quod ex ea erat*. Præterea S. Lucas usus est particula *ex* c. 1. v. 35. *Quod ex te nascetur sanctum, Filius Dei vocabitur*. Christus non negat sibi & matrem & fratres, id est consanguineos revera esse; sed falsam dumtaxat Judæorum mentem, qui communi cæterorum hominum more illum ex matre genitum esse opinabantur, emendare vult ac corrigere. Deinde citatis verbis innuit, matrem ac fratres spirituales, qui legem Dei religiosè P. 322. C. Ibid.

 obser-

observant, carnalibus longè anteponendos esse, & potiori apud se in loco habendos. Quapropter ibid. Matth. 12. v. 49. Christus manus in Discipulos suos extendens dicebat: *Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Et Lucæ 11. v. 27. cùm quædam de turba mulier exclamasset, *Beatus venter qui te portavit*: respondet Christus, *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Cùm verò Jo. 2. Christus ad matrem dixit, *Quid mihi & tibi mulier?* non negavit Mariam suam esse matrem; sed appositè ad circumstantias temporis & miraculi quod mox operaturus erat, convertendo scilicet aquam in vinum in nuptiis Cana Galilææ, (quod miraculum postulaverat B. Virgo) Christus reponit, nihil sibi & matri ea in re commune esse: virtutem etenim & potentiam tanti miraculi patrandi, non à matre per temporalem, sed à Patre suo per æternam in splendoribus sanctorum generationem accepit. Ita S. Augustinus Libro de Fide & Symbolo c. 4. *Nec nos*, inquit, *ad negandam Christi matrem cogit, quod ab eo dictum est*, Quid mihi & tibi &c. *sed admonet potiùs ut intelligamus secundùm Deum non eum habere matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo.*

T. 6. p. 155. F.

Etsi verò Christus B. Virginem nusquam conceptis verbis matrem suam appellaverit, (ne fortè, ait S. Epiphanius hæresi 79. errandi occasionem aliquibus daret) non obscurè tamen hanc maternitatis in ea dignitatem declaravit, cùm se *filium hominis* professus est. Aliunde verò S. Joannes clarè & expresśè Mariam Christi matrem appellat: *Stabat*, inquit, *juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus.* Et, *Cùm vidisset Jesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.*

P. 1601. D.

Objicies 5. Christus olim veteribus Patriarchis carne indutus apparuit, ambulavit, manducavit, locutus est &c. Angeli pariter sub eo carnis velo visi sunt multas vitæ corporeæ & animalis operationes exercuisse; neque tamen ex istis eorum operationibus inferre libet, eos veram humanitatem in unitatem suppositi assumpsisse; ergo pariter concludi illud non potest ex operationibus Christi dum in terris apparuit.

Resp. imò potius contrarium inferri debere. Cùm enim Lex vetus novæ dumtaxat figura & umbra fuerit, ut veritas figuræ responderet, necesse fuit Christum in nova Lege veram ac solidam carnem sibi assumere, quam in veteri, fictam tantùm & umbratilem gestaverat: (si tamen verum est, quod nonnullis videtur, Christum ipsum, & non potius ejus loco Angelos, in assumptis corporibus aliquando Veteribus apparuisse, & cum illis conversatum esse) *At caro illa*, inquit Tertullianus, *nondum tunc nata erat, quia nondum tunc moritura erat*: si autem vera caro erat, hanc per meram & extrinsecam assistentiam movebat Deus, non per veram sui cum illa hypostaticam unionem. Angeli verò qui visibiles aliquando facti leguntur, vel ex aere, aut alia qualibet materia compactum corpus certa quadam ratione moverunt, in quo actiones vitæ, quales sunt, loqui, ambulare, manducare &c. exercere quidem visi sunt: at veræ illæ non erant vitales & animales operationes, sed apparentes dumtaxat & externæ; quod quidem apertè declaravit Angelus Tobiæ, *Videbar quidem*, ajebat, *vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Christi autem veræ, reales ac vitales erant actiones; verè manducavit, sitivit, verè passus ac mortuus.

Tobiæ 12. v. 19.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

An Verbum divinum humanitatem per se subsistentem, seu personam hominis, assumpserit, vel saltem assumere potuerit.

CONCLUSIO.

Verbum divinum non assumpsit, imò nec assumere potuit humanitatem per se subsistentem, seu personam hominis.

Prima hujus Conclusionis pars abundè demonstrata manet ex iis quæ contra Nestorium superiùs pertractata sunt. Quippe, si Verbum non tantùm naturam, sed & personam hominis assumpsisset, duplex in Christo agnoscenda foret persona, una divina, humana altera, qui ipsemet fuit Nestorii error.

Secunda verò pars ostenditur.

I. Quia implicat in terminis, naturam per se subsistentem, seu personam, hypostaticè cum altera persona conjungi. Quid enim est hypostaticè uniri cum aliquo? nisi naturam in alio subsistere, per alium compleri & ultimò terminari in ratione suppositi. At persona ex sese subsistit, completur, & ultimò terminatur; est quippe subsistentia seu personalitas, naturæ ultimum complementum, reddens eam alteri tanquam supposito incommunicabilem.

II. Quod ex duabus naturis completis ac unitis resultaret, non esset totum per se, sed totum per accidens: at implicat Verbum divinum summè ac infinitè perfectum, fieri totum per accidens.

III. Non alio fundamento, qui adversùs Nestorium manus conseruerunt, ducti sunt ut errorem ejus confoderent, oppositamque fidei veritatem tuerentur, quàm quòd unio duarum personarum nunquam physica esse possit ac hypostatica, sed moralis dumtaxat & accidentalis, quam solam re ipsa Nestorius admittebat in Christo inter Deum & hominem: unde consequens erat, sicut antea demonstratum est, Christum natura & substantia Deum non esse, sed per gratiam dumtaxat, per adoptionem, & potestatem à Deo acceptam.

IV. Ita sentiunt Veteres.

Rusticus Diaconus in disputatione contra Acephalos. *Ex preexistentibus*, inquit, *per se personis unitio secundùm substantiam fieri nequit.* Bibliot. PP. To. 10. p. 375. D.

S. Maximus martyr in Opusculo de S. Cyrilli sententia, negat ex duabus hypostasibus separatis, quid unum posse confici.

Boetius L. de duabus naturis & una Christi persona, ante medium, *Omnino*, ait, *ex duabus personis nihil unquam fieri potest. Unum igitur esse dicimus Christum: quod si ita est, unam quoque sine dubitatione personam esse necesse est; nam si duæ personæ essent, unus esse non posset.*

ARTICULUS TERTIUS.

An Verbum divinum aßumpserit naturam universalem ab omnibus individuis abstractam, an singularem.

CONCLUSIO.

Verbum divinum naturam singularem assumpsit, non universalem ab omnibus individuis abstractam.

Probatur, & quidem apertissimè. Quia nempe Verbum assumpsit aliquid reale ac positivum: at natura universalis ab omnibus individuis abstracta, nonnisi per mentem abstrahentem subsistit: sola quippe natura singularis & individua quid reale ac positivum est; ergo hanc assumpsit Verbum. Et verò Christus est hic homo, non omnis homo; ergo naturam singularem assumpsit, non universalem.

Præsenti quæstioni locum dedisse videntur ex Veteribus nonnulli, qui nonnunquam asserunt Verbum assumpsisse naturam communem. Ita Marius Victorinus L. 3. contra Arium; S. Damasc. L. 3. de fide orth. cap. 6. Verùm loquuntur illi de communitate physica, quia Verbum nostræ prorsus similem ac consubstantialem naturam assumpsit; non de communitate universalitatis logicæ, quæ merus est mentis fœtus. Vel intelligendi sunt de assumptione morali, quia omnes homines unum quid sunt in Christo, veluti membra in suo capite, à quo spiritum vitæ percipiunt.

Dices: Natura rationalis, singularis & individua, eo ipso subsistens est ac vera persona; ergo Verbum assumendo naturam humanam singularem & individuam, simul & assumpsit personam.

Resp. nego ant. Ex alio enim capite Philosophi repetunt tùm individuationis naturæ, tùm personalitatis principium. Natura eo ipso singularis est ac individua, quo non est universalis, qualis certè nulla est in rerum natura: neque enim v. g. aut humanitas est homo, aut homo est universa humanitas; quæcunque tandem causa supponatur, vel principium individuationis, de quo disputant Metaphysici. Natura verò rationalis subsistens dicitur ac vera persona, eo ipso quo in se ac per se subsistit ac tota est & perfecta, nec ab alia digniori in unitatem suppositi assumitur. Porrò Verbum divinum in ipso primo conceptionis Christi momento, naturam ejus singularem apprehendit, nondum per se subsistentem, nec totam ac perfectè completam, ac consequenter non veram personam.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrùm angelica natura, vel etiam irrationalis, potuerit à Verbo assumi.

Naturam angelicam perinde ac humanam à Verbo assumptam fuisse, nonnulli, de quibus Tertullianus Lib. de Carne Christi, existimasse videntur.

Ori-

Origenes, referente S. Hieronymo Epist. ad Avitum, censuit Christum etiam in aere, & in supernis locis aliquando passurum pro dæmonum salute.

Verùm hujusmodi figmentis apertè contradicit Apostolus Hebr. 2. v. 16. *Nusquam*, inquit, *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

PRIMA CONCLUSIO.

Verbum divinum potuisset, si voluisset, naturam angelicam sibi in unitatem suppositi uniri. Quare verò eam non assumpserit, non certò, sed ex conjecturis dumtaxat definiri potest.

Prima pars certissima est. Non enim magis repugnat angelicam naturam à Verbo assumi, quàm humanam; imò major, si dicere fas est, videtur esse repugnantia ex parte humanæ, quàm angelicæ naturæ.

Secunda pars non minùs certa & evidens est. Eorum enim quæ à libera Dei voluntate unicè pendent, nulla certa ratio reddi potest, cur sint, vel non sint.

Conjecturis igitur hic indulgendum, cur scilicet angelicam naturam Verbum assumere noluerit.

I. Quia gravior fuit Angelorum culpa, quàm hominum. Eo quippè gravior culpa est, quò perfectior natura. *Tantò*, ait S. Augustinus Tract. 110. in Joan. *damnabilior eorum judicata est culpa, quantò erat natura sublimior.* *To. 3. p. 2. pag. 779. B.*

II. Quia licèt & Angelus & homo superbia lapsus fuerit, superbiæ Angelorum accessit invidia: Angeli non tantùm inobedientiæ rei fuere, sed & suasores, homines ad peccandum impellendo. *Serpens*, id est dæmon sub specie serpentis, *decepit me*, inquiebat Eva Gen. 3. v. 13. Ita S. Augustinus L. 3. de lib. arb. capite ultimo. *To. 1. p. 612. A. B.*

III. Cùm homo sit Angelo longè magis versatilis ac mutabilis, eò etiam capax magis fuit reparationis: Angeli quippè in proposito tenaces ac constantes sunt, unde à lapsu erecti ac reparati non fuere. Ita Jobius apud Photium. *Phot. Bibl. p. 591.*

IV. Quia non omnes Angeli lapsi sunt, sicut in lapsu unius Adami omnes homines inclusi fuere, in quo omnes peccaverunt. Ita S. Anselmus L. 1. Cur Deus homo, c. 21. *Pa. 96. col. 2.*

V. Quia in angelica natura non potuisset, sicut in humana, Christus mori. Ita S. Anselmus ibidem.

VI. Per reparationem hominum, reparatæ quoque fuerunt Angelorum ruinæ. Ita S. Bern. Serm. 1. de Adventu Domini, n. 5. *To. 1. p. 719. A. B.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Verbum non potuit naturam irrationalem assumere.

Pudet hujusmodi quæstiones movere, quæ per sese absurdæ sunt ac insulsæ; quasi brutum animal assumi unquam posset in unitatem divinæ personæ, ac

ac consequenter Deus natura & substantia fieri, sicut homo Christus Verbo hypostaticè conjunctus, Deus est ac dicitur; quasi proprietates utriusque naturæ, tùm bruti, tùm Dei, de una & eadem divina persona prædicari unquam possent! Verùm hæc omittamus, à quibus refugiunt aures christianæ.

ARTICULUS V.

De ordine quo humanitas à Verbo assumpta fuit. An immediatè Verbum carnem assumpserit, an verò anima mediante.

ORdo ille considerari potest secundùm prioritatem, vel temporis vel naturæ. Prius tempore dicitur, quod alio priùs existit: sic in creatis, pater prior est filio. Prius verò natura, quod vel causa est alterius, vel saltem prærequiritur ut aliud fit. Ita Sol v.g. natura prior dicitur lumine, cujus est causa; & ultima materiæ dispositio prior infusione formæ, quia ad istam prærequiritur.

Priori sensu quæritur, quo præcisè temporis momento humanitas Christi Verbo unita fuerit; an aliqua sui parte priùs tempore perfecta extiterit, quàm unita Verbo.

Posteriori verò sensu quæritur, an priùs prioritate quadam naturæ, mediationis ac præsuppositionis assumpta fuerit anima, quàm caro.

Adversùs primum errarunt Origenes & Nestorius. Iste Christum priùs extitisse hominem perfectum, tùm essentia, tùm persona, quàm à Verbo assumeretur: ille priùs creatam ejus animam, quæ suis bonis operibus meruit hypostaticam cum Verbo conjunctionem, existimavit.

Circa caput alterum, communis SS. Patrum ac Theologorum sententia est, Verbum anima humana mediante, carni unitum fuisse. Disputant Scholæ Theologi, qua ratione anima medium fuerit unionis Verbi cum carne: an dignitatis tantùm, an causalitatis; an ex congruentia, vel ex necessitate.

His positis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Verbum divinum nullo instanti temporis priùs assumpsit animam quàm corpus, nec Christus priùs homo perfectus fuit, quàm hypostaticè conjunctus fuerit cum Verbo: sed eodem instanti temporis Verbum & animam & corpus humanum assumpsit.

Prima pars ex Scripturis manifesta est. Lucæ 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Non ergo priùs Christus extitit quantùm ad unionem naturæ utriusque, quàm natus sit ex Maria Virgine: humana porrò natura animam includit humanam; ergo non priùs extitit anima Christi, quàm ejus humana natura. Hoc ipsum evincunt verba hæc planè decretoria Joan. 1. *Verbum caro factum est. Ubi enim*, ait S. Augustinus, *hoc factum est? nisi in utero virginali, ubi fuit initium hominis Christi.*

Sententia Origenis de præexistentia animarum, ab Ecclesia rejecta semper

per fuit & improbata: speciatim verò præexistentiam animæ Christi damnat Justinianus Imperator in Epistola ad Mennam, quam à Vigilio S. Pontifice approbatam fuisse testatur Liberatus. Anathematismi secundi hæc verba sunt: *Si quis dicit aut sentit Domini animam priùs extitisse, atque unitam fuisse Deo Verbo ante incarnationem & generationem ex Virgine, anathema sit*. De hoc ipso errore loquitur S. Joannes Damascenus Lib. 4. de fide orthodoxa c. 6. *Non*, inquit, *quemadmodum quidam falsò prædicant, mens ante carnem ex Virgine assumptam, Deo Verbo copulata est, & jam tùm Christi nomen accepit. Commentum enim hoc inter Origenis deliramenta recensetur, qui animas corporibus esse vetustiores docuerit*. Tom. 5. Conc. p. 678. E. Pagina 256. D.

Secunda Conclusionis pars, quæ Nestorium spectat, fusè superiùs à nobis demonstrata est.

Tertia pars, eodem scilicet instanti temporis, humanitatem Christi conceptam fuisse, & cum Verbo hypostaticè conjunctam, nec ulla sui parte priùs extitisse Christum ut hominem, quàm cum Verbo conjungeretur,

Probatur communi SS. Patrum sententia.

Sancti Athanasii Libro 1. de Incarnatione contra Apollinarium, n. 4. *Carnis*, inquit, *cum Verbi divinitate conjunctio ex utero facta est: inde enim ipsi Verbum, cùm è Cælo advenisset, originem dedit; quippè non erat antequam Verbum adveniret, aut ante Deiparam Mariam &c.* To. 1. p. 924. C.

S. Augustini Enchiridii c. 36. *Quid enim*, inquit, *humana natura in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ uniti Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cùm singulariter promereretur Deum? Nempè ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo, quàm Dei Filius*. To. 6. p. 210. D.

S. Cyrilli Alexandrini Epistola secunda ad Nestorium, ubi ait: *Non enim primò vulgaris quispiam homo ex Virgine ortus est, in quem Dei Verbum deinde sese demiserit; sed in ipso utero carni unitum, secundùm carnem progenitum dicitur, utpote suæ carnis generationem sibi ut propriam vindicans*. Tom. 3. Conc. p. 320. A.

Theodoreti Dialogo 2. *Si ergo*, inquit, *ne punctum quidem temporis interjectum fuit inter assumptionem carnis & unionem, & assumpta natura non fuit ante assumptionem & unionem, eamdem rem significant incarnatio & unio; una igitur natura ante unionem seu incarnationem fuit*. To. 4. p. 67. C.

S. Fulgentii in Lib. de fide ad Petrum cap. 18. seu Regula 15. *Firmissimè tene*, ait, *& nullatenus dubites, carnem Christi non sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquàm susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam*. P. 525.

Denique, ut alios plures omittamus, S. Leo Epist. 25. aliàs 11. sic loquitur: *Natura nostra non sic assumpta est, ut priùs creata, post assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur*. To. 1. p. 487. c. 3

Probatur manifesta ratione. Anima scilicet Christi ejusdem planè fuit cum nostra conditionis: atqui anima humana non priùs creatur, quàm infundatur corpori; sed infundendo creatur, & creando infunditur. Hoc unum discrimen occurrit, quòd in humana & ordinaria generatione, paulatim & quasi per gradus materia disponitur ac præparatur, organa aptè con-

for-

formantur; Christi verò corpus, operante Spiritu sancto, statim & præparatum, & perfectum fuit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Verbum divinum carnem assumpsit anima mediante; adeoque priùs prioritate naturæ aut quasi naturæ, assumpta est anima, quàm caro, non ex congruentia tantùm, sed ex necessitate.

Ita sentiunt SS.Patres.

S.Gregorius Nazianz.Orat.1. *Ob hanc causam*, inquit, *Deus animæ inter-*
To.1.p. *ventu carni junctus est; ac res inter se distinctæ ac dissidentes per interpositæ rei*
11.C. *cum utraque illarum affinitatem & cognationem copulatæ sunt: atque omnia pro-*
pter omnia, & pro uno illo generis nostri principe in unum coierunt. Et Orat.
Ibid. p. 35.*Per intermediam mentem*, ait, *Verbum cum carne conjunctum est*. Rursus
575.A. Oratione 51.seu Epistola 1. ad Cledonium: *Mens menti*, inquit, *ut propin-*
Ibid. p. *quiori & conjunctiori jungitur, ac per eam carni; inter divinitatem & carnis*
742.C. *molem intervenientem*.

S.Ambrosius Tract. de Trinit. aliàs in Symbol. c.13. *Verbum*, inquit, *&*
T.2.Ap- *substantia Dei, quæ per omnia incorporea est, corpori humano inseri non poterat,*
pend.p. 360.B. *nisi aliqua spiritali natura mediante, id est anima*.

Ruffinus scribens pariter in Symb. eamdem sequitur doctrinam, & com-
Inter O- paratione illustrat. Nempè, *Sicut lux omnia membra corporis illustrare quidem*
pusc.p. *potest, à nullo tamen eorum, nisi à solo oculo capi potest; solus est enim oculus qui*
177. *capax est lucis. Et Filius ergo Dei nascitur ex Virgine, non principaliter soli carni sociatus; sed in anima in carnem Deumque media generatur. Anima ergo media, & in secreta rationabilis spiritus arce Verbum Dei capiente, absque ulla quam suspicaris injuria, Deus est natus ex Virgine.*

S.Augustinus Epist.137. aliàs 3. ad Volusianum: *Ipsa* (Deitas), inquit, *animam rationalem, & per eamdem etiam corpus humanum totumque omninò ho-*
To.2.p. *minem sibi coaptavit*. Et Epist.140. aliàs 120. c.4. *Verbum*, ait, *particeps*
405.A. *carnis effectum est rationali anima mediante*.

Ibid. p. 416.B. S.Greg.Magn.L.18. Moral. cap.20. aliàs 12. *Dominus*, inquit, *per di-*
To.1.p. *vinitatem lumen est; quod, mediante anima, in ejus utero* (B.Virginis) *fieri di-*
571.A. *gnatus est per humanitatem corpus*.

Ante illos omnes vel ipse Origenes L.2. de principiis c.6. sic scripserat:
Parte 1. *Hac ergo substantia animæ inter Deum carnemque mediante: non enim possibile*
pa.441. *erat, Dei naturam corpori sine mediatore misceri*.
C.

Idonea maximè visa est hæc doctrina confutandis tùm Paganis Mysterium nostrum irridentibus, tùm Apollinaristis Christum anima humana spoliantibus. Et verò si non potuit divinitas cum humanitate, nisi anima mediante, copulari, omninò necesse est animam humanam in Christo agnoscere.

Quod verò Paganos spectat, eo imprimis argumento Incarnationem irridebant illi, quòd fieri non posset spiritum simplicissimum, qualem Deum agnoscunt & adorant Christiani, intimè uniri cum crasso corpore.

Reponebant verò Ecclesiæ Doctores 1. animam humanam, quæ spiritua-

ritualis est, intimè tamen uniri cum humano corpore. 2. Deum nonnisi mediante anima spirituali, humano corpori copulatum fuisse, ac consequenter nullam ex illa unione maculam contraxisse. Et verò si anima hominis ex commercio seu societate cum corpore non fœdatur nec polluitur, multò minùs Deus ex sui unione cum anima humana: minor quippè disproportio est, saltem ratione naturæ spiritualis, inter Deum & animam, quàm inter animam & corpus.

Conclusio istis rationibus confirmatur. 1. Natura spiritualis perfecta & completa, quæ nata non est ut sit alterius pars, non potest cum substantia corporea seipsa immediatè conjungi. 2. Divinitas ex sese veritas est, sapientia, sanctitas: at caro immediatè ac per se incapax est veritatis, sapientiæ & sanctitatis. 3. Deus longè faciliùs attingitur operatione, quàm substantia: cùm ergo substantia materialis ac corporea operatione sua Deum attrectare non possit, quantò minùs propria & immediata substantia. 4. Substantia corporea nonnisi animæ interventu gratiæ & sanctitatis capax est; ergo nec increatam ac substantialem divinæ personæ gratiam, nonnisi anima mediante, percipere potest. 5. Non corpora, sed animæ Justorum dicuntur esse sedes sapientiæ & sanctitatis. 6. Vis tota Incarnationis divinæ sita est in altissima divinitatis in naturam assumptam immeatione; hæc porrò immeatio deitatis in carnem, vix intelligi potest sine interventu animæ spiritualis.

Ista rationum momenta eleganter collegit Petrus Cluniacensis Abbas, L. 2. Epistolarum, Epistola prima.

Ex quibus facilè inferes, non tantùm ex congruentia, ut omnes fatentur, sed ex necessitate, Verbum nonnisi anima mediante, humanam sibi carnem assumpsisse.

Dices 1. Anima humana, licèt spiritualis, immediatè unitur corpori: quidni pariter Verbum cum carne immediatè uniri potest?

Resp. disparem esse rationem. Anima quippè humana pars est hominis, ex sese nata & destinata ut cum altera comparte, humano nempè corpore, copuletur ad hominem efficiendum: at divinitas non est pars, sed totalis & adæquata substantia, quæ non destinatur ad totum aliquod cum altera parte componendum; at seipsa sola perfecta est, ac sibi sufficit.

Dices 2. Triduo mortis Christi Verbum reipsa unitum permansit cum corpore sine anima: quidni ergo cum ipso sine anima copulari primùm potuit?

Resp. Verbum triduo mortis remansisse quidem unitum cum corpore; at priùs nonnisi anima mediante cum illo conjunctum fuerat: quamdiu autem anima à corpore separata fuit, Verbum tametsi corpori conjunctum, nullas humanas actiones exercuit; quia hoc intervallo temporis, Christus verus homo non erat, sicut existimavit Magister Sententiarum, eo in capite reprehensus, & à suis discipulis derelictus.

QUÆ-

QUÆSTIO NONA.

De consectariis unionis hypostaticæ.

SUnt hæc præcipua unionis hypostaticæ consectaria.
I. An duæ sint in Christo voluntates & operationes.
II. An, & quæ admittenda sit idiomatum communicatio.
III. An Christus dici possit compositus. An dici possit esse duæ naturæ; vel ex, aut in duabus naturis; aut ex tribus substantiis.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit in Christo duplex voluntas & duplex operatio, divina & humana.

NEgatunt Monothelitæ, quorum error circa annum Christi 629. vel 630. exortus est, auctore Athanasio Jacobitarum Patriarcha. Quo sensu verò Monothelitæ unam in Christo voluntatem & operationem intellexerint, fusè à nobis expositum fuit initio hujus Tractatus à pag. 41. ad pag. 50. quem in locum lectorem remittimus.

Monothelitarum error ab Eutychiano, tanquam rivulus à fonte nascitur: pronum quippè est, ut qui unam tantùm post unionem in Christo naturam admittunt, nonnisi unam quoque voluntatem & operationem agnoscant.

Sergius in Epistola ad Honorium S. P. quæ relecta est Actione 12. Sextæ Synodi generalis, in eo errorem unius voluntatis reponere videtur, quòd sola divinitas in Christo ageret, humanitas verò esse velut quoddam passi-
Tom. 6. Conc. p. 925. A. vum instrumentum. *Operatur quippè*, ait, *verè deitas per corpus..... ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.*

Et Theodorus Pharanita, in fragmentis quæ referuntur in Concilio La-
Ibid. p. 166. D. E. teranensi sub Martino I. Secretario, seu Sessione tertia: *Oportet igitur*, inquit, *ita sapere & dicere nos, omnia quæ in Incarnatione Salvatoris Christi dicuntur esse, unam operationem esse, hujus autem opificem & creatorem, Deum Verbum; organum verò, humanitatem consistere. Ergo quæque velut de Deo aut humanè de ipso dicuntur, omnia una operatio est, Verbi divinitas.* Et Cyrus Alexandrinus Antistes, in capitulo septimo quod ibidem relectum fuit,
Ibid. p. 175. B. ait *eumdem unum Christum & unum Filium, operari Deo decibilia & humana una Dei & viri operatione*, quia omnis divina & humana operatio ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat. Operationis unitatem ille repetit ex unitate personæ operantis.

Paulus Constantinopolitanus, unus ex præcipuis erroris Monothelitarum assertor, in Epistola ad Theodorum S. Pontificem, quæ refertur in eodem Concilio Lateranensi, Secretario quarto, fingit se ea præcipuè de causâ, unam, non duas in Christo voluntates propugnare, ne contrarietatem ac dissonantiam cogatur inter illas agnoscere. *Unam*, inquit, *voluntatem Domini*
Ibid. p. 226. E. *nostri Jesu Christi intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque personæ Domini nostri Jesu Christi applicemus.... aut duos volentes introducamus.* Addit postea, *ex unica voluntate in Christo*, non sequi *naturarum*

rarum confusionem. Ex quo facilè intelliges, non omnes Monothelitas eutychiano errori addictos fuisse.

CONCLUSIO.

Duplex fuit in Christo voluntas & operatio.

Triplici argumento ex Scripturis, catholicum istud dogma demonstramus. 1. ex verbis Christi. 2. ex factis. 3. ex actionibus & passionibus Christi.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex verbis Christi.

Matth. 26. v. 39. disertè Christus suam à paterna voluntatem distinguit. *Pater mi*, ajebat, *si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Lucæ 22. v. 42. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Joan. 6. v. 38. *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Voluntas porrò illa Christi humana fuit, non divina; siquidem, ut una est in tribus divinis personis essentia, ita & una voluntas, *Ego & Pater unum sumus*, Joan. 10. v. 30. Imò & humana illa Christi voluntas, quamquam motu & inclinatione naturali mortem refugeret, perfectè tamen divinæ Patris sui voluntati subdita & obediens fuit. Ita laudatos Scripturæ textus exponunt ac interpretantur SS. Ecclesiæ Doctores.

S. Gregorius Nyssenus in Libro contradictionum contra Apollinarem, laudato in VI. Synodo, Actione 10. *Quia igitur*, inquit, *alia est humana voluntas, & alia divina, loquitur quidem & quasi ex homine, quod infirmitati naturæ congruit, qui nostras passiones assumpsit .... Qui enim dixit*, Non mea, *humanam hoc sermone significavit, Addens verò*, tua, *ostendit conjunctionem suæ deitatis ad Patrem, cujus nullæ voluntatis est differentia propter communitatem naturæ. Nam Patris dicens, voluntatem etiam Filii demonstravit.* Tom. 6. Conc. p. 796. B.

S. Athanasius, Libro de Incarnatione contra Arianos n. 21. *Cùm ait* (Christus) inquit, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. *Et*, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: *duas voluntates ibi ostendit, alteram humanam, quæ est carnis; alteram divinam, quæ Dei est. Siquidem humana ob infirmitatem carnis, deprecatur, passionem; divina autem ejus voluntas prompta est.* To. 1. p. 887. D.

S. Ambrosius L. 10. in Lucam n. 59. & 60. *Quod autem ait* (Christus): *Non mea voluntas, sed tua fiat; suam, ad hominem retulit; Patris ad divinitatem: voluntas enim hominis, temporalis; voluntas divinitatis, æterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii: una enim voluntas, ubi una divinitas.* To. 1. p. 1517. B

Denique S. Augustinus L. 2. contra Maximinum c. 20. *In hoc*, inquit, *quod ait, Non quod ego volo; aliud se ostendit voluisse quam Pater; quod nisi humano corde non potuisset, cùm infirmitatem nostram in suum, non divinum, sed humanum transfiguraret affectum. Homine quippè non assumpto . . . nullo modo posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle quàm Pater.* To. 8. p. 720. E. F.

SE-

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex factis Christi.

Tria hìc ex multis aliis, quæ urget S. Maximus in Disput. cum Pyrro, seligimus.

Primum. Joan. I. v. 43. refertur voluisse Christum *in crastinum exire in Galilæam*. Unde sic arguit S. Martyr: Si Christus intrare voluit in Galilæam; ergo ibi non aderat. Quomodo autem non aderat? non divinitate profectò, quæ ubique est; ergo humanitate; ergo non quatenus Deus, sed quatenus homo voluit in Galilæam ire. Ergo humana in ipso fuit voluntas: de divina quippe non disputabant Monothelitæ.

Oper. S. Maximi To. 2. p. 177.

Secundum colligitur ex cap. 7. S. Marci c. 24. ubi dicitur: *Inde surgens* (Christus) *abiit in fines Tyri & Sidonis; & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere*. Inde sic arguit S. Maximus: Voluit Christus latere, & non potuit: sed de divina ejus voluntate, cui omnia possibilia sunt, istud intelligi non potest; ergo intelligi debet de humana voluntate. Erat ergo in Christo humana voluntas à divina distincta; ac latere voluit quatenus homo, non quatenus Deus erat. Idem argumentum proponit S. Joan. Damasc. L. De duabus Christi voluntatibus.

Ibid. p. 178.

Tertium petitur ex cap. 7. S. Joan. v. I. ubi dicitur: *Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant Judæi eum interficere*. Sic autem inde argumentatur S. Máximus: Christus, qua natura ambulabat, eadem voluntate voluit aut noluit ambulare: atqui procul dubio secundùm humanam naturam ambulabat; ergo ex voluntate humana voluit aut noluit ambulare. Ergo humana fuit in Christo voluntas.

Ibid.

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex actionibus & passionibus Christi humanis.

I. Christus passim in sacris Litteris turbatur, tristatur, lachrymas fundit, indignatur, esurit, sitit, & alia id genus similia, quæ sine humana natura & voluntate exponi non possunt. Docet etenim S. Augustinus L. 14. de Civitate Dei, laudato in Synodo Lateranensi sub Martino I. Secretario 5. *non ex carne tantùm animam affici ut metuat, cupiat, lætetur &c. verùm etiam ex seipsa bis posse motibus agitari. Interest autem, qualis sit voluntas hominis: quia si perversa, & perversos habebit hos motus; si autem recta est, non solùm inculpabiles, verùm etiam laudabiles erunt*. Christus igitur ex voluntate humana, sicut & natura, varios illos motus expertus est. *Suscipit ergo*, ait S. Ambrosius L. 2. de fide ad Grat. c. 3. Actione 10. Syn. VI. laudatus, *voluntatem meam, suscipit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia Crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit: quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus est*. Et S. Joan. Damasc. L. De duabus voluntatibus n. 8. *Divinæ*, ait, *voluntatis non est cibi, potusque*

Tom. 6. Conc. p. 286. A.

Ibid. p. 785. D.

To. I. p. 546. B.

tusque appetitio, ac velle locum ex loco mutare, & similia; sed humanæ. Sanctus pariter Joannes Chrysostomus Hom.66. in Joan. exponens qua ratione Christus turbatus fuerit, docet id factum ex humana ejus voluntate; ut nempè se verum hominem probaret ac demonstraret, & occurreret illorum querimoniæ, qui fortè dicturi erant, non magnum quid illum facere, qui ad mortem perferendam alios hortaretur, cùm ipse illam non timeret, quam sentire non posset; qua re, ait S. Doctor, ostendebat, non se ab humanis esse affectionibus immunem. *Quemadmodum enim, neque esurire, neque dormire crimini dandum est, ita neque vitam præsentem optare. Christus autem corpus omni peccati labe purum habebat, non tamen naturalibus non obnoxium necessitatibus, siquidem non fuisset corpus.* Edit. Cõmel. p. 345. A.

II. Christus in Scripturis factus dicitur *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. At virtus obedientiæ in Christum, quatenus Deus est, cadere non potest; obedientia quippè superiorem indicat, cui subjectus est ille qui obsequitur: Deus autem nullum supra se agnoscit. Ita S. Maximus, De duabus unius Christi Dei nostri voluntatibus. *In eo*, inquit, *quod orat, naturalem spontè infirmitatem (carnis scilicet) timore ac pavore ostentat, nec prorsus innititur, sed ait*: Si possibile est. *Et*, Non quid ego velim, sed quid tu.... *Moxque rursus maximam adversùm mortem animi vim exerit, summamque humanæ suæ voluntatis, cum propria sua, Patrisque voluntate, necessitudinem ac unionem prodit, judicio suo approbans, dicensque, Non mea, sed tua voluntas fiat: hinc quidem divisionem, illincque rursus confusionem procul eliminans atque submovens.* To.1.p. 106.

Ad hæc ex divinis Scripturis argumenta accedunt & invicta rationum momenta, quæ ex ipsamet Mysterii, de quo agimus, natura erumpunt.

Prima ratio petitur ex duplici eaque perfecta & distincta natura divina & humana, qua Christus constat; unde sequitur, naturam quamlibet suas habere inconfusas & impermixtas affectiones seu proprietates; imò non aliunde meliùs ostenditur, naturas confusas & permixtas non esse, quàm ex proprietatibus quæ impermixtæ remanent & inconfusæ. Ita Martinus I. S. P. in Concilio Lateranensi, istud ex S. Basilio dictum profert, *Quorum operatio una est, horum essentia una est.*

Et S. Joannes Damascenus Lib.3. de fide orthodoxa cap.15. *Cùm itaque*, ait, *duæ in Christo naturæ sint; duas quoque in eo actiones dicere necesse est. Quorum enim diversa natura est, horum quoque dispar est actio.* To.1.p. 232. A.

Secunda ratio petitur ex perfecta Christi humanitate, quæ sanè perfecta non esset, si propria careret voluntate ac operatione. Ita mox laudatus Martinus I. in Conc. Lateranensi.

Tertia petitur ex ipsa conditione actionum seu operationum quæ naturam ipsam sequuntur: quamquam autem persona sit, ut ajunt, principium *quod* actionis, principium tamen *quo* eliciuntur actiones, est ipsamet natura; ergo sicut natura in Christo duplex est, ita & voluntas & operatio duplex, non una potest esse. Idque manifestum apparet in mysterio Trinitatis, ubi actio non personam, sed naturam sequitur: indivisa quippè sunt opera SS. Trinitatis, propter unam & indivisam, quæ in tribus personis est operandi virtutem ac potentiam, *Si personalem quispiam intelligat volunta-* Tom.6. Conc.p. 637. E.

tem, ait Agatho S. P. in Epistola quæ extat Actione 4. VI. generalis Synodi, *dum tres personæ in S. Trinitate dicuntur, necesse est ut tres voluntates personales & tres personales operationes dicantur, quod nimis absurdum & prophanum est.*

Quarta ratio hæc est: Verbum id assumpsit, quod sanavit: at voluntatem nostram vulneratam ac depravatam sanavit. *Si non assumpsit humanam voluntatem*, ait S. Joan. Damasc. Orat. De duabus Christi voluntatibus, *remedium ei non attulit, quod primùm sauciatum erat. Quod enim assumptum non est, nec est curatum, ut ait Gregorius Theologus. Ecquid enim offenderat, nisi voluntas?*

To. 1. p. 544. B.

Denique, Judicio Ecclesiæ totius proscriptus est Monothelitarum error, & veritas Catholica in sexto Concilio generali definita Actione 18. his verbis: *Unum eumdemque Christum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfusè, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivisè cognoscendum; nusquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque naturæ, & in unam personam & in unam subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum vel divisum, sed unum eundemque unigenitum Filium Deum Verbum Dominum Jesum Christum, juxta quod olim Prophetæ de eo, & ipse nos Dominus Jesus Christus erudivit, & sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum; & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè secundùm SS. Patrum doctrinam prædicandas.*

Tom. 6. Conc. p. 1025. B

Solvuntur Objectiones Monothelitarum.

Objicies 1. auctoritatem S. Dionysii, qui Areopagita dicitur, L. de divinis nominibus, ubi *unam ait esse in Christo deivirilem actionem*. Idem habet in Epistola 4. ad Cajum. *Ab Incarnationis tempore*, inquit, *non secundùm Deum divina gessit Christus; nec humana secundùm hominem: verùm Deo viro facto novam quamdam theandricam seu deivirilem operationem expressit in vita.*

Resp. 1. cum Martino I. in Conc. Lateranensi, turpissima hæreticorum hominum fraude S. Dionysii textum corruptum & adulteratum fuisse. *Novam deivirilem actionem* scripserat Dionysius, Hæretici verò *unam* legebant. Res manifesta fuit, tùm in Concilio Lateranensi, tùm in VI. generali Act. 14. Ibidem observant Patres, non paucos ex Eutychianis bona fide agnovisse, his Dionysii verbis duplicem Christi naturam disertè confirmari, quæ causa eos adduxit, ut textum corrumperent.

Tom. 6. Conc. p. 960. D.

Resp. 2. cùm SS. Maximo & Joanne Damasceno, *novam* à Dionysio dici *deivirilem operationem*, quòd revera mirus ac planè novus sit modus operandi divina & humana propter hypostaticam unionem utriusque naturæ divinæ ac humanæ in Christo.

Resp. 3. cum S. Maximo, unam sensu Catholico dici potuisse à S. Dionysio *deivirilem Christi operationem*, sive propter unitatem suppositi agentis; sive propterea quòd Verbum divina non ageret sine humanitate, nec vicissim humana, sine ductu & influxu divinitatis; sive denique quòd de iis tantummodo operationibus loqui voluerit S. Dionysius, quæ utriusque naturæ concursum postulant. Scilicet triplex operationum genus secerni potest in

in Christo: aliæ solius humanitatis propriæ sunt, ut manducare, sitire &c. aliæ propriæ divinitatis, ut peccata remittere, dare Spiritum sanctum: aliæ denique quæ naturæ utriusque concursum seu influxum postulant v. g. mortuos verbo suscitare, tactu corporis morbos curare &c. qualiscunque fuerit S. Dionysii sensus, orthodoxus erat ab errore Monothelitarum longè alienus.

Objicies 2. cum iisdem Hæreticis, S. Athanasium Lib. de salutari adventu Christi, ubi ait, Christum *fuisse sine carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis, quia solius divinitatis voluntas in eo fuit*.

Resp. cum Theophane Presbytero & Abbate Actione 8. sextæ Synodi generalis, relatum ex Athanasio testimonium truncatum fuisse: quod si integrum relatum fuisset, omnes facilè intellexissent, S. Doctorem excludere dumtaxat à Christo voluntates carnales & cogitationes humanas perversas ac culpabiles, non eas quæ simpliciter humanæ sunt. Cùm igitur sanctus Doctor ait, voluntatem Christi *solius fuisse divinitatis*: intellige non quantùm ad naturam & entitatem, sed quantum ad regimen ac directionem: divinitas quippè Christi, tanquam totius suppositi domina, omnes humanitatis actiones singulari ratione regebat ac moderabatur. *Tom. 6. Conc. p. 760. B.*

Objicies 3. S. Greg. Nyssenum adversùs Eunomium, ubi scribit, *divinitatem per corpus, quod induit, hominum omnium reverà salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei autem operatio*. Ita refertur in Actis sextæ Synodi Act. 12.

Resp. 1. cum SS. Maximo & Joanne Damasc. retorquendo contra Monothelitas argumentum. Scilicet, si una dumtaxat operatio Christi ideo agnoscenda est, *quòd operatio solius sit divinitatis, passio verò humanitatis*, una pariter agnoscenda erit in Christo natura divina, quia sola hæc operatur, & humana sola patitur.

Resp. 2. cum eodem S. Maximo, Disp. cum Pyrro, carnis passiones sive affectiones inter veras ejus operationes recenseri debere; quia res omnes creatæ eo ipso patiuntur, quo moventur; quia nempè alterius moventis impressionem admittunt & in se recipiunt.

Resp. 3. Dei operationem in negotio humanæ redemptionis potissimam partem habere, à qua omnis valor ac pretium in actiones humanas Christi satisfactorias derivatur ac defluit.

Objicies 4. S. Cyrillum L. 4. in Joan. ubi affirmat Christum, *unam quamdam cognatam operationem per ambas naturas ostendiße*.

Resp. cum eodem S. Maximo, duarum naturarum unam dici cognatam operationem, tùm ratione principii seu personæ agentis, tùm ratione intimæ conjunctionis utriusque naturæ, divinæ & humanæ, qua fit ut omnes actiones Christi sint Deiviriles ac Theandricæ. Porrò eo ipso quo actio Deivirilis dicitur, duplex innuitur ejus principium, utraque scilicet Christi natura, divina & humana. Unde meritò S. Cyrillus in VI. Synodo Act. 4. laudatus, ait: *Quæ Deo decenter dicta vel acta sunt, ostendunt salvatorem Christum Deum: Et iterum, Quæ secundùm hominem dicta sunt, vel facta, ostendunt veraciter hominem*. *Tom. 6. Conc. p. 669. B.*

Objicies 5. S. Greg. Nazianz. Orat. 36. ubi dicit Christi *voluntatem non fuisse Deo contrariam, quia tota deificata fuit*.

Resp. cum S. Maximo & Basilio Gortynensi in VI. Synodo, hoc S. Gregorii dicto humanam Christi voluntatem potius astrui, quàm everti. Quippè si quæ sit in Christo voluntas divinæ non contraria, sed deificata, ea certè humana est; neque enim divina propriè deificata & Deo non contraria, nisi absurdissimè dici potest.

Tom. 6. Conc. p. 776. D.

Objicies 6. ubi una est persona operans, ibi una est operatio: ex vulgari quippè axiomate, *Actiones sunt suppositorum*. Atqui in Christo unica est persona; ergo & unica operatio.

Resp. nego maj. & retorqueo argumentum. Si ubi est una persona operans, ibi unica est operatio; ubi sunt tres personæ, tres quoque operationes admittendæ forent: atqui postremum istud falsum esse, vel ipso mysterio SS. Trinitatis apertè demonstratur, in quo tres sunt personæ realiter distinctæ, & una ad extra operatio; igitur operatio & vis operandi non sequitur personam, sed naturam, quæ dicitur & est principium *quo* elicitivum operationum. Personalitas enim, ut non semel observavimus, ex se iners est, non activa; merus naturæ terminus ac ultimum complementum, seu tota & perfecta natura singularis & individua: atqui operatio non semper, nec necessariò sequitur naturam, quatenus tota est ac ultimò completa in ratione personæ, ut constat exemplo animæ rationalis separatæ, quæ haud dubiè persona non est, nec aliquod totum, sed pars, & tamen suas operationes spirituales exerit intelligendo & volendo. Dicendum nihilominus, personalitatem omninò necessariam esse, non quidem ut principium activum & elicitivum, sed tanquam conditionem, ut totum seu suppositum, quod appellatur principium *quod* actionis, operetur: atque inde ductum commune axioma, *Actiones sunt suppositorum*, non quidem elicitivè, sed denominatione & attributione, quia supposito tribuuntur, à quibus denominatur agens.

Instabis 1. Humanitas in Christo est dumtaxat organum seu instrumentum divinitatis: sed organum & instrumentum non habet operationem propriam & distinctam ab operatione causæ principalis. Ita calamus in manu scribentis, unicè sequitur motum sibi à scribente impressum.

Resp. dist. maj. Humanitas in Christo est organum & instrumentum conjunctum & activum, concedo: separatum & merè passivum, ut volebant Monothelitæ, nego.

Instabis 2. Si duplex in Christo distincta voluntas admittatur, necesse est discordes illas ac inter se contrarias agnoscere: humana quippè mortem refugiebat, *Transeat à me calix iste*; divina verò hanc imperabat.

Resp. nego maj. Humana quippè voluntas divinæ semper conformis ac subdita fuit, *Non mea, sed tua voluntas fiat. Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Et verò cùm duplex humana in Christo voluntas, aut potius duplex quasi pars humanæ voluntatis Christi distinguatur, superior nempè seu rationalis una, & inferior altera, seu sensitiva, neutra cum divina pugnavit, sive cùm mortem refugit, sive cùm eam acceptavit: pars enim hominis inferior, motum sibi ab auctore naturæ impressum sequitur cùm mortem aversatur, qua ex parte Deo conformis est, nedum contraria: cùm verò pars superior mortem à Deo imperatam acceptat, ut reipsa liberè illam acceptavit Christus, *Oblatus est enim quia ipse voluit*, Deo etiam contraria non fuit, imò perfectè subdita, *Factus obediens usque ad mortem.*

Ergo

Ergo nulla ex parte humana Christi voluntas divinæ repugnans ac contraria fuit.

Quærunt hìc nonnulli Theologi, quæ fuerit mens ac sententia Honorii circa Monothelitarum errorem: an ipsi ex animo adhæserit; an tantùm faverit silentio; an ut hæreticus, an verò ut erroris dumtaxat fautor à VI. Synodo simul cum Sergio, Pyrro & aliis damnatus fuerit. Verùm à facto hujuscemodi discutiendo hic supersedemus, tùm quia de Honorio bis & ter verba jam fecimus, ubi de Ecclesia; tùm quia multa nobis adhuc supersunt gravissimi momenti de præsenti nostro Mysterio discutienda capita.

ARTICULUS II.

De communicatione idiomatum in Christo: an, & quæ sit admittenda.

ADmissa semel duarum in Christo naturarum hypostatica seu personali unione, negari amplius meritò non potest ea, de qua loquimur idiomatum communicatio, qua fit ut de una eademque persona Christi verissimæ sint istæ propositiones, *Christus est homo: Christus est Deus; Homo est Deus, Deus est homo; Deus natus est, passus ac mortuus; homo impassibilis est ac immortalis.*

Est igitur idiomatum communicatio, mutua & reciproca nominum, attributorum & proprietatum naturæ utriusque in Christo prædicatio & communio in concreto, & ratione unius Christi personæ. Quam definitionem ut intelligas,

Observandum 1. nomina alia esse abstracta, quæ formam significant sine subjecto, ut divinitas, humanitas; alia verò concreta, quæ formam simul & subjectum exprimunt, ut *Deus*, *Homo*: *Deus* quippè idem sonat quod habens divinitatem; *homo*, idem quod habens humanitatem.

Communicatio autem idiomatum vel in abstracto considerari potest, respectu scilicet naturæ; ut si dicas, *Divinitas est humanitas*, vel, *Natura divina est mortalis*, *humana natura est immortalis*: vel considerari potest in concreto respectu personæ, ut si demonstrato Christo dicas, *Deus est homo*, *Homo est Deus*; *Deus est mortalis*, *homo est immortalis*.

Observandum 2. nomina concreta alia esse substantiva, quæ substantiam ipsam ejusque subjectum exprimunt, ut *Homo*, *Deus*; alia verò adjectiva, quæ subjectum & formam ei adjacentem aut accidentalem indicant. Rursus inter nomina concreta adjectiva, alia esse quæ ex substantivis derivantur, ac participationem quamdam substantiæ denotant, ut *humanus*, *divinus*; alia verò absoluta, quæ proprietates, actiones, aut passiones innuunt, ut *natus*, *passus*, *mortalis*.

Observandum 3. circa communicationem idiomatum errare Nestorianos & Lutheranos. Nestorius, rejecta unione hypostatica utriusque naturæ in Christo, consequenter rejecit idiomatum communicationem, etiam in concreto & respectu personæ. Ferre quippè ille non poterat, Deum dici bimestrem vel trimestrem, natum, passum, mortuum; B. Virginem esse Deiparam &c. isto nimirùm falso prejudicio occupatus, denominationes illas in ipsam di-

vinam cadere naturam, atque ita B. Virginem divinitatis matrem esse, divinitatem natam esse, passam, mortuam &c. E contra invictè demonstrabat S. Cyrillus in Expositione ac defensione quarti Anathematismi, communicationem illam reciprocam proprietatum utriusque naturæ in ipsam cadere personam, non in naturam. *Eapropter*, inquiebat sanctus Doctor, *non in duas personas, sed tanquam in unum Christum & Filium, & Deum, Evangelicas & sanctorum Apostolorum referentes voces, neque divinam ejus imminuimus naturam & gloriam propter humana, neque dispensationem negamus, sed propter nos factam esse ipsius Verbi Incarnationem credimus.*

Tom. 3. Conc. p. 916. A. B.

Lutherani in extremum errorem lapsi, communicationem idiomatum, etiam in abstracto & respectu naturæ, admittunt. Scilicet existimant illi, aliquas naturæ divinæ proprietates in humanam naturam verè transfusas fuisse, v. g. immensitatem, ubiquitatem seu ubique præsentiam, omnipotentiam, omniscientiam. Insulsus hic error est, quem primò asseruit Lutherus in *Confessione de Cœna Domini*, quem subinde latiùs propagavit Brentius, *Ubiquitarum* idcircò quasi parens habitus. Non ad omnes tamen Lutheranos tam absurda opinio pervasit. Errori occasionem dedisse videtur controversia inter Lutheranos & Calvinistas excitata circa realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam. Nempè cùm Lutherani ex istis Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, satis sibi præsidii non esse intelligerent ad debellandos Calvinistas, aliunde verò articulo Ascensionis Christi in Cœlum premerentur, ad dogma *ubiquitatis* velut ad tutissimum portum se contulere, contendendo corpori Christi hanc vim inditam fuisse, ut sit ubique, quemadmodum ubique est Verbum hypostaticè cum corpore Christi conjunctum. Sic aliquas divinæ naturæ proprietates, in naturam humanam, vi unionis hypostaticæ, transfusas fuisse docere compulsi sunt. Quapropter in Colloquio Maulbrunnensi, voluerunt unionem personalem formaliter consistere in communicatione proprietatum, vel in communicatione subsistentiæ Verbi divini, cujus formalis effectus consequens sit communicatio idiomatum. De illo ubiquitatis corporis Christi errore lege Bellarminum L. 3. de Christo cap. 1. & 10.

De communicatione idiomatum in concreto & respectu personæ, adversùs Nestorianos.

CONCLUSIO.

Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto, seu respectu ipsius personæ.

Conclusio hæc iisdem prorsus momentis stat ac demonstratur, quibus suprà demonstravimus contra Nestorium, unicam esse in duabus distinctis naturis Christi personam: inde quippe necessariò sequitur, de uno & eodem Christo, propter diversas, quibus constat, naturas, veras esse istas propositiones, *Deus est homo*, *Homo est Deus*: *Deus natus est*, *passus*, *mortuus*; *Homo est impassibilis*, *immortalis*: quæ omnia in hoc uno conclusa sunt, *Verbum caro factum est*, ubi & unitas personæ, *Verbum*, & duplex natura disertè significatur, *est caro factum*, non per sui conversionem in carnem, quæ planè

Joan. 1. v. 14.

planè fieri non poteſt, ſed per aſſumptionem humanitatis in Deum. Abſtineo hìc ab aliis Scripturæ teſtimoniis laudandis, quibus ſuperiùs Neſtorii errorem confutavimus.

Abſtineo pariter à longa enumeratione SS. Patrum qui Concluſionem noſtram ſuo ſuffragio confirmant, quos conſule apud Petavium L. 4. de Incarn. cap. 15. & 16. Unum hìc profero Vigilium L. 2. contra Eutychen, ubi rem totam ſolidè ac nitidè exponit. *Ergo*, inquit, *unus atque idem & æqualis eſt Patri ſecundùm deitatem, & inferior eſt Patre ſecundùm humanitatis naturam: atque ita nec initium habet, quia Deus eſt; & habet initium, quia idem Deus homo eſt. Si ergo me interroges, utrum Chriſtus habeat initium, an non habeat; reſpondebo tibi: Et habet, & non habet: habet ſecundùm humanitatem ſuam; non habet ſecundùm divinitatem ſuam. Cùm dico, habet vel non habet, ad perſonæ pertinet unionem: cùm dico, ſecundùm divinitatem & ſecundùm humanitatem, ad naturarum pertinet proprietatem.* Et L. 4. *Conſtat*, ait, *& divinitatem humanitatis, & humanitatem divinitatis habere vocabulum; id eſt, Verbum dici carnem, & carnem dici Verbum: non quia in ſe utrumque mutatum ſit, ſed quia utrumque una perſona, id eſt, unus Chriſtus ſit. Et ideo rectè credimus & prædicamus cum Apoſtolo, Deum crucifixum & mortuum in humana natura, quæ ex uniti Verbi conſortio, deitatis poſſidet nomen.* Bibliot. PP. T. 8. pag. 816. G. Ibid. p. 731. G.

Ut verò paulò explicatiùs evolvatur de communicatione idiomatum doctrina, certumque de variis circa Chriſtum propoſitionibus feratur judicium, ſolent Theologi certas regulas præfigere, alii plures, alii pauciores, ex quibus de veritate vel falſitate propoſitionum certò judicari poſſit.

Regulæ obſervandæ circa communicationem idiomatum.

PRIMA REGULA.

Nomina concreta ſubſtantiva, id eſt, quæ naturam ipſam, ſive divinam, ſive humanam, earumque proprietates exprimunt, de Chriſto prædicari poſſunt: unde veræ ſunt iſtæ propoſitiones, *Deus eſt homo*, *Homo eſt Deus*; *Deus eſt mortalis*, *Homo eſt immortalis*. Ratio eſt, quia prædicatio vera eſt, quoties ſubjectum & prædicatum veram habent unitatem & identitatem: atqui concreta ſubſtantia, v. g. divina & humana natura, unitatem habent perſonæ in Chriſto, ac intimè uniuntur; ergo &c.

Iſti nihilominus regulæ triplex adhibenda cautio ſeu limitatio.

Prima eſt, ut nomina ſubſtantiva ſuppoſitum creatum non inferant: ſic dici non poteſt, *Homo factus eſt Deus*; ſicut meritò dicitur, *Deus factus eſt homo*. Ratio eſt, quia in priori propoſitione, vox *homo* ſuppoſitum denotat humanum; ac ſenſus eſt, Humana perſona, id eſt, homo, factus eſt Deus, qui error Neſtorii fuit duas in Chriſto perſonas admittentis: in poſteriori verò propoſitione, vox *Deus* ſuppoſitum divinum exprimit, de quo verum dictu eſt, Deus factus eſt homo, ſeu, Verbum caro factum eſt. Neque dicas, iſtam propoſitionem, *Deus factus eſt homo*, per ſimplicem converſionem in iſtam converti, *Homo factus eſt Deus*. Namque ad ſimplicem converſionem neceſſe eſt, ut non mutetur ſuppoſitum, ſeu ſuppoſitio: ut

igitur hic legitima foret conversio, dicendum esset, *Is qui factus est homo, Deus est*, quæ propositio est verissima.

Secunda cautio seu limitatio est, ut nulla fiat reduplicatio. Hujus conditionis defectu, falsæ sunt istæ propositiones, *Christus quatenus Deus, homo est, natus est, passus, mortuus*: item, *Christus quatenus homo, Deus est, immensus, impassibilis &c.* Ratio est, quia particula reduplicativa, *quatenus*, ipsam naturam afficit, non personam; ac sensus esset, Christus ratione naturæ divinæ homo est, natus, passus, mortuus: pariter, Christus ratione humanitatis, Deus est, immensus, immutabilis &c. qui sensus falsus est & absurdus.

Tertia cautio est, ut propositio, tametsi aliunde vera, errori tamen vel hæresi favere non videatur: atque ita licèt è Veteribus nonnulli Christum aliquando creatum, vel creaturam appellaverint, non tamen simpliciter ac nudè admittenda est ista propositio, *Christus est creatura*; quia errori Arianorum faveret. Ratio est, quia prædicata substantiva quæ aliquem naturæ defectum important, ac personæ non minùs quàm naturæ possunt imputari, simpliciter de Christo enuntianda non sunt, sed facta quadam restrictione: aliàs, defectus aliquis de persona Christi enuntiaretur, qualis est v. g. creaturam appellari, aut filium Dei adoptivum. Dicatur ergo, *Christus ratione humanitatis est creatura*; *Homo ratione personæ Verbi cui hypostaticè coniungitur, est immortalis, impassibilis &c.* Non ita est de prædicatis, quæ propriè ac primariò naturæ conveniunt, personæ verò denominativè, quales sunt propositiones istæ, *Christus est passus, mortuus*. Ratio est, quia actiones & passiones propriæ sunt naturæ; denominativè autem, personarum seu suppositorum, sicut non semel observavimus.

Dices 1. Si valeret ista propositio, *Deus factus est homo*, valeret & ista, *Deus factus est hic homo*: sed hæc propositio admittenda non est; aliàs legitimus foret iste syllogismus expositorius, *Hic homo est Deus*: *Verbum factum est hic homo*; *ergo Verbum factum est Deus*.

Resp. vitiosum esse syllogismum illum expositorium, ac merum esse sophisma, in eoque peccare, quòd sint quatuor termini. In majori quippè propositione *Deus* solitariè sumitur, in conclusione verò additur *factus*: *Deus* autem, & *factus Deus*, sunt duo termini. Adde quòd in ista majori propositione, *Hic homo est Deus*, vox *homo* supponit pro persona quæ duplici constat natura: in ista verò conclusione, *Verbum factum est Deus*, *Verbum* supponit pro persona ipsa Verbi una constante natura.

Dices 2. Licèt anima rationalis intimè corpori conjuncta sit, ex illa tamen unione non resultat idiomatum communicatio inter animam & corpus: neque enim dici potest, *Homo est anima*, aut *anima est homo*; *Homo mortalis est*, *homo est immortalis*.

Resp. disparitatem esse, quia anima & corpus duæ sunt partiales & incompletæ substantiæ, quæ simul unitæ unam integram & totalem efficiunt hominis naturam: neque enim homo est aut anima sola, aut solum corpus; unde vera esse non potest inter animam & corpus idiomatum communicatio. At natura divina & humana in Christo partiales non sunt & incompletæ naturæ, ex quarum unione una totalis & integra resultet natura, sed duæ sunt naturæ perfectæ in una Verbi persona conjunctæ; ex qua unione sequitur mutua & reciproca idiomatum communicatio.

SECUNDA REGULA.

Concreta adjectiva substantialia, quæ substantiam designant, non possunt prædicari de Christo: secus verò concreta adjectiva, quæ significant proprietates naturæ divinæ aut humanæ.

Patet ex prænotatis, concreta adjectiva ea dici, quæ nominibus adjectivis, id est, formam quasi adjacentem significantibus, exprimuntur. Illa autem forma vel purè accidentalis est; ut cùm quis albus dicitur; vel substantialis, ut cùm dicitur *humanus*, *dominicus*, *divinus*; vel aliquas naturæ proprietates significat, ut cùm aliquis mortalis, vel immortalis dicitur.

Dico igitur 1. concreta adjectiva substantiam seu naturam designantia non posse de Christo prædicari: atque ita probandæ non sunt propositiones istæ, *Christus est homo dominicus*; *est homo deificatus*, *deifer &c.* Ratio est, quia hujuscemodi propositiones in sensu Nestorii à SS. Patribus damnatæ fuerunt (quamquam ab aliquibus è Veteribus, sive ante hæresim Nestorii, tum cùm securi loquebantur, & nullus aderat hostis, sive post, adjecta nempe aliqua explicatione, usurpatæ fuerint.) Deinde verò ejuscemodi concreta adjectiva innuere videntur formam accidentaliter tantùm subjecto seu supposito unitam esse; unde dictarum propositionum hic sensus videretur esse, Christus naturam divinam unione tantùm morali & accidentali sibi copulatam & conjunctam habet: qui sensus nestorianus est.

S. Thomas excipit propositionem istam, *Christus est homo divinus*. *Quia*, inquit, *nomen illud prædicari solet de iis, de quibus Deus essentialiter prædicatur*. Ita dicimus *essentiam divinam*, *Patrem*, *vel Filium divinum*. Si tamen ex rigore dialectico loqui velimus, minùs etiam accurata videtur ista propositio *Christus est homo divinus*; quia innuit formam accidentaliter unitam: ut cùm dicimus, *Plato est homo divinus*. Rectè quidem dici potest, *Caro & anima Christi est deificata*; non verò, *est dea*: quia priori modo significatur, animam unitam supposito quod verus Deus est; posteriori verò, ipsam carnem vel animam esse suppositum, quod absurdum est. Observa hic obiter, omnes ferè syllogismos expositorios qui in præsenti argumento fieri possunt, laborare fallacia accidentis: ut v. g. *Hæc persona est divina*; *Hæc persona est homo*; *Ergo hic homo est divinus*. Nomen quippe personæ in majori sumitur quasi partialiter, prout est aliquid Dei; in minori verò sumitur totaliter, prout est Deus.

Dico 2. concreta adjectiva quæ significant proprietates divinæ vel humanæ naturæ, posse de Christo prædicari. Ita legitimè ac sanè dicitur, *Christus est æternus & temporalis*, *finitus vel infinitus*, *mortalis & immortalis*. Ratio est, quia prædicata illa denominativè in recto significant suppositum, quod illorum attributorum, propter unionem hypostaticam naturæ utriusque, unum est subjectum.

TERTIA REGULA.

Nomina abstracta naturæ divinæ de Christo identicè dici possunt, non item nomina abstracta naturæ humanæ. Ratio est, quia persona Verbi est quid

quid idem identicè ac realiter cum natura divina, non verò cum natura humana. Sic persona Verbi potest dici sensu identico ac reali, *est divinitas*, *est omnipotentia*: non potest autem dici, *est humanitas*, *est mortalitas*.

QUARTA REGULA.

Nomina abstracta unius naturæ non possunt de altera prædicari. Sic dici non potest, *Divinitas est humanitas*; aut, *Humanitas est divinitas*. Ratio est, quia naturæ ipsæ distinguuntur, sicut & illarum proprietates. Nihilominus cùm abstracta non rarò pro concretis usurpentur, hinc S. Joan. c. 1. v. 14. ait, *Verbum factum esse carnem*; & vicissim cùm nomen concretum aliquando pro abstracto sumatur, nonnulli è Veteribus dixerunt Verbum assumpsisse hominem, id est, humanitatem, non verò humanam personam.

QUINTA REGULA.

Proprietates naturæ utriusque in Christo, nec de se invicem, nec de naturis in abstracto prædicari possunt. Ratio est, quia distinctæ sunt naturarum proprietates, sicut & natura ipsa: sicut ergo dici non potest, *Divinitas est humanitas*, aut, *Humanitas est divinitas*; ita nec dici potest, *Divinitas est passibilis*, *Humanitas est impassibilis*, *æterna*, *immensa &c.*

Quæres quid sentiendum sit de istis propositionibus de quibus aliquando inter Orthodoxos ipsos acriùs disputatum fuit, *Unus de Trinitate natus*. *Unus de Trinitate passus*, *mortuus*.

Resp. de ista controversia nos, solvendo Objectiones Nestorianorum contra unitatem personæ in Christo, mentem nostram jam aperuisse. Et verò, pro vario sensu qui dictis propositionibus tribuebatur, damnandæ sunt vel probandæ: falsæ sunt ac erroneæ sensu Nestorianorum, qui duas personas, & sensu Eutychianorum, qui unam post unionem, in Christo naturam admittebant; ac consequenter divinitatem ipsam passam esse arbitrabantur.

De communicatione idiomatum in abstracto, adversùs Lutheranos.

An ubiquitas seu ubique-præsentia corpori Christi tribuenda sit.

Ex regula quinta mox exposita, proprietates naturæ utriusque in Christo, nec de se invicem, nec de naturis in abstracto prædicari possunt. Sit itaque

CONCLUSIO.

Non est admittenda communicatio idiomatum in abstracto, proprietatum naturæ divinæ respectu humanæ; multò minùs proprietatum naturæ humanæ respectu divinæ. Unde prorsus falsæ sunt istæ propositiones Lutheranorum, *Humanitas Christi est ubique*, *& omnipotens &c.*

Probatur 1. auctoritate ac testimoniis Scripturæ, quibus apertum est humanitatem Christi ubique non fuisse; sed certo loco, quantùm ad corpus,

pus, addictam & circumscriptam fuisse, sive in statu exinanitionis & mortalis illius vitæ, sive in statu & exaltationis, & gloriæ. Non in primo statu: aperte quippe Scriptura significat Christum ubique non fuisse, sed de loco in locum transisse. Joan. 11. v. 15. Christus dicebat: *Lazarus mortuus est; & gaudeo propter vos, ut credatis: quoniam non eram ibi*. Ibidem v. 21. *Domine*, ait Martha, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Matth. 28. v. 6. *Jesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic, surrexit*. Ibid. c. 26. v. 11. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis*. Joan. 16. v. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Lucæ 24. v. 51. *Recessit ab eis, & ferebatur in cælum*. Neque etiam in statu gloriæ & exaltationis Christus corporaliter ubique est, sed in Cœlo. Joan. 17. v. 11. *Jam non sum in mundo*, ait Christus: hoc est, Brevi discessurus sum à mundo. *Relinquo mundum*, ut mox dixerat, *& vado ad Patrem*, Act. 3. v. 21. *Quem* (Christum) *oportet cælum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium*. Denique Hebr. 8. v. 4. *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundùm legem munera*.

Hæc ipsa Scripturæ testimonia contra Lutheranos retorquent Calvinistæ, ut ostendant Christum realiter seu corporaliter in Eucharistia præsentem non esse.

At immeritò prorsus: hoc unum etenim ex mox laudatis testimoniis efficitur, Christum jam in terris præsentem non esse, eo ipso nempe sensibili ac visibili modo quo præsens erat dum in terris degeret ac nobiscum conversaretur; quamquam alio modo, reali quidem ac substantiali, sed sacramentali, id est invisibili ac insensibili, præsens fit in Eucharistia, quod suo loco, Deo dante, demonstraturi sumus.

Probatur 2. ex SS. Patribus quos enumerant Bellarm. L. 3. de Christo cap. 14. Petavius L. 10. cap. 7. & alii passim Theologi. Unum hic laudabo Augustinum Epistola 187. aliàs 57. quæ est ad Dardanum, de præsentia Dei. Cap. 3. exponens ista verba Lucæ 13. *Hodie mecum eris in paradiso*. *Non secundùm id quod homo erat*, ait n. 7. *sed secundùm id quod Deus erat, Christus dixisse accipitur, Hodie mecum eris in paradiso. Homo quippe Christus illo die secundùm carnem in sepulchro, secundùm animam in inferno futurus erat. Deus verò idem ipse Christus ubique semper est*. Et n. 9. *Nec tamen cùm Filium Dei Christum dicimus, hominem separamus; aut cùm eumdem Christum filium hominis dicimus, separamus Deum. Secundùm hominem namque in terra erat, non in cælo ubi nunc est, quando dicebat, Nemo ascendit in Cælum, nisi qui de Cælo descendit, Filius hominis qui est in Cælo: quamvis secundùm id quod Filius Dei erat, esset in Cælo; secundùm verò id quod filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumque adscendisset in Cælum*. Et n. 10. *Cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum enim est, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus... aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Una enim persona Deus & homo est, & utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id quod Deus est; in Cælo autem, per id quod homo.*

T. 2. p. 680. B.

Ib. F.

Ibid. p. 681. B.

Probatur 3. Quia pugnat ubiquitatis doctrina cum multis fidei ac Religionis nostræ articulis: cum nativitate Christi ex utero B. Virginis: cum ejus morte, sepultura, ad inferos descensu, resurrectione à mortuis. Quippe si ubicumque Verbum est, ibi est Christi humanitas, quomodo ex utero B. Virginis in lucem exire potuit? Quomodo mortuus, si anima semper cum corpore perinde ac cum Verbo unita fuit? Quomodo jacuit in sepulchro corpus exanime, cùm totus ibi Christus foret? Quomodo descendit ad inferos, ubi jam erat? ascendit in Cœlum, quod non deseruerat?

Probatur quartò his rationum momentis.

I. Sicut naturæ duæ in Christo distinctæ sunt, nec de se invicem prædicari possunt in abstracto, ita & distinctæ proprietates; nec una prædicari de altera potest. Sic dici non potest, *Divinitas est passibilis, humanitas est impassibilis*.

II. Aut omnes divinæ naturæ proprietates possunt humanitati communicari, aut nullæ: atqui ne Lutherani quidem concedunt, omnes divinæ naturæ proprietates communicari posse; ergo nullæ possunt communicari: non enim potior ratio est pro una quàm pro altera; cur v.g. ubiquitas potiùs quàm æternitas communicetur.

III. Non magis proprietates divinæ possunt homini communicari, quàm humanæ Deo: atqui fatentur Lutherani, proprietates humanas, v. gr. passibilitatem, mutabilitatem &c. Deo convenire non posse: ergo fateantur etiam necesse est, divinas proprietates humanitati communicari non posse.

IV. Implicat corpus quod in suo statu naturali loco circumscribitur, esse ubique: at corpus Christi, dum in terris degebat, in suo erat naturali statu, ac loco circumscriptum.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Constat ex multis Scripturæ locis, aliquas divinæ naturæ proprietates humanitati Christi communicatas fuisse: quidni ergo & ubiquitatem, omniscientiam, omnipotentiam?

I. Coloss. 2. v. 9. de Christo Apostolus ait: *In quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*.

II. Joan. 3. v. 34. *Non ad mensuram Christo datus est Spiritus, sed Pater omnia dedit in manu ejus*. Christus ipse Matth. 28. v. 18. declarat *sibi datam esse omnem potestatem in Cælo & in terra*.

III. Joan. 6. v. 48. Caro Christi vivifica dicitur, seu *panis vitæ*.

IV. Matth. 22. v. 44. Christus *sedet ad dexteram Dei*: sed dextera Dei ubique est; ergo Christi humanitas ubique est.

V. denique, Matth. 18. v. 20. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, ait Christus, *ibi sum in medio eorum*. Etc. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculorum*.

Resp. nego ant. Lutheranos nihil planè juvant, quæ hìc opponunt Scripturæ loca; atque in eo illi falluntur aut fallunt, quòd quæ Christo in concreto seu personaliter tribuit Scriptura, ii humanitati Christi abstractè consideratæ tribuant. Nullus autem Catholicorum negavit unquam, quin pro-

proprietates divinæ naturæ Christo homini abundè communicatæ fuerint, *in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ Dei*, Coloss. 2. v. 3. ob intimam scilicet unionem naturæ utriusque in Christo.

Ad primum: *Plenitudo divinitatis corporaliter*, id est verè, realiter, non fictè, non figuratè, non per meram efficaciam aut assistentiam, in Christo inhabitat. Sed quid inde in gratiam ubiquitatis humanitati Christi concessæ? nihil omnino.

Ad secundum: De Christi persona hìc sermo est, non de humanitate: *Data est mihi omnis potestas*; non ait, humanitati meæ. Quamquam si diceret, apertus esset sensus, datam nempe eam omnem potestatem, cujus illa capax est: majorem quidem & abundatiorem comparatè ad nos, sed tamen finitam, pro conditione & capacitate subjecti.

Ad tertium: Caro Christi vivifica dicitur, non ratione sui præcisè, sed ratione personæ Verbi cui hypostaticè copulatur. Adde quòd in hujuscemodi loquendi formulis agnoscenda sit figura synecdoche, per quam quod personæ proprium est ob utramque naturam, carni vel sanguini tribuitur.

Ad quartum: Animæ Justorum dicuntur esse *in manu Dei*. Sap. 3. v. 1. An inde concludes eas ubique esse? Christus igitur ratione suppositi, sedet ad dexteram Dei, non autem præcisè ratione naturæ. Aliud porrò est sedere ad dexteram Dei, & aliud esse dexteram Dei: istud nihil aliud denotat, quàm omnipotentiam & majestatem ipsam Dei; sedere verò ad dexteram, idem est ac officium Mediatoris exercere, ad quod exercendum omnis potestas & dominatio Christo concessa fuit. *Oportet illum regnare*, ait Apostolus primæ Cor. 15. v. 25. *donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*. Regnare autem ad personam pertinet, non ad naturam.

Ad quintum: Promittit Christus se adfuturum, quoties duos vel tres in ejus nomine congregabuntur, non quidem præsentia corporali, sed auxilio gratiæ, protectione, auctoritate, qua Ecclesiæ suæ semper adest; *Vobiscum sum omnibus diebus*. Unde fit ut adversùs Ecclesiam portæ inferi prævalere nunquam possint.

Objicies 2. Verbum divinum est ubique: Christus est Verbum divinum; ergo Christus est ubique.

Resp. vitiosum esse istum syllogismum, in quo plures sunt quàm tres termini. In majori quippe propositione, *Verbum* supponit pro sola natura divina: in minori verò, *Christus* duplicem includit naturam; divinam & humanam: secundùm divinam, seu prout Deus est, ubique est, non verò quatenus est homo. Distinguenda igitur minor propositio: Christus est Verbum incarnatum duplici constans natura, concedo: non incarnatum, nego.

Objicies 3. Eorum quæ intimo & indissolubili nexu uniuntur, unum sine alio esse non potest: atqui Verbum & humanitas in Christo intimo & indissolubili nexu uniuntur; ergo unum sine alio esse non potest: at Verbum ubique est; ergo & humanitas.

Resp. 1. Retorqueo argumentum contra Lutheranos. Eorum qui intimè uniuntur, unum non potest esse æternum, impassibile, immortale, quin aliud similiter æternum sit, impossibile & immortale: atqui Verbum unitum humanitati, æternum est, impassibile, immortale; ergo similiter & humanitas æterna est, immortalis &c.

Resp.

Resp. 2. dist. maj. Eorum quæ intimè uniuntur, unum non potest esse sine alio, si intimè & adæquatè uniuntur, ita ut unum alium non excedat, seu latiùs eo non pateat, concedo: si intimè uniuntur, sed non adæquatè, quia unum alio latiùs patet, nego. Sic v.g. oculus & anima intimè uniuntur; nec tamen oculus est ubicumque est anima: hæc enim per totum corpus diffusa est, oculus verò, & unumquodque aliud corporis humani membrum, suum fixum ac determinatum locum habet & occupat. Porrò divinitas longè latiùs patet ac extenditur quàm humanitas, cui intimè conjungitur: undè meritò dixit Augustinus paulò antè laudatus, *Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus.*

Instabis: Si humanitas Christi non est ubicumque est Verbum, sequitur Verbum alicubi esse ubi homo non est; ac consequenter Verbum humanitatem quam assumpsit, alicubi dimittere seu deponere.

Resp. nego sequelam antecedentis: quia reipsa nullibi Verbum est, quin sit homo, quia nusquam separatur ab humanitate, quam semel assumptam nunquam dimittit: sed non inde sequitur, ibi esse hominem, ubi est Verbum; quia nempe Verbum non ubique localiter includit humanitatem, quam non assumpsit per localem coexistentiam, sed per hypostaticam unionem. Unde propositio ista, verbum alicubi non est homo, duplici sensu potest intelligi. 1. Verbum alicubi deseruit humanitatem; qui sensus falsus est. 2. Verbum alicubi est, ubi non est caro Verbi; & hic sensus verus est.

Instabis 2. Christus homo est ubique.

Resp. dist. Est ubique ratione divinitatis, seu Christus ut Deus, concedo: ratione humanitatis, seu Christus ut homo, nego. Sedulò distingui debet persona & natura: nomen istud, *Christus*, suppositum seu personam sonat: nomen verò, *humanitas*, naturam. Suppositum Christi, quia divinum, ubique est; humanitas, quia creata, ubique non est. Lege Augustinum loco jam laudato, ex Epistola ad Dardanum.

ARTICULUS TERTIUS.

An Christus dici possit compositus. An dici possit duæ naturæ, vel ex, aut in duabus naturis, aut ex tribus substantiis.

TOta in æquivoco ac nominis expositione posita est ista quæstio. S. Thomas hìc ad secundum, duplicem distinguit compositionis speciem: unam quæ fit ex partibus propriè dictis incompletis, mutuam ad sese invicem habitudinem dicentibus ad totum aliquod efficiendum; quarum partium una se habet per modum actus, altera verò per modum potentiæ: hoc modo homo componitur ex anima & corpore, tanquam materia & forma. Altera verò compositio fit, quoties est distinctorum unio. Prior dicitur compositio *ex his*, altera compositio *cum his*, & vulgò dicitur compositio per modum numeri; numerus enim multitudinem importat unitatum. Scotus cum suis negat Christum dici debere compositum: affirmat verò S. Th. 3. p. q. 2. art. 4.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Christus compositus non est ea compositione quæ fit ex partibus incompletis propriè dictis, quæ mutuam ad se invicem habitudinem dicant ad totum constituendum.

Probatur auctoritate S. Athanasii apud Euthymium in Panoplia parte 2. tit. 15. *Cernis*, inquit, *in una persona non partium compositionem, sed perfectarum naturarum conjunctionem, qua non duæ una fiunt essentia, sed una dignitas & gloria declaratur.* Biblior. T. 19 p. 176. C.

S. Augustinus L. 2. contra Maximinum Arianum cap. 10. *Christus*, inquit, *una persona est geminæ substantiæ, quia & Deus & homo est. Nec tamen Deus pars huius personæ dici potest: alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus, & crevit cùm homo divinitati ejus accessit.* T. 8. p. 698. E.

Ratio aperta est. Tùm quia quælibet natura in Christo completa est ac perfecta, non pars propriè dicta & incompleta, quæ cum alia totum aliquid efficiat: *Non duæ una fiunt essentia*, ait S. Athanasius, mox laudatus. Tùm quia natura utraque etiam post unionem inconfusa & impermixta remanet. Quòd si è Veteribus nonnulli aliquando dixerint divinitatem & humanitatem esse *partes* Christi; partium nomen impropriè usurpant, quatenus scilicet in unum & idem suppositum confluunt naturæ, divina & humana.

SECUNDA CONCLUSIO.

Christus non immeritò compositus dici potest, ea compositionis specie quæ fit per modum numeri, & appellari solet compositio *cum his*.

Probatur auctoritate Veterum, qui compositionis nomen non refugerunt, cùm de Christo actum fuit. Concilium V. œcumenicum Collat. 8. Anathematismo 4. sic loquitur. *Qui non confitetur unitatem Verbi Dei ad carnem animatam anima rationabili & intellectuali, secundùm compositionem, sive secundùm subsistentiam factam esse, sicut & SS. Patres docuerunt, & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de sancta Trinitate, talis anathema sit.* Eodem compositionis vocabulo utuntur S. Cyrillus L. de recta fide ad Theodosium, qui laudatur Act. 1. Concilii Ephesini, S. Maximus in Tractatu contra unam naturam, Sophronius in Epistola ad Sergium, S. Joan. Damascenus L. 3. de fide orthod. c. 3. & 5. & alii benè multi, qui data opera, compositum Christum dicunt, ut adversùs Eutychianos ostendant duas esse in Christo inconfusas & impermixtas naturas. Ratio suffragatur; quia ad compositionem sufficit distinctorum unio: atqui sunt in Christo duæ naturæ *distinctæ* in una Verbi persona; ergo &c. To. 5. Conc. p. 570. D.

Quæres 1. an dici possit Christum unam habere naturam ex duabus compositam.

Resp. minimè. Erat hic error Eutychetis, qui naturas in Christo confundebat, atque humanam sic à divina fuisse absorptam contendebat, ut una quædam resultaverit.

Quæres 2. an Christus dici possit esse duæ naturæ.

Resp.

T. 6. p. 251. E. Resp. 1. affirmativè post S. Augustinum, Enchiridii c. 38. *Utraque substantia*, inquit, *divina scilicet & humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis*.

Resp. 2. damnatam fuisse hanc propositionem à Concilio Constantiensi in Joanne Hus, qui ea loquendi ratione abutebatur, ut innueret post magistrum suum Vviclefum, unamquamque naturam, sive divinam, sive humanam sigillatim sumptam esse totum Christum. Quapropter propositiones hujuscemodi, quæ æquivocæ sunt, ac in pravum sensum à malevolis usurpantur, exponendæ primùm sunt, facta sensuum distinctione.

Quæres 3. an dici possit Christum esse ex duabus naturis.

Resp. optimo sensu id dici posse, quia reipsa duæ sunt in Christo distinctæ naturæ. *Mediator Christus*, ait S.Hilarius L. 9. de Trin. n. 3. *ex unitis*
P. 985. C. *in seipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est*. Flavianus in prima fidei professione Christum confessus est ex duabus naturis esse, quod à Concilio Constantinopolitano probatum fuit. Nihilominùs erroris eutychiani suspecta nonnunquam fuit illa propositio, propter scilicet Eutychianorum fraudes. Concedebant illi quidem, Christum ante unionem ex duabus esse naturis; at post unionem duas non agnoscebant in ipso naturas.

Quæres 4. an necesse sit dicere Christum in duabus vel ex duabus naturis esse.

Resp. affirmativè. Narrat Petavius L. 3. c. 5. quòd cùm Anatolius Constantinopolitanus, ex mandato Synodi Chalcedonensis Actione 4. formulam fidei exarasset, in qua dicebatur, *Christum esse ex duabus naturis*, statim summo zelo Episcopos ac præsertim Legatos reclamasse, & additum fuisse, Christum esse non tantùm ex duabus, sed etiam in duabus naturis: ut nempe obviam irent Eutychianorum fraudi ac perversæ expositioni.

Quæres 5. an Christus dici possit ex tribus substantiis.

Resp. 1. nihil in eo periculi esse: in Christo enim est divinitas, corpus, & anima, quæ tres sunt substantiæ.

Resp. 2. necessarium aliquando fuisse asserere Christum esse ex tribus substantiis, occasione scilicet erroris Apollinaris, qui Christum anima humana spoliabat, ejus vices, ut putabat, supplente Verbo divino. Ita S. Au-
T. 8. p. 943. B. gustinus L. 13. de Trinit. c. 17. *Sic*, inquit, *Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona; ac per hoc jam ex tribus, scilicet*
P. 293. col. 1. C. *Deo, anima, & carne*. Et Isidorus Hispalensis L. 1. de differentiis n. 6. *Nos*,
To. 6. Conc. p. 544. B. inquit, *ex duabus subsistimus substantiis, corporis quidem & animæ: ille* (Christus) *ex tribus, Verbi, corporis, & animæ*. Ita pariter Synodus Toletana XI. in professione fidei.

Nihilominus hunc loquendi modum postmodum improbavit Benedictus II. S. P. ac tanquam minus cautè dictum à Synodo Toletana reprehendit: quod cùm intellexissent Hispani, coacta altera Synodo, mentem suam exposuerunt, contendentes utrumque dici posse; sed tamen ad elidendas Arianorum & Apollinaristarum fraudes, longè satiùs sibi videri, si tres substantiæ agnoscerentur.

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA.

De carne Christi, & pertinentibus ad illam.

QUæ in præsenti Quæstione discutienda nobis sunt, ad hæc capita revocamus.

I. An Verbum veram & solidam carnem ex B. Virgine assumpserit; an tantùm phantasticam, cœlestem vel aeream.

II. An omnes humani corporis partes, etiam sanguinem, assumpserit.

III. Quomodo corpus ex B. Virgine assumpserit, illibata semper ejus virginitate permanente.

IV. An Christus specie seu forma decorus fuerit.

V. An defectus humanos assumpserit.

VI. An doloribus obnoxius verè fuerit.

VII. denique, de modo quo humanitas Christi miracula operabatur.

ARTICULUS PRIMUS.

An Verbum divinum veram & solidam carnem assumpserit.

INitio hujus Tractatus varios circa corpus seu carnem Christi errores exposuimus, & Quæstione octava demonstravimus, Christum veram ac nostræ consubstantialem naturam assumpsisse, adeoque nec phantasticum, aut cœlitus delapsum, sed verum, physicum ac solidum corpus in eo fuisse.

CONCLUSIO.

Verbum divinum veram, physicam & solidam carnem assumpsit, non umbratilem, non phantasticam, aut cœlitus delapsam, quæ per Mariam Virginem, tanquam per merum canalem transierit.

Probatio facilis & aperta est. Ex dictis etenim Qu. 8. Verbum divinum veram, ac nostræ consubstantialem naturam humanam assumpsit; ergo & veram carnem solidumque corpus.

Duplici ex Scripturis argumento capitale istud fidei nostræ caput demonstratur.

I. Ex iis locis in quibus aperta fit carnis seu corporis Christi mentio.

Joan. I. v. 14. *Verbum caro factum est*. Si *factum*: ergo non umbratilis, nec phantastica caro fuit, sed vera & realis.

Psalmo 39. v. 7. & Hebr. 10. v. 5. *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*. Hostiæ porrò & oblationes Legis veteris non fictæ erant, non umbratiles, sed veræ ac reales; tametsi figuræ veræ hostiæ quam Christus in ara crucis pro salute omnium oblaturus erat. Ergo ut veritas umbris ac figuris responderet, necesse fuit verum ac solidum in Christo corpus fuisse.

Hebr. 5. v. 7. de Christo ait Apostolus: *Qui in diebus carnis suæ preces, suppli-*

cationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Dies carnis vocat Apostolus, dies vitæ mortalis Christi.

Roman. 1. v. 3. *Qui factus est ex semine David secundùm carnem*. Christus ipse pridie mortis suæ declaravit Matth. 26. v. 26. hoc, quod Apostolis tradebat, esse corpus suum quod cruci affigendum erat, cujus latus apertum est, quod sepultum fuit, in quo homines Deo Patri reconciliavit. Coloss. 1. v. 21. & 22. *Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis, reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem*. Et primæ Petri v. 2. 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*.

Denique Christus à mortuis redivivus seipsum Thomæ tractandum præbuit, Joan. 20. & Lucæ 24. v. 39. *Videte*, inquiebat ostendens manus, & pedes & latus, *manus meas & pedes; quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*.

II. Demonstratur ex iis locis in quibus tùm ex Maria Virgine natus dicitur, tùm ejus describitur genealogia.

Isaiæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*: quod oraculum in Maria Virgine impletum referunt Evangelistæ, Matth. 1. v. 23. & Lucæ 1. v. 31. & Matth. eodem c. 1. v. 16. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Et v. 20. *Quod ex ea natum est, de Spiritu sancto est*. Lucæ 1. v. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te*, ait Angelus ad Mariam, *& virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Denique, genealogia Christi, quam S. Matth. describit, invictum est argumentum veritatis corporis ipsius: neque enim hominis fictitii genealogia, patria, parentes, locus & circumstantiæ nativitatis tam accuratè describerentur: insulsus ille profectò haberetur, qui tale figmentum in mentem suam induceret. Plura eo de argumento vide superiùs ad Quæstionem octavam.

Dices 1. Rom. 8. v. 3. *Deus misit Filium suum in similitudinem carnis*. Ergo ficta erat, non vera caro.

Resp. nego conseq. Sensus Apostoli est, Deum misisse Filium suum in similitudinem *carnis peccati*, ut ait ibidem; non in similitudinem puram seu vacuam. Etenim specie tenus Christus videbatur habere, sicuti nos habemus, carnem peccati; at reipsa nobis per omnia similis factus, *absque peccato*.
P. 473.

Dices 2. Apostolus 2. Corinth. 5. v. 16. ait: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundùm carnem. Et si cognovimus secundùm carnem Christum; sed nunc jam non novimus*. Ergo jam saltem Christus veram non habet carnem.

Resp. nego conseq. Mens Apostoli hæc est, interprete Estio in hunc locum, quòd etsi Discipuli Christi, aliquando magnum & gloriosum putaverint, gentilem & consanguineum esse Christi secundùm carnem; nunc tamen ita penitus mortui sint affectibus vitæ veteris, ut non amplius in hujusmodi re gloriandum sibi censeant. Etenim pseudoapostolos in eo vel imprimis gloriatos fuisse, quòd Christo essent carne & sanguine conjuncti, dubitandum non est: verumtamen id non esse magni faciendum, ipse etiam Christus docuit; quando quibusdam sibi nuntiantibus adventum suæ matris, & fratrum, respondit: *Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt*. Lucæ 8. Hæc Estius.

Dices

Dices 3. Matth. 1. v. 20. Angelus Josephum alloquens, ait quidem Jesum natum in B. Virgine, sed non ex ea, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

Resp. jam suprà observatum fuisse, Evangelistas promiscuè particulas *in*, vel *ex*, hic usurpasse; & Matth. quidem dixisse, *quod in ea*; S. verò Lucam, *quod ex ea natum est.*

ARTICULUS SECUNDUS.

An Verbum divinum omnes humani corporis partes, etiam sanguinem, assumpserit.

PArtes humani corporis aliæ sunt ad integritatem, ut membra, ossa, nervi &c. aliæ ad vitam & omnes vitales actiones, ut sanguis, spiritus, humores; aliæ ad ornatum, ut capilli.

Quæritur an Verbum eas omnes partes assumpserit.

CONCLUSIO.

Verbum divinum omnes humani corporis partes sibi hypostaticè conjunxit.

Ratio ex dictis sæpius manifesta est: Quia Verbum veram ac nostræ similem humanitatem, verum corpus, veramque carnem hypostaticè assumpsit, quia verus homo fuit, *Verbum caro factum est.* Eas igitur partes omnes sibi conjunxit, quas anima in humano corpore informat ac vivificat, membra, ossa, carnem &c.

De sanguine dubium vix moveri potest, adeo disertè Scriptura declarat per sanguinem Christi redemptos nos fuisse. Ephes. 1. v. 7. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* 1. Petri 1. v. 18. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis..... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Denique 1. Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.* Virtus autem illa, seu pretium sanguinis Christi, ex ipsa Verbi persona hypostaticè humanitati sociata nascitur, unde infert Clemens VI. S. P. in Extravaganti jam à nobis laudata, vel unica pretiosi sanguinis gutta universum genus humanum redimi potuisse, propter illam hypostaticam Verbi cum humanitate conjunctionem. Utrum sanguis qui tempore Passionis effusus est, ac triduo mortis à corpore separatus fuit, hypostaticè cum humanitate junctus permanserit, fusè antea disputatum fuit, ubi de indissolubilitate hypostaticæ unionis.

Quæres, an Christus omnem effusum in Passione sanguinem resurgendo reassumpserit, ac in Cœlo etiamnum conservet.

Resp. affirmativè: Quia Christus à mortuis suscitatus, & qualis sedet ad dexteram Patris, homo verus est ac perfectus; ergo eas omnes retinet partes quæ ad perfectionem & integritatem humanitatis pertinent. Similem quæstionem S. Augustino proposuerat Consentius, utrum nunc corpus Domini ossa & sanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta. *Quid si ad-*

T. 2. p. 767. F. ibid. p. 768. A. *deres*, ait S. Augustinus Epistola 205. alias 146. *utrum etiam vestimenta, non-ne augeretur quæstio? .... Ego proinde*, pergit sanctus Doctor, *Domini corpus ita in cælo esse credo, ut erat in terra, quando ascendit in cælum*. Molestè fert sanctus Doctor hujuscemodi particulares disquisitiones de quibus silet Scriptura. *Non ergo*, addit ibidem n. 3. *nos addamus inquirere, quod ille* (Christus) *non addidit dicere; & de compendio, si placet, finita sit quæstio.*

Ibid. B. *Fortassis enim, accepta occasione sanguinis, urgebit nos molestior perscrutator, & dicet, Si sanguis, cur non & pituita, cur non & fel flavum & fel nigrum, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam Medicinæ disciplina testatur? Sed quodlibet quisque addat, corruptionem addere caveat, ne suæ fidei sanitatem castitatemque corrumpat.*

ARTICULUS TERTIUS.

De modo quo Verbum divinum carnem ex B. Virgine assumpsit: an illibata semper ac integra remanente ipsius virginitate.

Beatæ Mariæ Dei genitricis virginitas spectari potest, vel ante partum, vel in partu, vel post partum; quocumque autem modo spectata suos habuit hostes. Qui ex veteribus Hæreticis, ut Cerinthus, Ebion, Carpocras &c. Christum purum hominem communi cæterorum more ex commercio viri cum muliere ortum existimarunt, ii procul dubio virginitatem Mariæ, antequam pareret, non agnovere. Jovinianus quarto sæculo B. Virginem cæterarum ac vulgarium feminarum, quæ matres fiunt, conditioni subjecit, ut nempe violato virginitatis claustro partum in lucem emittant. Alii post natum Christum ajunt Mariam cum Josepho viro suo congressam plures ex eo suscepisse filios, qui in Evangelio fratres Christi dicuntur. Ita nonnulli ætate Origenis, de quibus mentionem facit Hom. 7. in Lucam; Apollinaris apud S. Epiphan. hæresi 77. & 78. &c. Octavo sæculo fuere qui plùs æquo morosi ac quasi de potentia Dei diffiderent, ne fortè corpus Christi nisi rupto virginitatis claustro in lucem exire posset, commenti sunt illud ex latere Beatæ Virginis prodiisse. Hos refellit sanctus Joannes Damascenus Libro 4. capite 15. Sit itaque

CONCLUSIO.

Verbum divinum carnem ex B. Virgine, miro prorsus ac stupendo modo operante Spiritu sancto, assumpsit; perpetua & inviolata permanente genitricis Mariæ, sive ante partum, sive in partu, sive post partum, viginitate.

I. Modus quo côceptus est Christus, novus planè ac stupendus.

I. Mirum ac planè stupendum fuisse modum quo caro Christi in utero B. Virginis, operante Spiritu sancto, concepta est, demonstrat Historia Evangelica. Matth. 1. v. 18. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

Lucæ 1. v. 26. & seq. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus*

gelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum ..... Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Mira igitur fuit & supra consuetam naturæ legem Christi conceptio in utero B. Virginis, operante Spiritu sancto.

Tria verò in ea conceptione notanda sunt: materiæ, seu purioris sanguinis Mariæ præparatio; corporis Christi conformatio, & perfectio. Communis Thelogorum opinio est; corpus Christi non paulatim ac successivè, ut solent alia vulgarium hominum corpora, sed statim ac in instanti conceptum ac perfectum fuisse. Ita sentiunt S. Greg. Magnus L. 18. Mor. c. 52. al. 36. *Angelo nuntiante*, inquit, *& Spiritu sancto advenıente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.* T. 1. p. 598. C.

S. Joannes Damascenus Libro 3. De fide orthodoxa cap. 2. *Quamobrem*, ait, *simul atque caro extitit, simul quoque Dei Verbi extitit caro, simul caro animata, rationis particeps & intelligentiæ*: cæteri Theologi, apud quos istud verum ac certum est, non priùs tempore carnem Christi extitisse, quàm à Verbo assumpta fuerit. Neque enim hominem perfectum, seu personam, sed naturam dumtaxat humanam Verbum sibi unione personali conjunxit: at eodem instanti natura illa singularis, seu caro Christi, & concepta fuit, & à Verbo assumpta. T. 1. p. 205. A.

Communem hanc Ecclesiæ fidem tùm auctoritate sua, tùm istis rationum momentis confirmant sancti Ecclesiæ Doctores. 1. Consentaneum maximè fuit, temporalem Dei nativitatem ex utero Virginis peculiari modo & extra legem naturæ consuetam fieri, ut verum dictu sit, *Generationem ejus quis enarrabit?* Ita S. Ignatius in Epistola ad Ephes. S. Justinus Dial. cum Tryphone. 2. Sicut homo primus immediatè à solo Deo productus est, atque Eva ex viro sine femina prodiit, cæteri verò mortales ex consortio viri & mulieris nascuntur, ita necesse fuit quartum superaddi nativitatis modum, ex muliere scilicet sine viro, qui planè novus est ac inauditus: unde meritò Jeremias c. 31. v. 22. *Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum*, in utero nempe suo. Ita S. Irenæus L. 3. contra Valent. c. 26. 27. 3. Necesse erat, ut Salvator, qui ut nos renovaret, in mundum venit, ad nos novo planè & insolito modo accederet. Ita Tertull. L. de carne Christi cap. 17. 4. Non decuit ut idem filius duos haberet patres, æternum unum, & temporalem alterum; sed ut nullam matrem habuit in Cœlo quatenus Deus, ita nullum patrem in terris habere debuit, quatenus homo. Ita Lactantius L. 4. Institut. 50. Christus sua ex Virgine nativitate, suam comprobare voluit infinitam potentiam ac naturam planè divinam. Ita Theodotus Ancyranus Hom. 1. Isai. 53. v. 8.

II. Dei genitricem Mariam ante partum virginem fuisse, demonstrant quæ mox dicta sunt. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? ... Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. Diu antè Isaias cap. 7. v. 14. prædixerat: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium,* II. B. Maria virgo ante partũ.

& vocabitur nomen eius Emmanuel, hoc est, *Nobiscum Deus*: quem textum à contortis Judæorum expositionibus antea vindicavimus, cùm de vaticiniis Prophetarum agebamus. In Christo vaticinium illud completum fuisse referunt Evangelistæ. S. Matth. c. 1. v. 18. conceptis verbis affirmat: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*.

III. B. Maria virgo in partu. III. In partu quoque integram & illibatam fuisse Dei genitricis virginitatem, ostendunt verba mox laudata Isaiæ, *Virgo concipiet & pariet filium*. Ergo non tantùm concipiendo, sed etiam pariendo filium virgo permansit.

Favet Ecclesiæ Judicium, quæ pro hæreticis eos semper habuit, qui violato virginitatis claustro Christum ex Maria natum esse asseruerunt.

Favet & universa SS. Patrum, tùm Græcorum tùm Latinorum traditio: eorum seriem dabit Petavius L. 14. c. 3. 5. & 6. nonnullos dumtaxat hic appellasse sufficiet.

S. Augustinum Epistola 137. aliàs 3. ad Volusianum. *Ipsa*, inquit, *virtus per inviolatæ matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit*. Et in Enchiridio cap. 34. *Quo si vel nascente*, inquit, *corrumperetur eius* (Mariæ) *integritas, non iam ille de virgine nasceretur; eumque falsò, quod absit, natum de Virgine Maria tota confiteretur Ecclesia*. Denique Serm. 21. de tempore nunc 120. in Append. *Virgo*, inquit, *genuit; quia Virgo concepit. Inviolata peperit; quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum: & sine corruptione gravida, & in partu virgo puerpera*. (T. 2. p. 405. A. — T. 6. p. 210. A. — T. 5. Append. p. 219. E.)

Sanctum Leonem Sermone 1. de Nativitate, *Meritò igitur*, inquit, *virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris, editio veritatis*. (T. 1. p. 143. c. 2.)

S. Ambrosium Epist. 7. ad Siricium S. Pontificem, quæ Synodica est Mediolanensis Concilii adversùs Jovinianum, & Lib. de Instit. Virginis cap. 7. Hieronymum Comment. in caput 44. Ezechielis, Joan. Damasc. L. 4. De fide orth. c. 15. & alios de quibus Petavius loco mox indicato. Istud verò stupendum miraculum alio duplici exponunt SS. Doctores. Nimirum, sicut Christus clausis januis intravit in cubiculum ubi congregati erant Apostoli, & sicut intactis sepulchri sigillis, nec fracto aut revoluto lapide, à mortuis redivivus è sepulcro exivit; ita integro ac inviolato pudoris ac virginitatis claustro ex utero matris in lucem emissus fuit.

B. Maria virgo post partum. IV. Etiam post partum Maria mater Dei virgo permansit, nec ullos, ut impii nonnulli fingunt, filios ex Joseph suscepit.

Constat ex Judicio Ecclesiæ, quæ impietatem illam semper detestata fuit; quam Origenes *magnam insaniam*, Ambrosius *sacrilegium*, Gennadius *blasphemiam*, appellat. *In tantam*, ait Origenes Hom. 7. in Lucam, *nescio quis prorupit insaniam; ut assereret negatam fuisse Mariam à Salvatore, eò quòd post nativitatem illius juncta fuerit Joseph*. S. Basilius Homilia in sanctam Christi generationem, aliàs 25. *Christi amantes*, inquit, *audire non sustinent, quòd Deipara aliquando desierit esse virgo*. S. Epiphanius Hæresi 78. n. 6. scribit eos pro hæreticis haberi, qui dicerent Mariam post editum Christum cum Josepho viro suo consuetudinem habuisse, quos *Antidicomarianitas* appellat, variisque confutat momentis, isto præsertim, quòd ad sua usque tempora, nemo B. Mariam appellasset, *nisi præposito virginis nomine*. (T. 2. p. 137. A. — T. 2. p. 600. A. — T. 1. p. 1037.)

nomine. S. Ambrosius L. De instit. virginis c. 6. *Fieri non poterat*, ait, *ut Joseph vir justus in hanc prorupisset amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu misceretur*. S. Hieronymus ex professo contra Helvidium ostendit, Mariam perpetuò constanter virginem permansisse. *Natum esse Deum de virgine credimus*, ait, *quia legimus*: *Mariam nupsisse post partum non credimus*, *quia non legimus*. Et Comment. in caput 44. Ezech. v. 2. *Pulchrè quidem*, inquit, *clausam portam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur*, *Mariam Virginem intelligunt, quæ & ante partum, & post partum virgo permansit*. S. Augustinus Tract. 10. in Joan. *Unde*, inquit, *fratres Domino? Num Maria iterum peperit? absit*. *Inde cœpit dignitas virginum*. *Illa femina mater esse potuit, mulier esse non potuit*. Denique Concilium generale Chalcedonense in Allocutione ad Marcianum Imperatorem, asseverat, *virginitatem* (Beatæ Mariæ à Christo) *sacratam esse, etiam post partum, uterumque ejus fuisse integritate obsignatum, ut nullius injuriæ deinde pateret*.

T. 2. p. 260. C. D.

T. 4. par. 2. p. 141.

T. 3. p. 1023.

T. 3. p. 2. p. 358. F.

To. 4. Conc. p. 824. E.

Quæres an B. Maria perpetuæ virginitatis votum emisisset? An vero matrimonio cum Josepho juncta fuerit, & qua ratione verum stare potuerit matrimonium cum voto virginitatis perpetuò servandæ?

Resp. 1. Virginitatis votum à B. Virgine emissum fuisse, probant hæc ipsius verba, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ita S. Augustinus mox laudandus.

Resp. 2. B. Virginem vero & propriè dicto matrimonio cum Josepho viro suo conjunctam fuisse, cujus quidem mysterii causas & rationes istas passim adducunt SS. Patres. 1. ut Mariæ & Christi genus seu prosapia, ex Joseph, qui fuit ex familia David, clarè innotesceret. 2. ut Virginis, quæ de Spiritu sancto conceptura erat, honori consuleretur. 3. ne Christus pro spurio haberetur, & rejiceretur à Judæis. 4. ut Joseph uxoris suæ castitatis ac illibatæ virginitatis & testis & custos foret. 5. ait S. Ignatius Martyr, *ut partus B. Virginis diabolo celaretur*.

Resp. 3. Virginitatis votum stare rectè posse cum matrimonio, ex mutuo partis utriusque consensu: matrimonium etenim in animorum unione, consensione, ac individuæ vitæ societate consistit potiùs, quàm in carnali cohabitatione. Quapropter non sine divina inspiratione Joseph Mariam accepit in conjugem, ad quam nusquam erat accessurus. Rem totam exponit S. Augustinus L. De sancta Virginitate c. 4. *Profectò*, inquit, *non diceret* (B. Virgo,) *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: nisi Deo virginem se antè vovisset*. *Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custoditurο quod illa jam voverat*. T. 6. p. 343. A.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. cum Tertulliano L. de carne Christi c. 23. & Origene Hom. 4. in Lucam, hæc verba S. Lucæ c. 2. v. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*. Ex quibus verbis inferunt, Christum ex B. Virgine reserato virginitatis claustro prodiisse.

Resp. nego conseq. Namque verbis citatis hoc unum dumtaxat intendit S. Lucas, quod lex ferebat, omne masculinum primogenitum offerri Deo debere, quocumque tandem modo natum esset, sive ordinario, sive extraordinario ac singulari; lex autem iis concepta est verbis quæ communem spectant nascendi modum. In legibus quippe ferendis Legislator ad id attendit quod communi ac consueto naturæ ordine contingit, non ad id quod est singulare, & supra ordinarium naturæ ordinem positum est, qualis est nativitas ex virgine. Tertulliani ac Origenis auctoritate parùm movemur, qui, ut & in aliis benè multis, hìc à nobis deserendi sunt.

Objicies 2. cum Helvidio. Matth. 1. v. 18. dicitur: *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Particula *antequam* denotat postea convenisse Mariam cum Josepho.

Resp. verba ista, *antequam convenirent*, exponi de cohabitatione, vel domicilii, vel thori: si prius, sensus est, Antequam Maria Joseph desponsata simul in eadem domo habitarent nuptias brevì celebraturi, hoc temporis intervallo *inventa est Maria habens in utero de Spiritu sancto*. Huic expositioni favere videtur anxietas Joseph, qui dubitabat an Mariam in uxorem acciperet: *Joseph vir justus*, ait S. Matth. c. 1. v. 19. *cùm nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei; dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Si verò de cohabitatione thori citata verba intellexeris, dico cum S. Hieronymo, Scripturam quid factum non sit (nempe non convenisse Mariam cum Joseph, antequam pareret filium) aperire, non verò quid postea contigerit, cùm nec quæreretur, nec foret necessarium. Quapropter falsa est ista consecutio, Antequam Maria pareret filium, non convenerat cum Joseph; ergo postea convenit. Perinde est ac si quis diceret: Helvidius antequam pœnitentiam ageret, morte præventus fuit; ergo postea pœnitentiam egit. Quis non rideat ad tam insulsam consecutionem?

Objicies 3. Eodem cap. 1. v. 25. de Joseph S. Matthæus ait: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Ergo postea eam cognovit: particula quippe illa *donec*, hunc sensum præferre videtur.

Resp. nego conseq. Particula *donec*, quid antea factum non sit ibi dumtaxat demonstrat. Scilicet particula ista *donec*, non semper certum ac definitum tempus designat, sed indefinitum; nec ita tempus præcedens connotat, ut futurum etiam non respiciat. V. g. Isaiæ 46. Deus ait, *Ego sum, ego sum, & donec senescatis ego sum.* An inde inferes, postquam senuerint illi, Deum non amplius futurum? nihil insulsius. Pariter 1. Cor. 15. v. 25. ex Psalmo 109. Apostolus ait: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus*: an, quæso, inde benè colligitur, destruendum fore regnum Christi, cùm sub pedibus ejus positi fuerint ejus inimici? Similiter L. 2. Regum c. 6. v. 23. legimus, *Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*: an inferet quis natum ei filium post mortem? non puto. Ergo pariter cùm dicitur, *Antequam convenirent* (Maria & Joseph,) *inventa est in utero habens de Spiritu sancto*; non sequitur eos postea convenisse.

Obji-

Objicies 4. Christus dicitur Mariæ filius primogenitus; ergo alios habuit Maria filios.

Resp. nego conseq. Primogenitus ille dicitur, ante quem nullus genitus est, non autem post quem aliquis natus fuerit. Apud Jurisconsultos *primus* dicitur, *quem nemo præcedit*; *ultimus*, *quem nemo sequitur*. Quin & Hebræi primogenitos appellare solent unigenitos: Exodi 4. v.22. Israel vocatur *primogenitus* Dei, licèt solus esset populus à Deo electus. Et cap. 13. v.2. *primogenitus* sanctus Deo dicitur, qui primo partu editur, sive alii sequantur, sive non: aliàs primogenita redimenda non fuissent, nisi post aliam prolem susceptam, quod tamen falsum esse Lex ostendit, qua præcipitur ea redimenda esse primo à partu mense. Num. 18. v.16.

Objicies denique: Matth. 13. v.55. plures Christo fratres assignantur, Jacobus & Joseph, & Simon & Judas; ergo Maria plures post natum Christum filios suscepit ex Joseph viro suo.

Resp. nego conseq. Namque pro more Scripturæ, consanguinei fratres appellantur. Gen. 13. Abraham Loth nepoti suo dicebat, *Nos fratres sumus*. Et c.29. v.15. Laban ad Jacob: *Num quia frater meus es, gratis servies mihi?* Fratres igitur Christi, consanguinei ac consobrini ejus sunt.

ARTICULUS IV.

An Christus specie seu forma decorus fuerit.

Nihil hic certò definiri potest, sive ex Scripturis, sive ex sanctis Patribus, sive ex depictis, quæ circumferuntur, Christi imaginibus.

I. Non ex Scripturis. Quæ etenim formam ejus speciosam commendant, ut Psal.44. v.3. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*, ad animæ pulchritudinem, seu virtutes & spiritualia dona Interpretes referunt. *Hic*, ait S.Chrysost. ad Psal.44. *speciosus forma præ filiis hominum significans gratiam, sapientiam, doctrinam, miracula*. Et Theodoretus in eumdem locum, *Psalmus autem*, ait, *ejus pulchritudinem vocat, non corporis, sed virtutis & totius justitiæ*. Eadem est interpretatio SS. Basilii & Augustini in Psal.44. & Tract. 9. in Epistolam 1. S. Joan. & Hieronymi Epistola ad Principiam. Fundatur hæc interpretatio in hoc ipso Psal.44. qui totus est in commendationem virtutis & excellentiæ Christi: quapropter immediatè post verba citata, Psaltes Regius addit, *Propterea benedixit te Deus in æternum*. Et v.8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Speciosa ergo illa forma, & diffusa in labiis gratia, sensu figurato & allegorico de pulchritudine animę intelligi debet, quemadmodum quod v. 4. ibidem additur, *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*; non de vero ad litteram gladio, sed de virtute ac potestate Christi exponunt Interpretes.

Ed. rec. To.5. p. 163. C.

To.1. p. 568. C.

Quæ verò deformem ac despicabilem ejus formam indicant, qualia ista sunt Isaiæ 52. v.14. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus*. Et cap. 53. v.2. *Non est species ei neque decor: vidimus eum, & non erat aspectus*; hæc, inquam, ad tempus Passionis Christi referunt Interpretes, non ad cursum vitæ mortalis.

II. Mul-

II. Multò minùs ex depictis Christi imaginibus colligi potest quæ ipsi fuerit vultus conformatio, an decora & venusta, an difformis & sordida; aliquas reipsa imagines Christi depictas, excisas aliquas statuas fuisse negari non potest, sed qualis vultu ac specie Christus fuerit, inde certò rescire jam non possumus. De imaginibus autem Christi, quæ Abgari & Veronicæ fuisse memorantur, sileo, quòd à multis non sine causa revocantur in dubium, de quibus vide Baronium ad an. 34. & Gretserum, *De imaginibus Christi non manu factis*.

III. SS. Ecclesiæ Patres variè hìc sentiunt, ex quibus proinde nihil certò statui ac definiri potest.

Christus forma decorum ac pulchrum non fuisse, testantur omnes ferè Scriptores ad quartum usque sæculum.

Tertullianus L. de Carne Christi c. 9. veritatem carnis Christi inde probat, quòd nihil illa novi, nihil miri præferret. *Unde*, inquit, *despicientium formam ejus, hæc erat vox, Unde huic doctrina & signa ista? Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur: passiones quidem, humanam carnem; contumeliæ verò, inhonestam. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum; sputaminibus contaminare faciem nisi merentem?*

Pagina 316. C.

S. Clemens Alexandrinus Libro tertio Pædagogi cap. 1. sic loquitur: *Ipsum autem Dominum fuisse aspectu deformem, testatur Spiritus per Isaiam, Et vidimus ipsum, & non habebat speciem nec pulchritudinem, sed species ejus vilis, deficiens præ hominibus. Quis est autem Domino præstantior? Sed non carnis pulchritudinem quæ visione apprehenditur, sed veram animæ & corporis pulchritudinem: animæ quidem beneficentiam; carnis verò, immortalitatem.* Et Lib. 6. Stromatum istam rationem reddit: *Jam verò*, inquit, *Dominus noster ipse voluit uti vili & humili forma corporis, ne quis speciem laudans, & admirans pulchritudinem, absistat ab iis quæ dicuntur; & attendens iis quæ relinquuntur, abducatur ab iis quæ percipit intelligentia.*

Pagina 158. B.

Pagina 496. B.

Magistrum sequitur discipulus Origenes Lib. 6. contra Celsum. Cùm iste in derisionem Christianis objiceret, coli ab ipsis tanquam Deum, hominem statura pusillum, ac deformem specie, respondet Origenes: *Fatemur quidem, scriptum de Jesu corpore despicabili; quamvis non habeatur apertè adscriptum, parvum fuisse ac vile. Est autem locus apud Isaiam prædicentem venturum eum non supra modum decora specie, nec excellenti pulchritudine.* Celso non concedit Origenes, Christum statura parvum seu pusillum fuisse; at fatetur specie admodum decora & eleganti non fuisse.

To. 1. p. 504. M.

Sanctus Cyrillus Alexandr. Glaphyrorum in Exodum Lib. 1. *Nemo verò*, inquit, *dubitaverit, quin pulchritudo* (Christi) *intelligatur de ea quæ est in gloria & natura deitatis omnia superantis, quandoquidem carnis gloriationes nemo adscripserit Christo, neque in gloriam ipsius censuerit. Absit hoc. Totum enim mysterium Incarnationis ipsius est exinanitio & humiliatio, sicut scripsit de eo Propheta Isaias.*

To. 1. p. 250. B.

In eamdem sententiam haud dubiè conspirant, qui verba jam laudata ex Psal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, non ad corpus, sed ad virtutes animæ referunt, quos initio hujus Articuli appellavimus.

E con-

E contra verò non desunt inter SS. Patres, præsertim SS. Hieronymus, & Joannes Chrysostomus, qui existimant Christo venustam & elegantem oris formam fuisse.

S. Hieronymus in caput 9. S. Matth. *Certè*, inquit, *fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu*. Et in caput 21. *Igneum quiddam*, inquit, *atque sydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie*. Et in Epist. ad Principiam. *Nisi*, inquit, *habuisset & in vultu quiddam oculisque sydereum, nunquam eum statim sequuti fuissent Apostoli; nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent*. *To.4.p. 1.p.30. Ib.p.98. To.2.p. 684.*

S. Joannes Chrysostomus Homil. 28. in Matth. sic habet: *Nam ut in faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus fuisse traditur: idque ipse Propheta significans multò antè clamaverat, Speciosus pulchritudine super filios hominum. Quod autem dicit Isaias, Non habebat speciem neque pulchritudinem, aut quoniam ad deitatis suæ ineffabilem gloriam, aut quoniam passionis cruentam deformationem, & lividos tumores respexit, id ita dixit: vel etiam quia tenui eum & victu & vestitu usurum significare voluit*. *Edit. Cómel. p. 276. A.*

Incertum quidem videtur de quo fulgore vultus Christi loquatur S. Hieronymus; an de fixo & permanente; an de fluxo & transeunte. Exempla Mosis ac Stephani quæ profert sanctus Doctor, innuere videntur eum loqui de fulgore quodam transeunte, & per quædam dumtaxat intervalla temporis in ore Christi emicante. Quidquid sit, inter illas duas extremè oppositas opiniones tertia seligi posse videtur, quæ statuit Christum nec eleganti ac venusta specie fuisse, nec etiam deformi ac turpi, sed communi ac mediocri, quæ nec splendida pulchritudine oculos traheret, nec turpi deformitate offenderet. Mediam hanc sententiam, quæ extremas conciliat, innuunt Tertull. citato Lib. de Carne Christi cap. 9. ubi ait, *non miram fuisse terrenæ carnis Christi conditionem..... nec adeo humanæ honestatis corpus fuisse, nedum cælestis claritatis*. Origenes citato L.6. contra Celsum, ubi ait, Christum *nec suprà modum decora specie, nec excellenti pulchritudine fuisse*. Ergo mediocri ac vulgari. S. Hieronymus in caput 52. Isaiæ. *Hinc*, ait, *erit majus miraculum, quòd inglorius erit inter homines aspectus ejus: non quo formæ significet feditatem, sed quò in humilitate venerit & paupertate*. Denique S. Chrysostomus in Psal. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis. Quomodo ergo dicit alius Propheta, Vidimus ipsum, & non habuit speciem nec pulchritudinem? Non dicit de deformitate, absit: sed de ejus contemptione*. *Pagina 316.C. To.2.p. 504.M. To.3.p. 182. Ed.rec. To.5.p. 163.A.*

ARTICULUS QUINTUS.

An Christus humanos defectus assumpserit.

INter humanos defectus alii ad corpus, alii ad animam pertinent. Corporis defectus vel omnibus communes sunt, ut esse corruptibile, passibile, mortale; vel speciales sunt ac proprii, qui ex certis ac singularibus causis oriuntur, ut febris, deformitas quædam in membris malè coaptatis, v.g. claudicatio, cæcitas &c. Defectus verò animæ, vel physici sunt, ut ignorantia, concupiscentia; vel morales, ut peccatum, inordinati affectus &c. De his postre-

postremis suus erit postea dicendi locus, ubi de anima Christi: de solis hic loquimur humani corporis defectibus.

CONCLUSIO.

Christus omnes humani corporis communes defectus assumpsit: non speciales, qui ex singulari causarum secundarum dispositione nascuntur.

Probatur. Quia Christus, ex dictis hactenus, verus homo fuit, verum ac solidum nostroque simile corpus assumpsit: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Hebr. 4. v. 15. Ergo eos omnes corporis defectus assumpsit, qui omnibus sunt communes, quique ad opus redemptionis humanæ perficiendum maximè conducunt, quales sunt esse passibile, esse mortale &c. una excipitur per triduum mortis carnis corruptio, dicente Propheta Psal. 15. v. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, tùm quia hæc ad negotium redemptionis nostræ consummandum necessaria non videtur; tùm quia indecens fuisset corpus illud corrumpi, cui etiam mortuo, hypostaticè unitum Verbum permansit. Speciales verò defectus, qui ex singularibus causis, seu certa quadam causarum secundarum dispositione nascuntur, Christus non assumpsit: sive quia necessarii non erant ad finem propter quem venerat; sive quia perfectum esse oportuit corpus quod speciali operatione Spiritus sancti formatum est.

ARTICULUS VI.

An Christus doloribus verè obnoxius fuerit.

Observanda.

I. QUæ in nobis est doloribus cæterisque infirmitatibus subjacendi necessitas, ex duplici fonte oritur; ex naturæ principiis, & ex pœna peccati. Omne compositum ex contrariis, natura sua dissolvi potest, & corruptioni obnoxium est; nec sine speciali gratiæ privilegio, Adamus in ortu suo factus est immortalis, à quo privilegio culpa sua excidit: Gen. 2. v. 17. *Quocunque die comederis, morte morieris.* Rom. 5. v. 12. *Peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Et c. 6. v. 23. *Stipendia peccati, mors.*

II. Ex peccato factum est ut tot humanis premamur infirmitatibus, quas ad nutum excutere non possumus. Illarum jugum tam durum sentiebat vel ipse Paulus, ut *à corpore mortis hujus liberari exoptaret. Non enim*, inquiebat ibid. v. 15. *quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.* (Rom. 7. v. 24.)

III. Certissimum est Christum, non ex peccato, cujus prorsus incapax fuit, doloribus, cæterisque humanis infirmitatibus, obnoxium fuisse. Non minùs certum, infirmitates illas & humanas affectiones ita voluntati Christi perfectè subditas fuisse, ut nec usum rationis ejus anteverterent, nec animum perturbarent; *Turbavit enim semetipsum*, Joan. 11. v. 33.

Quæstio igitur est, an Christus doloribus subditus fuerit ex sola dumtaxat sua

sua voluntate, an etiam ex necessaria naturæ quam assumpsit, conditione. Circa præsentem quæstionem errarunt nonnulli ex veteribus Hæreticis: Catholici verò, salva fide, variè sentiunt.

Ariani & Appollinaristæ eò dementiæ proruperunt, ut dicerent, etiam divinitatem ipsam passam fuisse. Cùm enim illi docerent, divinitatem animæ vel mentis vices ac locum in Christo supplere, consequenter eum doloris sensum in Christo divinitas experiebatur, quem experta fuisset anima, si adfuisset. Vide quæ initio de variis circa Incarnationem erroribus à nobis dicta sunt.

Post damnatum in Concilio Chalcedonensi anno 451. Eutychen, in duas præsertim sectas divisi sunt ejus discipuli, quarum una *Corrupticolarum*, altera *Incorrupticolarum* dicta fuit. Petrus Cnaphæus Antiochenus Episcopus, cùm anathema dixisset Concilio Chalcedonensi, ac Trisagio istam adjecisset clausulam, *Qui passus es pro nobis, miserere nobis;* Theopaschitarum errori ac sectæ nomen & ortum dedit; sic dicti, quòd existimarent divinitatem carni factam consubstantialem verè passam fuisse. Cùm verò Petrus Moggus Sedem Alexandrinam invasisset, & Chalcedonensi Synodo anathema dicere cunctaretur, scissi sunt ab eo Eutychiani hujus Urbis ac Regionis; inde *Acephali* dicti sunt, inter quos Severus Monachus Corrupticolarum, Julianus Halicarnensis Incorrupticolarum novam sectam peperit: quòd illi corruptibilem natura sua Christi carnem fuisse, utpotè veram carnem ac nostræ consubstantialem; hi verò incorruptibilem, utpotè unius jam cum Verbo naturæ, profiterentur.

Rem sic narrat Liberatus Breviar. c. 19. *Sub Timotheo de corruptibili & incorruptibili apud ipsam Ecclesiam quæstio mota est hoc modo. Requisivit quidam Monachus Severum, quid oporteret dicere corpus Domini nostri Jesu Christi, corruptibile, an incorruptibile. Ille respondit ei, sanctos Patres corruptibile illud dixisse. Hoc audientes quidam Alexandrinorum, cùm requisissent Julianum in alio loco sedentem, quid & ipse diceret de eadem quæstione; ille dixit SS. Patres contraria dicere. Horum itaque singuli statuere proprium responsum volentes, scripserunt libros adversùs alterutrum, qui venientes in multitudinem civitatis, Ecclesiam illam diviserunt; & alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari, verùm incorruptibilis assertores, Phantasiastas.* Hæc Liberatus. Phantasiastæ autem illi dicebantur, non quòd phantasticum dumtaxat & umbratile corpus Christo affingerent; sed quòd naturales in Christo affectiones, non veras, sed apparentes dumtaxat esse contenderent.

Tom. 5. Conc. p. 762. E.

Tota porrò hæc controversia, seposito errore Eutychis utramque naturam confundentis, nihil in fide periculi habere videtur, si intra istos limites concludatur: nempè an Christus corruptibilis fuerit, ac doloribus obnoxius, ex sola sua voluntate; an etiam ex necessitate naturæ simul & libera voluntate. Qui enim ex Veteribus dixere Christi carnem incorruptibilem, ii non negarunt Christum revera passum ac mortuum; sed hoc unum voluisse videntur, Christum non ex naturæ suæ necessitate, sed ex voluntate dumtaxat, doloribus, passioni ac morti subjectum fuisse.

Duplex igitur hic sententia est.

Prima eorum qui existimant, vi unionis hypostaticæ carnem Christi ex Spiritu sancto conceptam, natura sua corruptioni, doloribus cæterisque infirmita-

mitatibus obnoxiam non fuisse: quia, inquiunt, Christus carnem assumpsit, non qualis nostra est post peccatum, sed qualis Adami innocentis fuit, verè impassibilis & immortalis; ex peccato etenim orta est moriendi necessitas, *stipendium peccati, mors*. Christus autem non via ordinaria ex homine peccatore natus est; ergo natura sua immunis erat à necessitate patiendi & moriendi: passus tamen est ac mortuus, quia voluit, ac necessarium duxit ad opus nostræ redemptionis. Addunt, miraculo opus fuisse, ut naturalis ejus impassibilitas & immortalitas suspenderetur, ac locum daret doloribus, quibus affligi propter nos voluit, *Dolores nostros ipse portavit*. Eo ferè modo quo necesse fuit gloriam, qua ex visione Dei intuitiva perfusa erat anima Christi, quodammodo retineri ac suspendi, ne tota in corpus ejus difflueret. Laudantur hujus sententiæ patroni SS. Clemens Alexand. L.6. Stromatum, Leo Magnus in Dominicam primam Quadragesimæ, Maximus Hom.1. de Jejunio Quadrag. quidam Catholici apud Leontium L. 2. contra Eutychianos, Augustinus Tract. 31. 49. & 60. in Joan. Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis, parte 1. c.7. Philippus Abbas Bonæ Spei ex Ordine Præmonstratensi, in Epistolis de sententia Hilarii, qui quidem eò etiam procedit ut dicat, sola vi immunitatis à peccato, & firmæ corporis Christi constitutionis, absque ullo alio subsidio, potuisse Christum nec esurire, nec pati, nec mori; qua in re ab Hunaldo reprehensus fuit.

Secunda sententia contendit Christum, non tantùm ex voluntate, sed etiam ex necessitate naturæ quam assumpsit, doloribus subditum fuisse; quia nempè carnem assumpsit per omnia nostræ similem, absque peccato, & eam ipsam, quam liberaturus erat: sed caro hujuscemodi ipsa nativa sua conditione doloribus cæterisque humanis infirmitatibus subjacet. Ex hac parte stare videntur S. Augustinus L.2. de pecc. merit. c.29. Boetius de duabus naturis, Leontius L.2. S. Bernardus Serm.1. de Epiph. Joannes Præpositus contra Philippum Bonæ Spei Abbatem, de sententia Hilarii, & Hunaldus ab utroque illius controversiæ delectus arbiter.

CONCLUSIO.

Christus dolori, cæterisque communibus humanæ naturæ infirmitatibus obnoxius fuit; quamquam à nostris, tùm causa, tùm necessitate ac effectu, longè diversis.

Duæ sunt Conclusionis partes. Prima pars, tùm quoad corpus, tùm quoad animam Christi, facilè probatur ex Scripturis. Quantum ad corpus: Isaias c. 1. v.6. de Christo spiritu prophetico ait: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*. Et c.53. v.3. Christum *virum* appellat *dolorum*, *scientem infirmitatem*. Et v.4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*.

Hujus prophetiæ finem ac complementum Historia Evangelica demonstrat. Acerbissima scilicet tormenta passus est Christus, sive cùm flagellis cædebatur, sive cùm affigebatur cruci; ad quæ oculos convertens, vel ipsa compellente natura, dicebat Matth.26. v.39. *Pater si possibile est transeat à me*

calix.

calix iste. Hinc ex timore tam acerbi supplicii, sudor ille sanguinis quo totus in Olivarum horto perfusus fuit, Lucæ 22. v. 44. Passim in vitæ suæ mortalis cursu, varia humanæ infirmitatis signa & argumenta dedit. Matth. 4. v. 2. post jejunium quadraginta dierum & noctium, *esuriit*. Joan. 4. v. 6. *Fatigatus ex itinere, sedet ad fontem*. Lucæ 19. v. 41. *Flevit super Jerusalem*. Joan. 11. v. 33. & 35. *Infremuit spiritu, & lachrymatus est*. Sitit in cruce, ac tandem *inclinato capite tradidit spiritum*, Joan. 19. Meritò igitur Apostolus pronuntiat 2. Cor. 13. v. 4. *Crucifixus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*.

Quantùm verò ad animam Christi attinet, eos tristitiæ ac doloris affectus sensit, quos & ipsi homines etiam justi experiuntur, Marci 14. v. 33. *Cœpit pavere & tædere*. Matth. 26. v. 37. *Cœpit contristari & mæstus esse. Tristis est anima* mea usque ad *mortem*, ibidem. Quanta verò fuerit hujus doloris ac tristitiæ magnitudo, duo potissimùm demonstrant, tùm oratio qua Patrem rogat, ut si fieri potest, transeat à se calix iste; tùm sudor sanguinis, quem vis & acerbitas doloris ex venis expressit.

Istos porrò humanos tristitiæ ac doloris affectus expertus est Christus, non tantùm ex voluntate, sed etiam ex naturali carnis conditione, quam nostræ in omnibus absque peccato similem ac substantialem assumere voluit: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*. Hebr. 4. v. 15. *Non enim*, ait ibidem Apostolus, *habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*. Et cap. 2. v. 17. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari*. Ibid. v. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*. Eam scilicet carnem assumere voluit Christus, quam liberaturus erat, in qua & per quam redemptionis humanæ opus perficere ac consummare posset: illa porrò ex naturæ suæ necessitate doloribus ac morti subdita est. Non equidem carnem peccati assumpsit Christus agnus impollutus & innocens: non peccatum, non ignorantiàm, aut concupiscentiam; sed appendices seu alios omnes effectus carnis peccati ad opus redemptionis nostræ necessarios.

Superfluum foret hìc multa congerere SS. Patrum testimonia, quæ jam laudavimus, ubi de vera Christi humanitate, corpore vero ac solido, non phantastico nec umbratili: unus hìc sufficiat Tertullianus L. 3. contra Marcionem cap. 8. *Sic*, (in opinione Marcionis) inquit, *nec passiones Christi ejus fidem merebuntur; nihil enim passus est, qui non verè passus est: verè autem pati phantasma non potest. Eversum est igitur totum Dei opus: totum Christiani nominis & pondus & fructus, mors Christi negatur*. *Pagina 401. D.*

Accedit & ratio ducta ex legibus unionis animæ & corporis, qua fit ut ex certis animæ cogitationibus seu perceptionibus, certa quædam in corpore resultet spirituum & sanguinis commotio; ac vicissim ex commotione corporis, certa quædam excitetur in anima perceptio. Mutuum istud commercium impressionis animę in corpus, & corporis in animam, potuisset Adamus innocens ad nutum impedire ac suspendere; similiter & id potuisset Christus; at noluit, quia naturæ, quam assumpsit, legibus ea in parte seipsum subjicere voluit.

Secunda verò Conclusionis pars aperta est. Triplici maximè ex capite distant infirmitates quas nos patimur, ab iis quas Christus assumpsit.

I. Ne-

I. Necessitate. Neque enim illas excutere ad libitum possumus; è contra Christus, qui, ut ait Isaias c.53.v.7. *Oblatus est quia ipse voluit*: Et Joan. 10. v.17. Christus ipse dicit: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo iterùm sumendi eam*. Ergo, ait S.Augustinus in Psal.93. *tristis fuit Christus. Prorsus tristis fuit, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem*. Ratio manifesta est: quia caro Christi non fuit, sicut nostra, caro peccati; quapropter non ineluctabili necessitate infirmitates illas contraxit, quæ ex peccato veniunt: *Stipendium enim peccati, mors*: eas autem liberè in se suscepit, quia *decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*, ut loquitur Apostolus Hebr.2. v.10.

To.4.p. 1024.F.

II. Causis. Tùm quia necessitas subjacendi naturæ infirmitatibus, non fuit in Christo, perinde ac in nobis, ex peccato, cujus illæ pœnæ sunt: tùm quia Christus eas propter se non assumpsit, sed nostri causa, quas in bonum ac commodum nostrum divinæ gratiæ auxilio convertere possumus.

III. Effectibus. Humanæ scilicet affectiones nobis ut plurimùm dominantur, indeliberatæ sunt, rationis usum antevertunt ac sæpissimè perturbant, & à sede sua dejiciunt; inde impatientis vel dejecti & desperantis animi commotiones: in Christo verò ordinatæ erant, deliberatæ, placidæ, quas ad nutum ille regebat ac moderabatur. Illis autem defectibus triplici titulo Christus caruit, sanctitatis & innocentiæ, beatitudinis qua fruebatur, & unionis hypostaticæ cum Verbo divino. Nec te moveat quòd Joan.12.v.27. fateatur Christus *animam suam turbatam esse*; & c.13.v.21. dicatur *turbatus spiritu*. Namque commotio illa, quæ non ex desperatione animi, (horresco referens) sed ex timore dumtaxat mortis oriebatur, indeliberata non erat, nec involuntaria, quam in seipso volens ac lubens Christus excitavit. Joan.11.v.33. *Turbavit seipsum*: nempè ut se hominem verum demonstraret, ac nobis solatio & exemplo foret in doloribus ac infirmitatibus hujus vitæ constanti animo perferendis. *Qui enim*, ait S.Augustinus in Psal.49. *suscepit similitudinem peccati, cur non susciperet similitudinem vocis peccati?*

To.4.p. 445.C.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Necessitas subjacendi humanis infirmitatibus ex peccato orta est; si enim non peccasset Adamus, mortuus non fuisset, *Stipendia peccati mors*. Rom.6. v. 23. Atqui nullum fuit, nec esse potuit in Christo peccatum, *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*; Hebr.4. v.15. Ergo non fuit in Christo necessitas subjacendi humanis infirmitatibus, ex naturæ conditione, sed ex libera ipsius voluntate.

Resp. dist. maj. Necessitas subjacendi humanis infirmitatibus ex peccato orta est in nobis, ac post lapsum Adami, qui potuisset non mori, concedo: in Christo, nego. Christus etenim qui naturam per peccatum sauciatam liberaturus venit, eam ipsam assumpsit, qualis fuit post peccatum, nempè infirmitatibus ac doloribus obnoxiam. Sunt quidem in homine, infirmitates proprii sui peccati effectus ac pœnæ; in Christo verò effectus sunt ac pœnæ alieni peccati, pro quo se vadem ac sponsorem dedit.

Insta-

Instabis 1. Sapientiæ 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*. Et Ps. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Ergo Christus ex necessitate naturæ corruptibilis non fuit.

Resp. nego conseq. Ad primum dico, corruptionem, de qua loquitur Sapiens, ex peccato esse, quæ tota homini peccatori incumbit; & animam aggravat, qualem profectò in Christo non fuisse, patet ex secunda Conclusionis nostræ parte. Ad secundum: Corruptio illa, cui tradita non fuit caro Christi, corruptio est putredinis, non mortis: verè quippè corpus Christi, quamdiu jacuit in sepulchro, corruptionem non sensit.

Cùm verò ex SS. Patribus nonnulli sentire videntur, incorruptibilem fuisse carnem Christi, ii excludunt dumtaxat, ut probat Leontius L. 2. de Sectis, vel corruptionem, quæ ex peccato sequatur; vel eam quæ putredinis sit, non verò mortis aut passionis; vel eam quæ Christo, aut dum viveret, aut etiam à mortuis redivivo accidisset.

Instabis 2. Anima Christi statim à conceptione beata fuit, intuitiva Dei visione donata: quomodo autem anima beata doloribus obnoxia esse potuit? Nonne id implicare videtur?

Resp. vix istud à nobis intelligi ac exponi posse. Utrumque tamen verum est; nec aliter implicatus ille nodus dissolvi potest, quàm ad miraculum recurrendo, quo Deus impedit ne animæ Christi felicitas & gloria in corpus ejus afflueret.

Objicies 2. S. Clementem Alexandrinum, Lib. 6. Stromatum, ubi sic loquitur: *In Salvatore corpus, ut corpus, necessaria postulare ministeria ut permaneat, fuerit ridiculum. Comedebat enim, non propter corpus quod sancta virtute continebatur; sed ne eis qui unà cum eo versabantur, in mentem veniret de eo aliter sentire, sicut certè posteà quidam existimarunt eum apparuisse visione & phantasmate. Ipse autem, ut semel dicam, passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor.* Pagina 468. B.

Idem cum S. Clemente docuisse videtur S. Maximus Hom. 1. de Jejunio Quadragesimæ. *Ignorabat*, inquit, *diabolus, quia quòd Christus nutrimenta perferebat infantiæ, quòdque esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ, sed cœlestis gratiæ sacramentum.* Biblioth. PP. T. 6. pag. 14. F.

Addunt & S. Augustinum Tract. 49. in Joan. n. 18. cujus hæc verba sunt: *Turbaris tu nolens; turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit; dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit; contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit.... In illius potestate erat, sic vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam*, quibus verbis innuere videtur S. Doctor, Christum ex sola voluntate, non ex naturæ necessitate infirmitatibus humanis subjectum fuisse. To 3. p. 2. pag. 626. C.

Et Tract. 60. *Transfiguravit*, inquit, *in se affectum infirmitatis nostræ, compatiens nobis affectu animæ suæ. Proinde quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, non ei timeamus quasi deficiat: non perit, sed nos quærit. Nos, inquam, nos omninò sic quærit: nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando turbamur, non desperatione pereamus. Quando turbatur qui non turbaretur nisi volens, eum consolatur qui turbatur & nolens.* Ibid. p. 665. A.

Resp. 1. S. Clementem Alexandrinum paulò liberiùs ultra metam stri-

ctioris Theologiæ processisse, ex cujus verbis suspicari quis posset, Christum putative tantùm ac fictè, non verè ac physicè humanas infirmitates expertum fuisse.

Resp. 2. SS. Maximi, Augustini & aliorum nonnullorum sensum esse, Christum non ineluctabili necessitate, quam à se amoliri & avertere non posset, infirmitatibus nostris subjectum fuisse, sed necessitate quam sibi volens imposuit, dum carnem spontè ac liberè sibi conjunxit.

Objicies 3. auctoritatem S. Hilarii, qui omnem prorsus à Christo doloris sensum removere videtur Libro 10. de Trinit. n. 23. his verbis. *Homo*
De mẽte S. Hilarii. *Jesus Christus unigenitus Deus, per carnem & Verbum ut hominis filius, ita & Dei Filius, hominem verum secundùm similitudinem nostri hominis, non deficiens à se Deo, sumpsit: in quo, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus de-*
Pagina 1050. C. *scenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent.* Istud verò S. Doctor variis confirmat & exemplis & rationibus.

Ibid. D. I. Exemplis. *Ut telum aliquod*, ait ibid. *aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret, sed naturam suam in hæc passo illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aerem vulnerari, quamvis naturæ teli sit & vulnerare, & compungere, & forare.* In mente igitur S Hilarii, non magis passiones in Christo veri doloris sensum excitarunt, quàm excitet telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans.

Eodem tendit quod ibidem sequitur, nempè corpus Christi naturam nostri doloris non habere, sicut corpus nostrum hujus naturæ non est, ut super aquas gradiatur, aut aliud corpus pervadat ac penetret. *Habuerit sanè,*
Pagina 1051. A. ait, *illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, & super fluctus eat, & non degravetur ingressu, neque aquæ insistentibus vestigiis cedant, penetret etiam solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur*, quas dotes corpus Christi habuisse, ait ibidem S. Doctor. Tam ergo, ex S. Hilario, repugnat Christum sensum doloris percipere, quàm repugnat corpus nostrum undas calcare, super fluctus ambulare, & aliud corpus solidum penetrare.

Ibid. B. II. Ex mira conceptione Christi impassibilem ejus naturam colligit S. Hilarius. *Conceptam*, inquit, *ex spiritu carnem judicamus? Caro illa, id est, panis ille de Cœlis est, & homo ille de Deo est: habens ad patiendum quidem corpus, & pas-*
Pagina 1053. B. *sus est; sed naturam non habens ad dolendum.* Et n. 25. *Habuit corpus, sed originis suæ proprium, neque ex vitiis humanæ conceptionis existens, sed in formam corporis nostri virtutis suæ potestate subsistens.* Quasi diceret S. Doctor, Cùm Christus non ex carne peccati natus sit, sed ex Spiritus sancti virtute, non debuit subjacere iis infirmitatibus quæ ex peccato ducunt originem.

III. Ibidem n. 24. *Neque enim tùm, cùm sitivit, aut esuriit, aut flevit,*
Ibid. A. *bibisse Dominus, aut manducasse, aut doluisse monstratus est; sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est.* Verè igitur, nec sitivit Christus, nec esuriit, nec flevit, nec doluit; sed tantùm specie tenus, & ad solam demonstrandam corporis veritatem.

P. 1058. C. D. IV. Ibid. n. 35. *Non ambiguum est*, inquit, *in natura ejus corporis infirmita-*

mitatem naturæ corporeæ non fuiße, cui in virtute naturæ fuerit omnem corporum depellere infirmitatem; & passionem illam, licèt illata corpori sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse: quia quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen in vitiosæ infirmitatis nostræ esset corpore, qui non eßet in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit.

V. Ibid. n.47. *Fallitur humanæ æstimationis opinio, putans hunc dolere quod patitur .... Et pro nobis dolet, & non doloris nostri dolet sensu; quia & habitu ut homo repertus, habens in se doloris corpus, sed non habens naturam dolendi, dum & ut hominis habitus est, & origo non hominis est, nato eo de conceptione Spiritus sancti.* Pagina 1066.B

VI. Qui Apostolos ad mortem fortiter subeundam hortatus est, an ille verbis quàm factis valentior mortem timuisset? *Interrogo*, ait S.Hilarius n. 10. *an ratione subsistat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis terrorem mortis propellens, ad gloriam eos sit martyrii adhortatus.* Pagina 1041.B

VII. Si Apostoli, si Martyres immanibus suppliciis cruciati nihil doloris sentientes, hymnos Deo mediis in cruciatibus alacres concinebant, an Christus, ipsamet fortitudo, mortem timere potuisset? *Quòd si illi*, ait n. 45. *fidei calore, & beati martyrii gloria timere nesciunt quæ timentur; Christus.....per crucem mansurus Deus, & mundum judicaturus....tristis metu crucis eßet?* Pagina 1065.A

VIII. An ille mortem timuit, qui volens mortuus est, & qui militibus tantum incussit metum, ut una voce territi ac prostrati fuerint? *Anne metuit*, ait n. 27. *qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit? Et in corpore eius infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt?* Pagina 1055.B

IX. Qui pro Christo moriuntur, æternam consequuntur vitam: illis itaque mors, vita est. An porrò Christus mortem reformidasset, quæ vitæ principium est? *Cùm enim*, ait Hilarius n. 10. *pro eo mori vita sit, quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit?* Pagina 1041.B C.

X. Christus ad mortem tanquam ad triumphum properavit: quomodo igitur illam timuisset? *Tu verò*, inquit n. 33. *quo sensu rationis intelligis Dominum nostrum Jesum Christum ad quod festinat, timere; & consternantem fortes, infirmitate trepidare; & vulnera non permittentem dolori, vulneratum dolere?* Pagina 1057.C

Denique ista Christi verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, sic interpretatur S. Doctor, ut mors tristitiæ causa non sit, sed finis, ideoque votis accersenda, non metu deprecanda. *Non ejusdem*, inquit n.36. *significationis est, tristem esse propter mortem, & tristem esse usque ad mortem: quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors causa tristitiæ est; ubi verò tristitia usque ad mortem est, mors jam tristitiæ non est causa, sed finis.* Pagina 1059.A

En eorum synopsis, quæ ex Hilario possunt opponi, ut à Christo removeatur omnis dolendi ac patiendi necessitas. Eam ob rem erroris accusatus primùm fuit Hilarius à Claudiano Mamerto L. 2. de statu animæ c. 9. tùm à Berengario apud Lantfrancum, Epist. 50. postea à Joanne quodam Præposito, scriptis ex professo eam in rem ad Philippum Bonæ Spei, Ordinis Præmonstratensium Abbatem, Litteris, & ab aliis nonnullis.

Resp. 1. verba S. Hilarii ex scopo ipsius, seu ex instituta adversùs Arianos, quos confutabat, controversia commodè interpretanda esse. Nempè Ariani saltem nonnulli, ut & Apollinaristæ, divinitatem ipsam in Christo doloribus cæterisque nostris infirmitatibus subjectam fuisse asseverabant; cujus quidem impietatis primus auctor non fuit Apollinaris, qui anno dumtaxat 360. hæreticus audiri cœpit: jam autem anno 351. in Concilio Sirmiensi Can. 11. & 12. impietas illa notata & proscripta fuerat. Quidquid sit, certum est S. Hilarium eos sibi confutandos proponere, qui Deo ipsi dolores & infirmitates humanas inferunt. In Matth. scribens S. Doctor, statim ab initio cap. 31. declarat sibi cum iis rem esse, quorum ea opi-
Pagina 741.D. nio est, *quòd cadere propter se mæstitudo in Deum potuerit, eumque futuræ passionis metus fregerit, quia dixerit, Tristis est &c. quique volunt ex infirmitate corporis ærumnam spiritui adhærere*. Et L. 10. de Trinit. n. 9. *Volunt*,
P. 1041. B.C. inquit, *plerique eorum*, (Arianorum) *non in natura eum impassibilis Dei fuisse: ut qui timuit & doluit, non fuerit in ea potestatis securitate quæ non timet, vel in ea spiritus incorruptione quæ non dolet; sed inferioris à Deo Patre naturæ, & humanæ passionis trepidaverit metu, & ad corporalis pene congemuerit atrocitatem*. Eodem prorsus spectant, quæ Phæbadius Agennensis Hilario æqualis, de Epistola ab Oriente & Occidente missa dicit.
Bibliot. PP. T. 4. pag. 301.A. *Unus vestrum asserit, carne & spiritu Christi coagulatis per sanguinem Mariæ, & in unum corpus redactis, passibilem Deum factum*. Hic igitur Hilarii unus scopus est, ut & à divinitate omnem excludat doloris ac tristitiæ sensum, & ostendat Christum à vera & summa deitate idcircò non excidere, quòd dolorem expertus fuerit; quia dolor ille non in divinam, sed humanam dumtaxat naturam cecidit. *Ac si*, ait S. Hilarius cap. 31. in Matth.
Pagina 741.E. n. 2. *virtutem illam incorruptæ substantiæ, imbecillitatis suæ sorte assumptio carnis infecerit, & æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida; jam & corruptioni subdita erit*. Tùm Deum corruptionis aut demutationis prorsus expertem esse ostendit.

Displicet nonnullis hæc responsio, duplici potissimùm de causa, tùm quia ex ipso contextu clarum est, S. Doctorem etiam de ipso loqui Christi corpore. *Habuerit sanè*, inquit, *illud Domini corpus doloris nostri natu-*
P. 1051. A. *ram &c.* Tùm quia idem omninò est, in quem S. Doctor asserit impetum quidem passionum, non autem dolorem ipsum irruisse; quemadmodum nullus doloris sensus excitatur, cùm aqua, vel ignis, vel aer aliquo telo pungitur: at corpus est, non autem divinitas, in quod impetus passionum irruit; ergo de corpore dumtaxat, non de divinitate loquitur S. Hilarius; atque contendit in illud impetum quidem passionum irruere, non ipsum dolorem.

Verùm ista non obstant, atque utrumque rectè conciliari potest, nempè S. Hilarium & de divina Christi natura, & de ipsius corpore simul agere; ac velle, ex veris passionibus corporis Christi, non magis commotam & doloris sensu affectam fuisse divinitatem, quàm si *telum aliquod aquam perforet, aut ignem compungat, aut aera verberet*, atque ita dum à divinitate dolorem removet, eum corpori asserit ac vendicat. Profitetur scilicet Hilarius, se Libro 10. cum Hæreticis disputaturum, qui quæ dispensationis dicta gestaque sunt,

in

in Deum cadere volunt: atqui Haretici (Ariani) cum quibus ei disceptatio est, rapiunt quidquid de Christi timore, tristitia, dolore scriptum est, ut eum infirmum Deum (adeoque Patri natura inferiorem) ostendant. Concedit igitur S. Doctor, ea omnia, quæ in Christi timore, tristitia, dolore scripta sunt, dispensationis dicta gestaque esse, hoc est, in hominem à Verbo assumptum cadere. Et verò multis in locis, à quibus referendis brevitatis causa supersedemus, agnoscit S. Doctor, Christum verè doloris sensum expertum fuisse, ac verè passum. *Passus est*, ait L.10. de Trinit. n.67. *unigenitus Deus, quæ homines pati possunt*. Et n.62. dixerat: *Habes in conquerente ad mortem se relictum esse, quia homo est: habes eum, qui moritur, profitentem se in Paradiso regnare, quia Deus est*. *Pagina* 1078 B

Sic igitur ad laudatum in Objectione Hilarii textum cum distinctione respondeo. Doloris sensum à Christo removet S. Doctor, à Christo, quatenus Deus est, concedo: à Christo, quatenus homo est, nego. Vel iterùm distinguo: à Christo etiam homine dolorem removet, qualem nos mortales experimur, qui nempè à peccato est, impotens, ineluctabilis, indeliberatus; qui mentem perturbat, & animum à sede sua dejicit, concedo: dolorem omnem simpliciter & absolutè, nego. Uno verbo, S. Doctor ab humana Christi natura eos omnes defectus ac imperfectiones excludit, quæ humanis nostris doloribus ac infirmitatibus annexæ sunt, sicut paulò antè ad secundam præsentis Conclusionis partem non semel exposuimus. P.1075. D.

His adde, quòd in stylo S.Hilarii, passionis nomine, inordinata commotionis ac perturbationis affectio intelligitur, ut patet ex Libro de Synodis n.49. ubi exponit Canonem duodecimum Concilii Sirmiensis. Certum autem est, nullam in Christo fuisse hujuscemodi passionem inordinatam, plenam commotionis ac perturbationis. *Pagina* 1180.F.

Egregiè idem S.Hilarius eodem Libro 10. de Trinit. n.67. humana cum divinis componens ac quasi librans, ait: *Natus ex Virgine, Christus est: sed*, secundùm Scripturas, *conceptus de Spiritu sancto est. Flevit Christus: sed* secundùm Scripturas, *ut in eo quòd flevit gratulatus sit. Et esurivit Christus: sed* secundùm Scripturas, *sine cibo in non habentem fructus arborem Deus operatus est. Passus Christus est, sed* secundùm Scripturas, *tunc à dextris virtutis sessurus est. Derelinqui se ad mortem questus est: sed* secundùm Scripturas, *tunc confessorem suum secum in regno Paradisi recepit. Mortuus est: sed* secundùm Scripturas, *resurgens à dextris Domini Dominus assedit. In hujus igitur sacramenti fide vita est: calumniam confessio ista non recipit*. P.1078. D.

Ex his porrò omnibus facile est dissolvere singula quæ ex textu S.Hilarii momenta priùs excerpta sunt, eaque aliquo, ex mox dictis, sensu interpretari.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De modo quo humanitas Christi miracula operabatur.

OBserva 1. duobus modis humanitatem Christi dici posse miracula operari, physicè, vel moraliter: physicè per verum, realem ac physicum influxum: moraliter verò per orationem, consilium, vel imperium.

Causalitas autem moralis vera est & realis, cui effectus aliquando magis imputatur, quàm causæ physicæ: v.g. mors hominis rei qui suspenditur magis imputatur crimini tanquam causæ morali, quàm carnifici.

Observa 2. humanitatem Christi esse instrumentum Verbi intimè ipsi conjunctum. In omni autem instrumento duplex distinguenda operatio: una propria instrumenti, quæ consistit in ejus dispositione apta ad agendum, quales sunt v.g. acuti dentes in serra ad secandum lignum; alia verò propria agentis principalis, & est motus impressus instrumento, serræ v.g. ad lignum dividendum. Ita pariter in humanitate Christi sanitatem ex miraculo restituentis, aliquid occurrit humanitatis proprium, physicus nempè contactus; & aliquid proprium divinitatis, restitutio nimirum sanitatis ex propria sua virtute.

Observa 3. inter miracula quæ operatus est Christus, alia esse quæ physico contactu in subjecta præsentia operatus est, qualis fuit v.g. restitutio visus cœco nato, per contactum manus oculos luto linientis; & excitatio puellæ à mortuis, apprehendendo & tenendo manum ejus: alia verò quæ in subjecta distantia, nullo adhibito physico contactu, peregit, ut quando filium Centurionis absentem sanavit. His positis

CONCLUSIO.

Probabile est humanitatem Christi physicè ad ea miracula concurrisse, quæ contactu, aut actione physica in subjecta præsentia, moraliter verò ad illa quæ in subjecta distantia peracta fuerunt.

Prima pars probatur. 1. Quia modus ille physicus operandi miracula in subjecta præsentia, magis accommodatus videtur modò loquendi tùm Scripturæ, tùm SS. Patrum. Lucæ 6. v. 19. dicitur: *Omnis turba quærebat eum tangere*, (Christum) *quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Et cap. 8. occasione mulieris quæ à fluxu sanguinis, tacta fimbria vestimentorum Christi, sanata est, v. 46. Christus ait: *Quis me tetigit? Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse*. His in locis virtus sanandi morbos, contactui, & quidem physico, humanitatis Christi tribuitur.

Sancti Patres physicum illum agendi modum innuere videntur.

S. Hilarius cap. 9. in Matth. loquens de sanitate reddita mulieri fluxu sanguinis laboranti, *Est autem*, inquit, *in simplici intelligentia, magnæ virtutis Dominicæ admiratio, cùm potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & usque in vestium fimbrias operatio divina procederet*. At si humanitas Christi moraliter tantùm, Deum movendo & excitando, miraculum illud perfecisset, non videretur esse tantæ admirationi locus. (P. 469. E. F.)

S. Joannes Chrysostomus Hom. 56. in Joan. agens de restituto lumine cæco nato, profitetur rem adeo stupendam sibi videri, ut modum explicare non possit. (Edit. Comel. pa. 276. D.)

Euthymius in cap. 7. S. Lucæ, hunc physicum in humanitate Christi agendi modum exemplo satis apto exponit. *Quemadmodum*, inquit, *ferrum quod in igne aliquo tempore permansit, habet ignis operationes; ita quoque sancta Christi caro divinitati unita, quæ divinitatis sunt, operabatur*.

S. Joan.

S. Joan. Damasc. L. 3. De fide c. 9. *Caro vicissim*, inquit, *cum operante Verbi divinitate communicabat, tùm quia per corpus, veluti per instrumentum quoddam, divinas actiones efficiebat*. Inde sic nostra confirmatur Conclusio. Humanitas in Christo est instrumentum divinitatis, eo ferè modo quo corpus hominis est instrumentum animæ ad operationes vitales exercendas: atqui corpus physicè ac efficienter concurrit ad operationes vitales exercendas; ergo &c. Pagina 243. C.

Secunda pars conclusionis inde probatur, quòd intelligi vix potest ac exponi, quomodo corpus physicè agere possit in distans sine ullo substantiæ aut virtutis diffusæ physico contactu: moraliter igitur, hoc est, impetratione seu oratione, humanitas Christi miracula operabatur in subjecta quæ dissita erant & absentia. Sicut enim homo extra se, jussu & imperio, moraliter tantùm non physicè agit; ita miracula quæ Christus virtute divinitatis jussu ac imperio operabatur, humanitati tanquam causæ duntaxat morali tribuenda sunt.

QUÆSTIO UNDECIMA.

De anima Christi, & pertinentibus ad illam.

QUæ de natura Christi differenda nobis sunt, ad quatuor generatim capita revocantur.

I. Ad veritatem animæ Christi: an reipsa humanam animam Verbum assumpserit; contra Apollinaristas.

2. Ad perfectionem animæ Christi, quantùm ad intellectum seu scientiam: fuit-ne in Christo rerum omnium perfecta scientia, & quotuplex?

III. Ad perfectionem animæ Christi, quantùm ad voluntatem, seu gratiam, virtutes, dona Spiritus sancti &c.

IV. Ad perfectionem Christi, quantùm ad libertatem: fuit-ne Christus verè liber, & ad quas actiones?

ARTICULUS I.

An Verbum divinum veram animam & mentem humanam assumpserit.

ARiani Christum & divinitate & anima spoliarunt.

Apollinaristæ, duce Apollinari Laodiceno, primò animam, tùm mentem Christo detraxerunt, Verbo divino vices & locum, tùm animæ, tùm mentis supplente; unde consequens est, quod ipsi fatebantur, Verbum ex percusso ac vulnerato Christi corpore, eumdem doloris sensum percepisse, quem anima ipsa percepisset. Vide quæ initio hujus Tractatus pagina 20. & 21. de illo errore Arianorum & Apollinaristarum dicta sunt. Adversùs illos fit

CONCLUSIO.

Verbum divinum animam & mentem humanam sibi assumpsit.

Quaduplex argumentum nobis suppeditat Scriptura in confirmationem catholici hujus dogmatis: ex ipsa nempè animæ substantia; ex affectionibus ejus & proprietatibus; demum ex ipsa corporis morte.

I. Veram in Christo animam declarant hæc Scripturæ verba. Joan. 10. v. 15. *Ego pono animam meam pro ovibus meis*. Et v. 17. *Ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, & iterùm sumendi eam*. Anima porrò illa, quam Christus ponit pro ovibus suis, quam nemo ab illo invito tollere, quam semel dimissam sumere iterùm potest, haud dubiè non est ipsamet divinitas, quam Christus nusquam dimisit; ergo vera est quoad substantiam anima humana, mente ac ratione prædita.

II. Scriptura animæ humanæ veras affectiones (detractis omnibus imperperfectionibus quæ nobis adhæresc unt) Christo tribuit; ergo & veram animam. Marci 14. v. 33. *Cœpit pavere & tædere*. Matth. 26. v. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Lucæ 22. v. 15. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*. Et cap. 2. v. 52. *Jesus proficiebat ætate & sapientia*. Denique Hebr. 4. v. 15. Christus *tentatus* dicitur *per omnia pro similitudine absque peccato*. Istas porrò affectiones tristitiæ, desiderii, doloris, in divinitatem ipsam cadere, nemo nisi projectæ impietatis & insaniæ asseveret; ergo in animam ipsam cadunt humanam. *Caro enim*, ait S. Leo Serm. 8. de jejunio, *sine anima nihil desiderat, & inde accipit sensus, unde sumit motus*.

To. 1. p. 138. c. 1.

III. Facultates quæ humanæ animæ propriæ sunt, intellectum scilicet ac voluntatem, Christo Scripturæ tribuunt. Isaiæ 11. v. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii*. Lucæ 2. v. 52. *Proficiebat ætate & sapientia*. Coloss. 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, quæ certè ad intellectum, seu ad mentem pertinere, nemo est qui facilè non intelligat. Jam verò humanam in Christo fuisse voluntatem suprà jam demonstravimus. Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Joan. 6. v. 38. *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me*.

IV. Mortuum fuisse Christum, quis inficiari potest? Joan. 19. v. 30. *Inclinato capite tradidit spiritum*. Quem? Divinitatis? non certè: hæc quippè seu corpus, seu animam etiam in triduo mortis non dereliquit, ex dictis antea; ergo spiritus ille quem Christus tradidit, anima ipsa est spiritalis: mors etenim in illa separatione animæ à corpore posita est.

Communem hanc Ecclesiæ fidem ante Apollinarem propugnaverant unanimi suffragio SS. Patres: S. Justinus Apol. Ad Senatum, in fine; Tertull. L. de carne Christi c. 10. & L. de resurrectione carnis c. 34. Origenes L. 6. contra Celsum. Quamobrem cùm Apollinaris caput extulit, ad rei novitatem obstupuit Ecclesia, atque hæreticum simul & hæresim compressit. In Concilio Alexandrino, cui præerat S. Athanasius, Epistola Synodica hæc prola-

ta

ta definitio est: *Non corpori dumtaxat, sed & animæ quoque nostræ per ipsum Verbum salus est conciliata.* Et Synodus œcumenica II. in Epistola Synodica ad Damasum, & alios in Romana Synodo congregatos, ait *se nec animæ aut mentis expertem, nec imperfectam carnis œconomiam admittere, verùm nosse se perfectum ante sæcula Dei Verbum, & perfectum hominem in novissimis diebus propter nostram salutem fuisse.* Et in Synodo Romana contra Macedonianos & Apollinaristas convocata, anathema dicitur iis, qui vice animæ rationalis Verbum fuisse censent assumptæ carni. Tom. 2. Conc. p. 816. D. Ibid. p. 254. C. D. Ibid. p. 900. D.

Istud catholicum dogma tùm auctoritate sua, tùm benè multis rationum momentis confirmant ac muniunt SS. Patres. 1. Quia Christus fuit homo perfectus, & nobis per omnia similis absque peccato: at sine anima vel mente perfectus non fuisset; sine anima non vivit homo, sine mente non intelligit, nec ratiocinatur, sed jumentis insipientibus similis est. Ita S. Augustinus Epist. 187. alias 57. ad Dardan. num. 4. *Quæro*, inquit, *quemadmodum accipias hominem Christum. Non utique, sicut quidam Hæretici Verbum Dei & carnem, hoc est sine anima humana, ut Verbum esset carni pro anima; vel Verbum Dei & animam & carnem, sed sine mente humana, ut Verbum Dei esset animæ pro mente humana . . . . . . profectò cùm dicis hominem perfectum, totam illic naturam humanam vis intelligi. Non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit.* 2. Christus totum assumpsit quod sanavit: sed animam, quam mali labes præcipuè infecerat, sanavit; hanc ergo assumpsit. Ita S. Gr. Nazianz. Ep. 1. ad Cledonium. *Si quis*, inquit, *in hominem mente carentem sperat, amens profectò est, nec dignus, cui omni ex parte salus afferatur: nam quod assumptum non est, curationis est expers.* 3. Verbum assumpsit carnem anima mediante, ut antea ostendimus; ergo est in Christo vera anima humana. 4. Quia variæ affectiones, quæ Christo tribuuntur, dolor, tristitia, mors, descensus ad inferos, in solam animam cadere possunt, non in divinitatem. Ita S. Athanasius L. de Incarnatione, & L. de salutari adventu Christi. 5. Quia beneficia non tribuuntur corpori, nisi animæ interventu; ergo Verbum carnem non nobilitavit, nisi anima mediante. Ita Petrus Venerabilis L. 2. Epist. 1. 6. Quia absurdum foret, assumptum à Verbo id quod in nobis deterius est, nempe corpus, relicta nobiliori parte, anima nimirum. Ita S. Augustinus L. de agone Christiano c. 19. *Si execrandi sunt illi*, inquit, *qui eum negant humanum corpus habuisse, quod est infimum in homine; miror quòd isti non erubescant qui hoc negant eum habuisse quod est optimum in homine.* Denique, ut arguit S. Fulgentius L. 1. ad Trasl. c. 14. nullam Apollinaristæ causam & rationem proferre possunt, cur Christus animam humanam assumere dedignatus fuerit. An quòd à Deo facta non sit? sed Deus omnium est conditor. An quòd peccato vitiata non fuerit; sed imò potiùs graviùs illa vulnerata est, quàm corpus; atque meriti vel demeriti illa capax est. An quòd sit carne vilior? imò longè præstantior, quæ carni vitam impertitur. An quòd Christus animam sauciatam curare non potuerit? sed cur non potuisset eam curare, sicut corpus curavit &c.? T. 2. p. 699. A. T. 1. p. 740. B. T. 6. p. 254. D. P. 81.

Tractant hìc Theologi de descensu animæ Christi ad inferos.

Utrùm

Utrùm anima Christi post mortem ad inferos descenderit.

Lutherani & Calvinistæ hìc tùm à seinvicem, tùm à nobis dissident. Non una est etiam inter Calvinistas ratio exponendi descensum animæ Christi ad inferos: alii volunt reipsa animam Christi descendisse in locum damnatorum, ut istorum pœnas ferret; alii verò negant.

Localem illum descensum variè interpretantur. Nonnulli cum à sepultura non distinguunt: alii ad cruciatus damnatorum, quos Christum, ut plenè pro nobis satisfaceret, sustinere necesse fuit; cruciatus autem illos nihil aliud esse volunt, præter anxietatem ac terrorem conscientiæ, quem expertus est Christus, ajunt, cùm se à Patre derelictum vidit, & exclamavit, *Deus*
Matth. 27. v. 46. *meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Alii verò descensum illum explicant de suprema Christi exinanitione ac humiliatione, tùm ratione corporis in sepulchro detenti, tùm ratione animæ, propter dolores ac cruciatus quos experta est decursu Passionis suæ, sive in Olivarum horto, sive in Prætorio, sive in Cruce.

Lutherani verò asserunt Christi animam non tantùm in Limbum, ut vulgò dicitur, sed etiam in locum damnatorum descendisse, ut ibi victoriam suam ac triumphum ostentaret.

Errandi occasionem arripuisse videntur Novatores, ex varia, qua solet usurpari, vocis *inferni*, significatione. Aliquando enim sumitur pro sepulchro: Psal. 48. v. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt, & mors depascet eos.* Unde descendere in infernum, idem aliquando significat, ac sepeliri, esse in sepulchro. Gen. 42. v. 38. *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Et c. 37. v. 35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Aliquando usurpatur pro loco damnatorum: Lucæ 16. v. 23. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Hoc sensu, descendere in infernum, idem est ac descendere in locum damnatorum. Num. 16. v. 33. de Chore, Dathan & Abiron dicitur: *Descenderunt vivi in infernum operti humo.* Aliquando pro acerbis ac maximis doloribus ac cruciatibus sumitur: Psal. 17. v. 6. *Dolores inferni circumdederunt me.* Et Psal. 114. v. 3. *Pericula inferni invenerunt me.* Hoc sensu descendere in infernum dicuntur, qui diris cruciantur doloribus. Lib. 1. Reg. cap. 2. v. 6. *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos, & reducit.* Denique usurpatur pro extrema humiliatione: Isaiæ 14. v. 15. *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Quo sensu Matth. 11. v. 3. dicitur: *Capharnaum, numquid usque in Cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes.*

Orthodoxi omnes communi suffragio hìc nomine *inferni* intelligunt inferiores ac profundiores terræ partes, quas Limbum vocamus, ad quas descendit anima Christi post mortem, ut inde animas Patriarcharum, Prophetarum, & aliorum Sanctorum veteris Testamenti, *expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei*, erueret ac liberaret.

CON-

CONCLUSIO.

Anima Christi verè in infernum descendit, hoc est in inferiores ac profundiores terræ partes, ut inde Sanctos veteris Testamenti erueret ac liberaret.

Probatur 1. Quia descensus ille Christi ad inferos prænuntiatus est in veteri Testamento, ac in novo adimpletus. S. Justinus Dial. cum Tryphone, conqueritur à Judæis ex prophetia Jeremiæ deleta fuisse verba quibus descensus Christi ad inferos exprimebatur. *Ex Jeremiæ similiter dictis*, ait, *ista resecuerunt: Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israele, qui obdormierunt in terra aggeris; & descendit ad eos, ut evangelisaret, & læto eis significaret nuntio salutare suum.* P. 298. B.

Ecclesiastici c. 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, ait Sapientia, *& inspiciam omnes dormientes; & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Prophetiæ complementum refert S. Petrus Epistolæ primæ cap. 3. v. 19. *His*, inquit, *qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit.* Et S. Paulus Ephes. 4. v. 9. *Quod autem*, ait, *ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm ad inferiores partes terræ?* hoc est, interprete S. Hieronymo, in infernum. Denique Act. 2. v. 24. descensum illum Christi non obscurè indicant ista S. Petri verba, *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Et v. 27. istud Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno*, Christo adaptat. Quo loco vox *inferni*, sepulchrum procul dubio non significat; neque enim anima, sed solum corpus jacet in sepulchro. Neque etiam de sola Resurrectione Christi, aut incorruptione carnis ejus citata verba intelligi possunt: siquidem tria hæc apertè distinguit S. Petrus; resurrectionem, *Quem Deus suscitavit*; incorruptionem, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; descensum ad inferos, *Non derelinques animam meam in inferno.*

Probatur 2. ex Symbolo Apostolico, ubi expressus ac distinctus est duplex iste articulus, *Descendit ad inferos. Resurrexit à mortuis.* Nec te moveat quòd in Symbolis Nicæno & Constantinopolitano articulus ille non exprimatur; nemo etenim ignorat, salva & integra fide, nonnihil discriminis occurrere in antiquis illis Symbolis, quæ magis vel minùs evolutè aliquos articulos proponunt.

Huic catholico dogmati consonat universa Ecclesiæ utriusque traditio: nonnullos dumtaxat ex utraque Doctores hìc appellamus.

Ex Græcis, S. Justinum Dial. cum Tryphone, S. Irenæum L. 4. c. 39. Clementem Alexandr. L. 6. Stromat. Athanas. L. de salutari adventu Christi, Cyrillum Hierosolymit. Catech. 4. Basilium in Psal. 48. Epiphan. hæresi 20. &c.

Ex Latinis, Tertull. L. de anima c. 4. Lactantium L. 4. c. 9. Hilarium L. 10. de Trinit. Ambrosium L. 5. de Incarnat. Augustinum L. 12. de Gen. ad litt. c. 33. & in Psal. 87. Hieronymum Epist. 151. ad Algasiam, Fulgentium L. 3. ad Trasf. cap. 30.

Hujusce descensus Christi ad inferos varias causas & rationes adducunt iidem

iidem SS. Doctores. 1. ut tempora adventus sui à Patribus tamdiu expectata & desiderata, tandem impleta esse Christus ostenderet, ac plenam redemptionem annuntiaret. Ita S. Iren. L. 4. adversùs Valent. cap. 45. 2. ut Patriarchas & Prophetas sui consortes faceret; & ut hominis mortui formam in omnibus susciperet. Ita Tertull. 3. ut Patres in inferno detenti, audita Christi prædicatione, pœnitentiam agerent, & ad ipsum converterentur. Ita censent S. Clemens Alexandr. L. 6. Stromat. & ejus discipulus Origenes L. 2. contra Celsum. 4. ut Patres in Lymbo detentos de sua salute Christus certiores faceret, ac dæmonis destrueret potestatem. Ita S. Epiph. hæresi 69. 5. ut Patres inde liberaret. Ita S. Augustinus L. 20. de Civ. Dei. c. 15. Denique, ut Christus eò pervaderet, quò homo per peccatum detrusus est. Plura vide apud Petavium L. 13. de Incarnat. c. 17. & 18.

Atque ex his quæ hactenus dicta sunt manifestum est, inferorum, seu inferni nomine, in re nostra præsenti non intelligi, aut sepulturam Christi, aut ejus exinanitionem; multò minùs damnatorum cruciatus, quos ferre debuerit.

Non sepulturam: Quia in Symbolo Apostolico articulus descensus Christi ad inferos distinctus est ejus morte, sepultura, & à mortuis suscitatione.

Non exinanitionem, seu incarnationem, quæ pariter distincto articulo proponitur, *Verbum caro factum est*; quando scilicet accepit formam servi.

Non denique dolores ac cruciatus damnatorum: tùm quia Christus descendit ad inferos post suam passionem ac mortem, quo tempore nullis doloribus ac infirmitatibus obnoxius erat, tùm quia disertè S. Petrus Act. 2. v. 24. de Christo ait: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum.* Ergo liber fuit Christus ab his doloribus. *Non*
T. 2. p. *quod*, ait S. Augustinus Epist. 164. aliàs 99. *illis alligatus aliquando fuerit; sed*
574. D. *velut solvi possunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt; vel quia solvit dolores, quibus ipse teneri non poterat, sed quibus alii teneban-*
P. 135. *tur quos noverat ille liberandos.* Et S. Fulgentius L. 3. ad Tras. cap. 30. *Restabat*, inquit, *ad plenum nostræ redemptionis effectum, ut illuc usque homo sine peccato à Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus à Deo peccati merito cecidisset, id est, ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri; & ad sepulchrum, ubi consueverat peccatoris caro corrumpi; sic tamen, ut nec Christi caro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur.* Non potuit disertè magis eorum impietas confundi, qui contendunt Christum damnatorum cruciatibus torqueri debuisse, ut plenè pro nobis Deo Patri satisfaceret, quasi vel unica pretiosi sanguinis ipsius gutta omnium hominum peccatis redimendis plus quàm sufficiens non fuisset.

Dices: Lucæ 23. v. 43. Christus latroni pœnitenti dicit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ergo anima Christi statim ac à corpore separata fuit, in Paradisum avolavit, nec descendit in infernum.

Resp. Paradisi nomine eo in loco, non sedem Beatorum, ubi Deus seipsum clarè ac intuitivè conspiciendum exhibet, intelligi, sed locum pacis ac refrigerii, quem Limbum appellamus, in quem latronis pœnitentis anima descendit cum anima Christi. Latro igitur, ait S. Thomas 3. part. q. 52. art. 4. ad 3. simul fuit cum Christo in inferno, quoad locum; & in Paradiso, quoad præmium ac refrigerium.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

De perfectione animæ Christi quantùm ad intellectum; seu, de scientia Christi.

NOn hìc movetur quæstio de scientia Christi, quatenùs Deus est; sed quatenùs est homo: seu, non de divina, sed humana Christi scientia hìc agimus, quam oppugnavere Hæretici veteres, Gnostici & Valentiniani, Ariani, Nestoriani, imò & Eutychiani.

Gnostici & Valentiniani, referente S. Irenæo L. 1. c. 17. Christum sub ferula Præceptoris alphabeto dedisse operam fabulabantur.

Ariani & Nestoriani, qui Christum pro mero habebant homine, omnem ipsi in primo conceptionis instanti infusam scientiam consequenter denegarunt. De Arianis testatur S. Athanasius Orat. 4. contra illos. Nestorio idem tribuit S. Cyrillus L. 3. contra ipsum: quem errorem à magistro suo ac præcursore Theodoro Mopsuesteno, de quo quinta Synodus Collat. 8. cap. 12. & Leontius L. 3. in Eutychen, hauserat. Idem & Leporius Nestorii discipulus, cujus Libellus retractationis omnibus notus est.

De Eutychianis res paulò magis implicata videtur, quòd eorum placitis minùs consentiat. Quippe cùm illi post Incarnationem, unam, eamque solam divinam, in Christo naturam agnoscerent, necesse est ut ignorantiam, quam Christo affingebant, in ipsammet divinitatem refunderent, quod quidem per sese absurdissimum est: Quapropter S. Gregorius Magnus Epistola 39. Libri 10. aliàs 42. Libri 8. dicebat: *Quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest.* T. 2. p. 1070. D.

Emersit nihilominus inter eos Secta dicta *Themistiana*, auctore Themistio Diacono, & *Severiana*, à Severo; à dogmate autem dicta *Corrupticolarum*, à corruptione, & Agnoitarum, ab ignorantia cui Christum obnoxium fuisse asserebant, de quibus Eulogius apud Photium, Codice 230.

Grotius in caput 13. S. Marci, docet Christo nonnisi post Resurrectionem omnem scientiam concessam fuisse, & hanc esse Veterum sententiam: *Sicut igitur*, inquit, *post Resurrectionem accepit omnem potestatem, ita & omnem scientiam.* Phot. Bibl. p. 882. T. 2. p. 323. col. 1.

Inter Scholæ Doctores Hugo Victorinus Librum ex professo scripsit, ut probaret Christum non modò nihil ignorasse, sed etiam nullam aliam in eo, quàm divinam, fuisse scientiam. Alii nonnulli, etsi ab anima Christi omnem prorsus excludant ignorantiæ labem, non tamen existimant ipsi à primo conceptionis instanti visionis beatificæ gratiam indultam fuisse, quòd cohærere ac conciliari illa non possit, ut ipsis videtur, cum doloribus ac passionibus quibus Christus, dum viveret, subjectus fuit.

Multiplex autem hic distingui solet scientia: una beata, quæ in clara Dei visione posita est; altera, comprehensiva; tertia, infusa, qua per species à Deo infusas res in seipsis cognoscuntur: infusa autem dicitur, vel per se, quia supernaturalis est, nec aliter quàm infusione potest haberi; vel per accidens, quia licèt aliunde comparari possit, à Deo tamen liberaliter conceditur. Denique alia est acquisita, quæ speciebus à sensibus haustis, experien-

perientia & labore acquiritur. Ista verò spectatur aut ut habitualis est, aut actualis, seu quatenus est aliquod judicium ortum ex sensibus de re aliqua: prior vocatur propriè scientia acquisita; posterior, scientia experimentalis. Ignorantia autem quæ scientiæ opponitur, duplex vulgò distinguitur: una privativa, quæ solet dici pravæ dispositionis, quæ causa & effectus est peccati; altera purè negativa, quæ simpliciter *nescientia* dicitur. His præmissis, quæritur utrum anima Christi statim à primo conceptionis instanti, & infusa rerum omnium humana scientia, & beatifica visione donata fuerit; ac Deum verè comprehenderit.

CONCLUSIO.

Anima Christi statim à primo conceptionis instanti & perfectissima humana rerum omnium scientia, & beatifica seu intuitiva Dei visione donata fuit; nec tamen Deum propriè comprehendit.

Prima pars. Tres sunt Conclusionis partes. Prima pars probatur 1. ex Scripturis. Isaiæ 11. v. 2. de Christo prænuntiatur, *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus scientiæ & pietatis*. Completam in Christo prophetiam testatur Apostolus Coloss. 2. v. 3. *In quo*, ait, *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, quæ certè loquendi ratio, plenam ac cumulatissimam designat rerum omnium notitiam. *Non enim*, ut dicitur Joan. 3. v. 34. *ad mensuram dat ei Deus spiritum*; *sed plenus fuit gratiæ & veritatis*, ut ait S. Joan. cap. 1. v. 14. Et cap. 21. v. 17. S. Petrus apertè declarat, Christo omnia nota fuisse: *Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te*. Intelligebat autem de homine Christo, à quo interrogatus fuerat.

Probatur 2. ex SS. Patribus, quos immeritò Grotius in opposita sententia fuisse supponit.

Pag. 414. D. Ex Græcis. S. Justinus qu. 58. ad Orthodoxos ait, *impietatis esse Christo ignorantiam adscribere, atque id certum, eum omnium obtinere præscientiam perfectam*.

Part. 2. p. 6. M. Origenes Comment. in Matth. ad illa Christi verba, *Intellexistis hæc omnia?* de quibus c. 13. sic disputat: *Qui novit quæ sunt in cordibus hominum Christus Jesus .... non ignorans interrogat, sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus quæ sunt hominis, quorum unum illud est, interrogare. Nec mirandum si id facit Servator, cùm ipse etiam omnium Deus, moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo percontetur, velut in hoc, Adam ubi es? & Ubi est Abel frater tuus?*

Edit. vet. T. 2. p. 929. C. S. Basilius Epist. 141. *Propter te*, inquit, *& horam & diem Judicii ignorat: quamquam nihil latet veram illam sapientiam. Nam per illam omnia sunt condita: nemo enim mortalis usquam est, qui opus suum, quod fecit, ignoret*.

To. 6 p. 87. A. S. Cyrillus Alexandr. L. 3. adversùs Nestorium, ejus solvens objectionem ex eo ductam, quòd incrementum aliquod sapientiæ Christo accesserit, respondet, id planè *stultum esse*. *Credimus enim*, pergit, *ex ipso ventre atque utero virgineo ipsum Emmanuel cùm Deus esset, hominem prodiisse plenum* pra-

procul dubio sapientia & gratia quæ illi naturaliter inerat. Quodnam igitur is incrementum susciperet, in quo sunt omnes; thesauri sapientiæ? Edit. Com-mel. p. 661. E.

S. Joan. Chrysostomus Hom. 78. in Matth. *Quomodo*, inquit, *is per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, diem illam* (ultimi Judicii) *ignorabit?*

Et Serm. in Lazarum, cùm nonnulli Christum Deum esse negarent, eo quòd locum in quo positus fuerat Lazarus videretur ignorare, à sororibus enim ejus postulat, ubi *posuissent eum*, reponit sanctus Doctor, locum hunc Christum non latuisse. *Ignoravit, ais, Christus, ò Judæe, quia dixit, Ubi posuistis eum? Itaque ignoravit etiam in paradiso Pater, ubi absconditus esset Adam? Circuibat enim quasi eum in paradiso quærens, ac dicens, Adam ubi es? quasi diceret, Ubi absconditus es?* Scilicet, ut mox observabat Origenes, humano modo hæc narrat Scriptura, ut sese moribus nostris accommodet. Edit. rec. T. 1. p. 525. D.

S. Joannes Damascenus Libro 3. De fide orthodoxa cap. 19. *Cæterùm*, inquit, *cum operante Verbi deitate, qua cuncta reguntur & gubernantur, communicat* (mens & anima Christi) *omnia intelligens, cognoscens, & administrans, non ut simplex & nuda mens hominis, sed ut quæ Deo secundùm hypostasim unita sit, Deique mens existat.* T. 3. p. 244. A.

Ex Latinis. S. Ambrosius L. 5. de fide c. 18. n. 222. *Multò magis arbitror*, inquit, *quia Filius, qui cum hominibus conversatus est, & hominem egit, & carnem suscepit, nostrum assumpsit affectum; ut nostra ignoratione nescire se diceret, non quia aliquid ipse nescierit. . . . Nihil ergo fuit quod ignoraverit Dei Filius; nihil enim fuit quod ignoraverit Pater.* T. 1. p. 592. E. Ibid. C.

S. Hieronymus Epist. ad Damasum: *Nullus homo*, inquit, *excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuit scientiam & certissimam veritatem.* Edit. recent. T. 2. p. 568.

S. Augustinus L. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 29. sic loquitur: *Quam planè ignorantiam, nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est ut habitaret in nobis, nec ullam ipsius animi infirmitatem, in Christo parvulo fuerim suspicatus quam videmus in parvulis.* T. 10. p. 65. F. G.

S. Bernardus Hom. 2. in illa verba, *Missus est. Nec fuit hora*, inquit, *in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adiceretur; sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilii & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis.* T. 1. p. 739. F.

Multas, easque gravissimas, hujusce doctrinæ rationes & causas passim adducunt SS. Patres, quas omnes omnium disertissimè collegit & amplificavit S. Fulgentius Ruspensis Episcopus. Rogatus enim à Ferrando Diacono, utrum anima Christi plenam haberet deitatis notitiam; respondet, habere: suamque responsionem istis confirmat momentis. 1. ex unione hypostatica humanitatis cum persona Verbi. *Non existimo*, ait, *illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo; quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit.* 2. ex plenitudine spiritus quæ Christo concessa fuit: *In quantùm spiritus datur*, inquit, *in tantùm cognitio divinitatis accipitur: ubi autem spiritus non est ad mensuram datus, necesse est ut plena sit divinitatis immensæ notitia.* Spiritus verò sanctus datus non est divinitati P. 253. n. 29. Ibid.

nitati Christi, cum qua unius est naturæ, sed animæ Christi, utibidem probat sanctus Doctor. 3. ex plenitudine gratiæ & veritatis qua Christus donatus fuit. *Non autem*, inquit, *tota plenitudo veritatis habetur, quando veritatis ipsius aliquid ignoratur, quod absit ut de Christo aliquatenus sentiamus.* 4. ex eo quòd Christus sit Patris sapientia & virtus. *Quòd si*, inquit, *anima Christi minorem habet in aliquo divinitatis suæ notitiam, non in se habet totam sapientiam, totamque virtutem. Participium ergo habet Christi, non ipsa est Christus, si partem habet notitiæ divinitatis suæ.* 5. ex eo quòd Christus sit ipsa veritas; ergo nihil planè latere illum potest. *Quis dicat*, inquit, *animam Christi aut minùs aliquid percipere veritatis, aut minùs habere aliquid charitatis? Ipse autem Christus est veritas. Quomodo ergo anima illa minùs in se notitiam veritatis habere dicitur, quæ ipsius veritatis anima singulariter invenitur?* 6. ex immeatione ac mutua, si ita loqui fas sit, utriusque in Christo naturæ compenetratione, qua Deus homo, & homo Deus fit. *Sic*, inquit sanctus Doctor, *humanam naturam Deus unigenitus suscipere dignatus est, ut ipse sit Deus, qui homo est; & idem sit homo, qui Deus est. Proinde sicut est plenitudo divinitatis in homine Christo, sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo. Sicut ergo Christus homo singulariter habet, ut verus Deus sit, sic totam divinitatem suam singulariter novit.* Denique ex plenitudine divinitatis quæ est in Christo: *Quocirca*, inquit, *ab illo plenitudo capitur divinitatis, in quo ipsa divinitatis habitat plenitudo. In eo autem capitur, in quo cognoscitur. Illi ergo in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non potest ipsius plenitudinis plena non inesse notitia.*

P. 255. n. 33. P. 253. n. 30. P. 254. n. 30. ibid. P. 257. n. 34.

His rationibus alias adjiciunt ductas ex titulis, quibus Christus insignitur, Doctoris, Legislatoris, Capitis, Mediatoris, Redemptoris &c. qui certè plenam à primo conceptionis instanti rerum omnium cognitionem ac scientiam Christo asserunt ac vindicant; quia scilicet Christus ab ipso primo conceptionis puncto vir perfectus fuit: *Novum creavit Dominus super terram*, ait Jeremias cap. 31. v. 22. *Femina circumdabit virum.* Neque decebat Verbum incarnatum, more cæterorum hominum, paulatim & quasi per gradus ætatis ad sapientiam & plenam rerum omnium scientiam pervenire. Cùm verò dicitur Lucæ 2. *profecisse ætate & gratia apud Deum & homines*, de scientia acquisita seu experimentali dictum fuit, quæ infusam non excludit, imò præsupponit. In hac texenda traditione paulò diutiùs immorati fuimus, ut Grotium aliter sentientem confutaremus.

Secunda Conclusionis pars, nempe animam Christi statim à conceptione, beatifica seu intuitiva Dei visione donatam fuisse,

Secunda pars. Anima Christi statim à conceptione intuitiva Dei visione donata fuit.

Probatur: quamquam statim dissimulandum non sit, non tam disertè in Scripturis eam contineri, neque ad fidem pertinere, cùm pauci sint inter Veteres, qui de illa tractaverint, & nonnulli etiam Catholici eam in dubium revocent. Attamen ex iis, quæ in Scripturis continentur, atque ex communi Theologorum sententia tam certò eruitur, ut temeritatis reus haberetur, qui eam negaret: communis scilicet Scholæ consensus unus est ex Locis Theologicis, teste Melchiore Cano L. 12. de Locis c. 14. ex quibus sufficiens ad probandum argumentum desumitur.

Probatur itaque ex Scripturis, hoc argumento: Certum est plenam atque perfectam cognitionem animæ Christi concessam fuisse; plenus quippe fuit

gratiæ

gratiæ & veritatis, Joan. 1. v. 14. *de cujus plenitudine nos omnes accepimus*. Ibid. v. 16. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, Coloss. 2. v. 3. Certum etiam est omnem hujus vitæ, *in qua peregrinamur a Domino*, cognitionem imperfectam esse, multaque caligine involutam: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate*, ait Apostolus 1. Cor. 13. v. 12. *tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*. Et v. 9. dixerat: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est; evacuabitur quod ex parte est*. Cùm igitur anima Christi perfectissima cognitione seu scientia ornata fuerit, necesse est ut Deum intuitivè viderit; aliàs perfectissima simpliciter & absolutè non esset ipsius cognitio ac scientia.

Idem colligitur ex duplici loco S. Joannis c. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit*. Loquitur eò loci S. Joannes de Christo, non tantùm ut Deus est, sed ut homo: Christus igitur ut homo, est in sinu Patris; nimirum per claram, intuitivam ac beatificam Dei visionem, quam nemini hac in vita concessam fuisse testatur Evangelista. Alter locus extat Joan. 3. v. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo*. De Christo homine loqui S. Joannem, demonstrant verba ista, *filius hominis*: quo tempore autem hæc dicebat Christus, nondum corpore in Cœlum ascenderat: erat tamen in Cœlo; quomodo? per visionem scilicet Dei intuitivam ac beatificam: qua ratione Matth. 18. Angeli ad custodiam nostram in terris deputati dicuntur *semper videre faciem Patris qui in cœlis est*; quia nempe licèt in terris sint, Deo tamen intuitivè fruuntur. Nec est quòd objicias, mox relata Christi verba SS. Patres ad ejus divinitatem referre, ubi Arianos impugnant. Fatemur; istud enim eorum institutum postulabat, qui de præsenti nostra controversia tunc haud dubiè non cogitabant, cujus ventilandæ nulla se dederat occasio: at nihil obstat eadem verba interpretari & de divinitate, & de humanitate Christi, quamquam diversa ratione: Christus ut Deus, semper fuit in Cœlo, etiam antequam homo fieret; ut homo autem etiam in terris degens, in Cœlo erat, non quidem reali & corporali præsentia, sed per intuitivam & beatificam Dei visionem.

In eumdem sensum adduci potest & aliud Christi testimonium Joan. 8. v. 14. *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni & quò vado: vos autem nescitis* . . . . Et v. 55. *Non cognovistis eum*, (Patrem meum) *ego autem novi eum: & si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax*. Christus ut homo Deus profitetur se Deum nosse, *novi eum: scio eum*. At non certè per fidem; ergo per beatificam seu intuitivam Dei visionem; & quidem quatenus homo, *scio eum, & sermonem ejus servo*.

Probatur 2. ex Patribus.

Augustino L. 1. de peccat. mer. & rem. cap. 31. ubi docet Christum in Cœlo esse, *per unitatem personæ Verbi quę in cœlo est*. Et in Psalm. 15. ad ista verba, *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*, ait: *ut nota sit & his quos libero, claritas qua eram apud te priùs quàm mundus fieret. Non enim restitues mihi quod non amisi, sed restitues his qui amiserunt ejus claritatis notitiam; in quibus quia ego sum, mihi restitues*. Humanitas igitur Christi non amisit T. 10. p. 34. A. T. 4. p. 71. B.

eam claritatem quam virtute unionis hypostaticæ cum Verbo statim adepta est; nec consequenter ea restituenda illi fuit, sed aliis tantùm restituenda fuit hujus claritatis notitia, seu manifestatio. Denique L. 4. de consensu Evangelist. cap. ultimo, postquam asseruit, neminem in hac vita videre posse limpidissimam illam lucem, ubi Trinitatis æqualitas & incommutabilitas cernuntur, sic addit: *Quâ maximè proprietate distat à cæteris homo, cujus susceptione Verbum caro factum est.*

T. 3. p. 2. p. 160. C.

T. 1. p. 486. c. 2. S. Leone Epist. 25. aliàs 11. ad Julian. *Cùm*, inquit, *simplex & incommutabilis natura deitatis, tota sit semper in sua essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum; & sic naturam assumptam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat.*

Idem censuit Eusebius L. 10. Demonst. Evang. c. 21. exponens illud Psal. 21. *In te projectus sum ex utero*, sic loquitur: *Cùm enim adhuc intra cellam gestantis me in utero laterem*, (Christum loquentem inducit) *te tamen Deum meum videbam.*

P. 500. B.

Probatur denique iisdem planè rationum momentis quibus in confirmationem primæ partis Conclusionis nostræ usi fuimus; quibus adde, quod observant vulgò Scripturæ Interpretes, non tam ex novo miraculo propriè contigisse, quòd in Transfiguratione Christi facies ejus insolita claritate tanquam Sol resplenduerit, qua splendescere semper potuisset, tùm ex insidentis divinitatis majestate, tùm ex gloria & beatitudine animæ; sed potius non sine miraculo factum esse, ut toto vitæ Christi decursu, quasi suspensa & impedita fuerit illa animæ Christi gloria & claritas, ne in corpus ipsum tota efflueret: nimirum propter negotium redemptionis nostræ, quod passione ac morte sua consummare ac perficere Christus debebat.

Tertia pars. Anima Christi Deum non comprehendit.

Tertia pars Conclusionis, nempe animam Christi cognitione comprehensivâ non vidisse Deum,

Probatur I. Quia cognitio comprehensiva duo importat: primum, ut objectum quantum quantum est cognoscatur; alterum, ut tam perfectè cognoscatur, ac cognosci potest & postulat; hoc est, ut Schola loquitur, ut cognitio tam *extensivè*, quàm *intensivè* objecto sit commensurata. Porrò etsi anima Christi totum quod Dei est, ac modo perfectissimo creatæ capacitati accommodato Deum cognoscat, non tamen modo infinito, quo & potest, & exigit cognosci, ac revera seipsum cognoscit Deus: infinitæ etenim cognitionis prorsus incapax est anima creata.

II. Scripturæ consentanea est ista sententia: Deus quippe Jeremiæ 32. v. 19. dicitur, *magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu*. Quapropter Veteres ista potissimùm ratione Anomæos stolidè comprehensivam Dei cognitionem sibi arrogantes, revincunt, quòd, qui semetipsos satis non cognoscunt, Deum, qui comprehendi non potest, se perfectè cognoscere glorientur.

III. Ista, inter alias multas, Augustini de Roma propositio, *Anima Christi Deum videt tam clarè & intensè, quam Deus videt seipsum*, damnata fuit in Concilio Basileensi Sess. 22.

To. 12. Conc. p. 556. D.

IV. denique, S. Fulgentius prima parte Conclusionis jam laudatus, quem nonnulli nobis hic adversari contendunt, non obscurè Conclusioni nostræ favere videtur his verbis: *Possumus planè dicere*, ait, *animam Christi habere plenam notitiam deitatis suæ; nescio tamen utrum debeamus dicere, quòd*

P. 254. n. 31.

anima

anima Christi sic suam deitatem noverit, quemadmodum se ipsa divinitas novit: an hoc potius dicendum est, quia novit quantùm illa, sed non sicut illa. Ipsa enim deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse, quod novit: anima autem illa sic totam deitatem suam novit, ut ipsa tamen deitas non sit. Non poterat sanctus Doctor disertiùs declarare, animam quidem Christi extensivè totum objectum cognoscere, quod Deus cognoscit; sed non intensivè, seu non eodem modo, eademque cognitionis perfectione, cujus postremæ conditionis defectu cognitio comprehensiva esse non potest.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionis partem: Christus Matth. 24. v. 36. ignorat diem ultimi Judicii, *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Et Marci 13. v. 31. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Crescit vis Objectionis ex auctoritate Veterum, qui Arianis divinitatem Christi ex illa ignorantia impugnantibus, respondent, ignorantiam illam cadere in Christum ut hominem, non in Deum. Ita SS. Athanasius Orat. 4. Gregor. Nazianz. Orat. 36. Basilius Epistola 381. ad Amphil. Cyrillus Alexandr. Lib. 22. Thesauri, Hilarius L. 9. de Trinit. &c.

Resp. propositam jam à nobis fuisse, ac discussam illam Arianorum objectionem in Tractatu de SS. Trinitate pag. 396. & 397. Qui fieri enim potest, ut Christus homo diem ultimi Judicii nescierit, qui constitutus est à Deo Judex vivorum & mortuorum; per quem *Deus fecit omnia sæcula*, Hebr. 1. v. 2. qui omnes illius diei circumstantias novit; horam, Lucæ 17. locum, Matth. 24. signa, & causas, Lucæ 21. Ad quæ attendens S. Ambrosius L. 5. de fide c. 16. n. 203. *Quomodo*, inquiebat, *nescivit Judicii diem, qui horam Judicii, & locum & signa expressit & causas?* T. 3. p. 588. D. C.

Quo autem sensu diem illum Christus ignorasse dicatur, variè Interpretes exponunt. Nulla verò aptior ac stylo Scripturæ magis consentiens videtur expositio, ea quæ ait, Christum diem hanc nescire, quia non aperit, non revelat: quippe nihil hominibus revelat Filius, nisi jubente ac mandante Patre: *Ego*, inquit Joan. 12. v. 49. *ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar.* Porrò mandatum istud à Patre non accepit Christus, ut diem hanc nobis aperiret, quia *non est nostrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate*, Act. 1. v. 7. Igitur sicut in stylo Scripturæ, Deus illud primùm cognoscere dicitur, quod publico experimento manifestat, ut v. g. quando Gen. 22. v. 12. ait de Abrahamo, *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*; an ignorabat antea? non certè: sed quod occultum hominibus erat, palam tunc declaravit. Ita etiam aliquid ignorare Christus dicitur, nempe respectu nostri, quod nobis non manifestat. Distinguenda igitur ista propositio, Christus diem ultimi Judicii ignoravit, respectu nostri eam non revelando, concedo: respectu sui, nego.

Audiatur S. Augustinus L. 83. quæstionum quæstione 60. *Sicut*, inquit, *scire Deus dicitur, etiam cùm scientem facit, sicut scriptum est, Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum. Non enim sic dictum est hoc, quasi* T. 6. p. 33. B.

nesciat Deus; sed ut ipsi sciant, quantùm in Domini dilectione profecerint... Et ipsum, Tentat, *pro eo positum est, quòd tentari finit. Sic & cùm dicitur nescire, aut pro eo dicitur, quòd non approbat, id est, in disciplina & doctrina sua non agnoscit, sicut dictum est, Nescio vos: aut pro eo quòd utiliter nescientes facit, quod scire inutile est. Ideo non benè accipitur, id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse, quia facit Filium scire; & quod dictum est, nescire Filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod utiliter scirent.*

Neque dicas hoc sensu non tantùm Filium, sed etiam Patrem ignorare diem ultimi Judicii, quia eum non revelat nobis nec manifestat. Non ita est; quia scilicet Pater per semetipsum ac immediatè nobis jam non loquitur, nec quidquam manifestat, sed per Filium suum, quia ea tantùm loquitur, quæ mandat Pater. *Multifariam, multisque modis*, ait Apostolus Hebr. 1. v. 1. *olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Ergo non Pater, sed Filius ignorare id dici potest, quod non aperit. Diem autem Judicii sapienter omnino nos ignorare vult, ut nimirum vigiles semper, arrecti, ac in bonis operibus ferventes simus. *Expectatio quippe perpetua ferventiores ad pietatem facit, cognitio negligentes*, ait S. Basilius L. 4. contra Eunomium. To. 1. p. 290. A.

Ad confirmationem ex SS. Patribus,

Dico 1. vix ullum esse, qui crudè ac simpliciter affirmet Christum, id est, Verbum incarnatum, diem hanc ultimi Judicii ignorasse; ista quippe ignorantiæ labes in ipsam personam Verbi caderet: atquis tam falsam & absurdam sententiam SS. Patribus affingat?

Dico 2. ex SS. Patribus aliquos, facta utriusque in Christo naturæ distinctione, videri Christo homini, non ut Deo, ignorantiam illam imputasse. Nempe rem illi habebant cum Arianis & Apollinaristis, qui ex illa ignorantia concludebant Christum verum non esse Deum: adversùs quos SS. illi Doctores figura, ut vocant, *concessionis*, utebantur: scilicet, dato & non concesso Christum diem illam ignorasse, eam non ignoravit ut Deus, sed tantùm ut homo; ergo immeritò prorsus inde infertur, eum verè Deum non esse: quæ certè arguendi ratio, non supponit à Patribus reipsa concessum fuisse, Christum hominem aliquid nescivisse; quin è contra potius. Cùm enim explicationem illam secutus aliquándo fuisset Leporius Presbyter, subinde eam rejecit ac improbavit in Libello emendationis, qui ab Augustino cæterisque Africanis Præsulibus probatus fuit. *Nunc*, inquit, *non solùm dicere non præsumo, verùm etiam priorem anathematiso prolatam in hac parte sententiam; quia dici non licet, etiam secundùm hominem ignorasse Dominum Prophetarum.* Bibliot. PP. To. 7. p. 1. G.

Dico 3. Veteres, ignorantiam, quam Christo homini tribuere videntur, unicè referre ad nativam carnis nostræ conditionem: ita ut eorum sensus sit, Christum in carne existentem nihil quidem ignorasse; attamen ex ipsa carnis nostræ conditione eum non habuisse ut aliquid sciret. Caro quippe nostra, seu humanitas, ex se ipsa ignorantiam habet: atque cùm Christus carnem nostram assumpserit, sic interdum loquitur, quasi ignorantiam etiam nostram assumpsisset. *Qui enim*, ait S. Augustinus in Psal. 49. *suscepit* T. 4. p. 446. C.

simi-

similitudinem carnis peccati, cur non susciperet similitudinem vocis peccati? Tertiam istam responsionem dilucidè omnino exponit ac confirmat S. Gregorins Magnus Epistola 39. L. 10. aliàs 42. L. 8. *Unigenitus*, inquit, *factus pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem & horam Judicis; sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit.* T. 2. p. 1070. A. C.

Non alia profectò mens ac sententia fuit S. Athanasii, cùm scripsit Christum ut hominem diem ultimi Judicii ignorasse. *Hominis enim*, inquit Orat. 3. aliàs 4. contra Arianos n. 43. *proprium est ignorare, maximèque res hujusmodi. Verùm hoc ipsum singularis Salvatoris benevolentiæ & benignitatis est effectus. Quoniam enim homo factus est, idcirco propter carnem ignorantem dicere non erubescit, Nescio: ut scilicet ostendat se ut Deum scire, at secundùm carnem ignorare.* Idem paulò antè n. 38. jam dixerat: *Omnibus perspicuum est, ignorationem ad carnem pertinere . . . Id autem fecit sanctissimum Dei Verbum, quod omnia nostri causa sustinuit, cùm ut hoc modo nostram ignorantiam portans, nobis solius veri sui Patris cognitionem impertiret; tum ut nos doceret, seipsum propter nos ad omnium salutem missum esse, qua gratia nulla certè major possit esse.* T. 1. p. 593. A. Ibid. p. 588. A. Ibid. C.

Eumdem exponendi ignorantiam Christi modum adoptat Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud Photium Codice 230. *Sunt*, inquit, *qui censeant illum dixisse quòd ignoraret ultimum diem, ut humanæ naturæ signum proprium quòd illi inest declararet & ostenderet: non quòd ipse ignoraret: absit (quod ipse ignoraverit.) Quicumque enim vel divinitati ipsius, vel humanitati ignorantiam adscribet, nunquam certissimæ temeritatis crimen effugiet. Sed cùm, ut B. Cyrillus docet, subtili mentis conceptu & animi imaginibus per contemplationem, rem à re dividimus; tùm videmus proprias naturæ utriusque, ut in se est, notas & proprietates. Aut, ut Gregorius Theologus tradit, quando naturæ ratione distinguuntur, etiam nomina naturarum simul dividuntur. Sed nudæ puræque humanitatis signum proprium est ignorantia. Hac ratione ergo Christi humanitati, ut simplici & puræ humanitatis naturæ consideratæ (præcisè secundùm ea quæ à seipsa habet) adscribi poterit ignorantia. Et hoc est quod Theologus explicavit, quando dixit: Scit quidem ut Deus; nescit verò ut homo*, si quis videlicet id quod apparet, ab eo quod intelligitur discriminet. T. 883. n. 10.

His dictis Eulogius hæc addit, quibus secunda nostra responsio confirmatur. *Quòd si qui ex Patribus ignorantiam in Salvatore ex parte humanitatis admiserunt; id tamen non ut dogma sanxerunt, sed Arianorum insaniam repressuri, (qui omnia, quæ in Christo erant, humana ad Unigeniti divinitatem transtulerunt, ut increatum Dei Verbum creaturam ostenderent) rectiùs hæc de humanitate dici posse existimarunt, quàm humana ab illis (Arianis) ad divinitatem trahi.* Ib. n. 30.

Responsionis nostræ hæc summa est: Christus ignoravit diem Judicii, dist. ignoravit respectu nostri, quia diem hanc non detegit nec revelat nobis, concedo: ignoravit simpliciter & absolutè ac respectu sui, subdist. habita ratione humanitatis, cui post peccatum ignorantia ingenita est, concedo: habita ratione unionis hypostaticæ, nego. *Vidit in carne; at non ex carne.*

Instabis 1. Lucæ c. 2. v. ultimo, Christus dicitur *profecisse sapientia, & ætate & gratia apud Deum & homines*: ei autem qui proficit, aliquid novi accidere debet, quod priùs non habebat; ergo Christus statim à primo conceptionis puncto perfecta rerum omnium cognitione ac scientia instructus non fuit.

Hunc textum cùm Ariani & Apollinaristæ Catholicis objicerent, reponebant fidei nostræ vindices, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, hæc de humana Christi natura dicta esse, non de divina. *Isti*
T. 1. p. 601. D. (Ariani) ait S. Athanas. Orat. 3. aliàs 4. contra illos n. 52. *claudunt oculos, ne videant quòd hic in sapientia proficere, non significet ipsam sapientiam proficere, sed humanam tantùm naturam in ea proficere.*

Resp. 1. ut mox, nempe figura *concessionis*, SS. Patres Arianos & Apollinaristas hic ad hominem premere. Isti scilicet Christum non tantùm divinitate, sed etiam anima & mente humana spoliabant, quæ duo stare non possunt, ac malè cohærent cum proposita Objectione: 1. quia Christus non profecit ut Deus, in sapientia increata & divina; sed profecit tantùm ut homo in sapientia creata, experimentali & acquisita; ergo malè inde inferebant Hæretici Christum non esse Deum. 2. Si Christus sapientia profecit ut & ætate; ergo, velint nolint Hæretici, animam & mentem humanam habebat; sapientia quippe ut & scientia & rerum cognitio, ad animam & mentem humanam pertinent: ita sibi malè cohæret ac pugnantia loquitur hæresis. Sic ratiocinatur S. Epiphanius hæresi 77. n. 26. *Jam vè-*
T. 1. p. 1019. D. *rò*, inquit, *qui sapientia Patris esset, quinam ullas sapientiæ progressiones habere potuit, si ab humana mente vas illud, ut ita dicam, fuit? Ac si mentis expers extiterit, qui fieri potuit, ut sapientia corpore animaque progressus faceret?*

Resp. 2. Christum profecisse sapientia experimentali, quando scilicet eas in anima sua humanas doloris ac tristitiæ affectiones expertus est, quas licèt antea novisset, non tamen senserat.

Resp. 3. Christum sapientia profecisse, non quoad se, sed quoad nos, quibus in dies magis ac magis proficere videbatur; tametsi reipsa non proficeret. Ita nodum solvunt

T. 1. p. 343. C. S. Gregor. Nazianz. Orat. 20. *Ut ætate*, inquit, *ita & sapientia proficiebat: non quòd hæc in eo incrementum caperent, (quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse possit?) sed quòd hæc paulatim detegerentur ac elucerent.*

T. 1. p. 601. E. S. Athanasius Orat. 3. aliàs 4. contra Arianos n. 53. *Corpore ætate crescente*, ait, *in illo quoque crescebat major divinitatis explicatio, omnibusque ostendebatur templum Dei ipsum esse, & Deum esse in corpore.*

T. 6. p. 87. A. B. S. Cyrillus L. 3. contra Nestorium. *Quomodo igitur*, inquit, *profecisse dictus est? Ut ego arbitror, quia Deus Verbum pro incremento & ætate sui corporis, divinorum bonorum quæ sibi inerant manifestationem admetiebatur.*

Denique S. Bernardus Hom. 2. de laudibus B. Mariæ Virginis. *Neque enim*,
T. 1. p. 739. F. inquit, *minùs habuit sapientiæ, vel potiùs non minùs fuit sapientia Jesus conceptus, quàm natus; parvus, quàm magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans Doctores in Templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto...*

Eo.... Nam quod de sapientia & gratia hic dictum est (Lucæ 2.) non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod antea non haberet; sed quòd accedere videretur, quando volebat ipse, ut videretur. *Ibid. p. 740. A.*

Instabis 2. Eadem prorsus ratione Christus gratia & sapientia proficiebat, qua ætate: atqui non tantùm apparenter & in opinione hominum, sed verè ac realiter ætate proficiebat; ergo &c.

Resp. nego ant. Alia quippe in Christo conditio est corporis, & alia conditio animæ: omnes corporis nostri defectus & infirmitates ad opus salutis nostræ perficiendum necessarias Verbum assumpsit, adeoque varias ætatis vices & incrementa; defectus verò animæ, ignorantiam, concupiscentiam, non assumpsit: non igitur ut ætate, ita & sapientia quasi per gradus proficere debuit.

Instabis 3. Non tantùm coram hominibus & in eorum opinione dicitur Christus profecisse in sapientia, sed etiam *coram Deo*; ergo non opinione tantùm, sed verè proficiebat.

Resp. nego conseq. Namque coram Deo sicut & coram hominibus sapientia Christus profecisse dicitur, quia publica omnibusque, tùm Deo, tùm hominibus, perspecta dedit eximiæ sapientiæ suæ argumenta.

Instabis. 4. De nonnullis Christus anceps ac dubius fuisse videtur. Joan. 11. de loco ubi sepultus fuisset Lazarus, anxius inquirit: *Ubi posuistis eum?* Et c. 21. quasi dubitans ter Petrum interrogat: *Petre amas me?* Quin Matth. 8. v. 10. admiratur fidem Centurionis: porrò admiratio ignorantiæ fœtus est. Denique Hebr. 4. v. 15. *tentatus dicitur per omnia pro similitudine absque peccato*. Ergo vel ipsa etiam ignorantia tentatus fuit.

Resp. nego ant. Humano more interrogabat Christus, & ubi sepultus esset Lazarus, & utrum plus amaretur à Petro; non quòd utrumque ignoraret: *Tu scis Domine, quia amo te*, respondit Petrus. Sed cùm homo esset, modo nobis accommodato se gerebat; atque interrogando, non dubitabat, neque ignorabat, sed rei præstantiam declarare seu commendare volebat, nempe suscitationem Lazari à mortuis, & magnitudinem amoris Petri. Deus ipse Gen. 3. interrogans ait, *Adam ubi es?* non quòd ignoraret, sed ut increparet; non dubitantis enim, sed increpantis ista vox est. Ita dicitur fidem Centurionis admiratus, non quòd eam antea non prænovisset, sed ut eam laudaret ac commendaret. *Mirando laudabat*, ait S. Augustinus L. 1. contra adversar. Legis & Proph. c. 7. Tentatus dicitur Christus *per omnia*; *excepto peccato*, & iis animæ defectibus, qui ex peccato sunt, ignorantia scilicet & concupiscentia, quique non modò inutiles forent, sed etiam noxii peragendo redemptionis nostræ negotio. *T. 8. p. 554. C.*

Instabis 5. Lucæ 22. *Apparuit autem illi* (Christo) *Angelus de cœlo confortans eum*. At si Christus omnia novisset, futuros etiam non ignorasset cruciatus, nec opus ipsi fuisset Angelo confortante, quasi aliqua ipsi nova suggessisset motiva patientiæ ac consolationis.

Resp. 1. hæc ad probationem veræ humanitatis Christi dicta esse: naturali quippe instinctu, natura nostra mortem refugit & abhorret.

Resp. 2. cum S. Epiphanio hæresi 69. n. 60. verba hæc, *Confortans eum*, idem sonare, ac laudans fortitudinem ejus, qua se mortilubens obtulerat, dicens:

salutis nostræ opus consummaret ac perficeret; quomodo etiam impedivit, ne in toto vitæ suæ mortalis cursu, animæ suæ gloria in corpus ipsum redundaret.

Ad secundum, mox ostendemus nec fidem, nec spem in Christo fuisse; è contra salvam & integram in eo stetisse libertatem.

Ad tertium, intelligendus est S. Lucas, tùm de gloria Christi completa & consummata, ratione animæ & corporis, quod gloriosum, impassibile ac incorruptibile ex sepulchro exivit; tùm de nominis Christi exaltatione, cultu, adoratione &c. *Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen*. Philipp.2. v.9.

Quæres 1. quænam objecta Christus cognoverit per scientiam beatificam.

Resp. ea omnia quæ à Beatis in Cœlo videntur, aut videri possunt, de quibus egimus, ubi de divinis Attributis. Christi scilicet animæ perfectissima omnium quæ excogitari potest, cognitio & scientia tribuenda est, quantumcumque autem illa perfectissima supponatur, essentiæ tamen divinæ non est comprehensiva, ex antè dictis.

Quæres 2. Quænam objecta anima Christi cognoverit per scientiam infusam.

Resp. naturalia, sive necessaria, sive libera, cognovisse per proprias eorum species; supernaturalia verò per species alienas. Ratio est 1. Quia scientia Christi infusa perfectissima fuit, & angelica longè superior: sed Angeli res naturales necessarias immediatè ac per proprias species infusas cognoscunt. Liberas autem cordium cogitationes Christo plenè cognitas & manifestas fuisse testatur S. Lucas c.6. v.8. *Ipse verò*, ait, *sciebat eorum cogitationes*. 2. Res supernaturales, fidei scilicet mysteria Christum cognovisse, quis negare ausus fuerit, *cùm ipse auctor sit ac consummator fidei*? Ea tamen non intuitivè ac in se, quod proprium est scientiæ beatificæ, sed per scientiam infusam ac species alienas cognovit, nempè in revelatione, fide nostra, lumine gloriæ &c. hæc quippè omnia per scientiam infusam quidditativè cognoscendo, simul etiam cognovit mysteria fidei cum iis connexa. Res autem creatas, sed supernaturales, ut gratiam, Sacramenta, intuitivè ac immediatè per scientiam infusam cognovit, quia sic cognosci possunt, nec ad ea cognoscenda absolutè necessaria est beatifica visio.

Quæres 3. quænam anima Christi cognoverit per scientiam acquisitam & experimentalem.

Resp. ea omnia quæ per varias operationes vel mentis, vel sensuum externorum, successivè aut intellexit, aut in se expertus est. Usus quippè fuit Christus & sua ratione, ac suis sensibus, visu, auditu, tactu: identidem famem, sitim, aliasque humani corporis infirmitates expertus fuit; quo sensu intelligi potest profecisse ætate ac sapientia, acquisita nimirum & experimentali.

A R-

ARTICULUS III.

De perfectione animæ Christi quantùm ad voluntatem: seu de gratia, donis ac virtutibus animæ Christi concessis.

GRatia generatim donum est Dei supernaturale, ex pura Dei misericordia, sine ullis præcedentibus meritis concessum. Multiplex in Christo gratiæ species distingui potest. 1. Est gratia unionis, seu substantialis, quæ resultat ex intimo nexu naturæ divinæ cum humana, in una Verbi persona. 2. Gratia habitualis, accidentalis & adventitia, quæ internum est ac connaturale principium actionum supernaturalium. 3. Gratia actualis, quæ est Dei motio & influxus ad actionem supernaturalem concurrentis. 4. Gratia capitis. 5. Gratiæ gratis datæ ad commodum & utilitatem aliorum. 6. Sunt virtutes infusæ morales vel theologicæ, spes, fides & charitas. Denique, dona sunt Spiritus sancti. De quibus sigillatim ac paucis sic statuimus.

PRIMA CONCLUSIO.

Fuit in Christo gratia unionis, seu substantialis, per quam humanitas Christi substantialiter sancta, Deoque acceptissima erat.

Vix aliqua probatione indiget hæc Conclusio, postea quæ superiùs abundè dicta sunt, ad demonstrandam contra Nestorium, unionem personalem ac substantialem duarum naturarum in Christo, in unitatem personæ Verbi, ex qua certè unione resultat substantialis gratia, justitia, & sanctitas in humanitate Christi, qua fit ut Deo sit acceptissima & planè impeccabilis, ut posteà dicemus. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Lucæ 2. v. 35. Ita sentiunt SS. Doctores.

Dionysius Alexandrinus in Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum: *Ob id*, inquit, *planè apparet, quòd Christus magna puritate & justitia incomparabili Joanni antecelleret; quia in Joanne quidem erat opus & labor justitiæ, in Jesu verò natura.* *Tom. 1. Conc. p. 851. A.*

S. Cyrillus Alexandrinus Libro 11. in Joan. cap. 9. *Sanctum*, inquit, *est quodcumque cernitur à mundi sordibus immune, quod quidem est in Christo naturaliter, sicut in Patre: adscititium verò & adventitium in sanctis Discipulis, sanctificatione nimirum per gratiam.* Paulò antè dixerat: *Naturalis est in Christo.... puritas: Deus enim est verus, qui peccato obnoxius esse nequit, cùm virtutis omnis fit fons, & ejus quæ sanctificatione constat sanctitatis.* Eodem Libro cap. 10. probat Christum non esse sanctum participatione, nec alienam à substantia sua per Spiritum habere sanctificationem. *To. 4. p. 985. D.* *Ibid. p. 985. C. D.* *Ibid. p. 986. & seq.*

S. Augustinus Enchir. c. 40. *Professò*, inquit, *modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, & de Maria sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis; & filius hominis, qui Filius Dei: ac si na-* *To. 6 p. 212. D.*

si naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis; quæ nullum peccatum posset admittere.

Dices: Non magis vi unionis hypostaticæ communicari potest humanitati Christi substantialis gratia, quàm immensitas v. g. omnipotentia, infinitas &c.

Resp. nego paritatem: Quia humanitas capax est recipiendæ istius substantialis gratiæ, cùm uniri possit unione personali cum Verbo; ista quippè gratia substantialis nihil est ab unione hypostatica distinctum. E contra humanitas neque immensitatis, aut omnipotentiæ, aut infinitatis capax est, cùm sit essentialiter finita & limitata.

Instabis: Non magis potest Verbi persona virtute suæ unionis cum humanitate naturalem suam sanctitatem ei communicare, quàm humanitas Verbo suas imperfectiones: atqui humanitas, tametsi Verbo conjuncta, suas ipsi imperfectiones communicare non potest.

Resp. disparem esse causam ac rationem: quia scilicet Verbum per propriam suam personalitatem immediatè conjungitur cum humanitate; humanitas verò non immediatè conjungitur cum divinitate, sed mediante Verbi personalitate. Unde naturales humanitatis imperfectiones de supposito Verbi enuntiari quidem possunt in concreto, ut diximus, non verò de divinitate in abstracto: unde rectè dicimus Verbum caro factum, passum, mortuum, loquendo de Christo: at non benè diceretur, Divinitas facta est caro, divinitas passa est, mortua &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Præter gratiam unionis & sanctitatem substantialem, fuit in Christo gratia habitualis, & sanctitas adventitia perficiens animam in ordine ad operationes supernaturales.

Probatur. Isaiæ 11. v. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intellectus.... scientiæ & pietatis.* Joan. 1. v. 14. Plenus dicitur *gratiæ & veritatis.* Et Coloss. 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.*

Ratio est manifesta: Quia genus omne perfectionis necessarium ad operationes supernaturales modo connaturali eliciendas, in anima Christi admitti debet: at talis est gratia habitualis inhærens. Observa, gratiam illam habitualem sub diverso respectu naturalem aliquando appellari, aliquando verò accidentalem. Dicitur naturalis, cùm spectatur humanitas in sensu composito unionis hypostaticæ; dicitur verò accidentalis & adventitia in sensu diviso unionis. Cave tamen cogites ex tali gratia Christum aut sanctum dici posse per participationem, aut filium adoptivum, tùm quia gratia hæc aliam supponit naturalem & substantialem, tùm quia proprius ac nativus hujus habitualis gratiæ effectus quasi formalis, est reddere subjectum in quo est, gratum Deo & acceptum, illudque juvare ad operationes supernaturales modo magis connaturali exercendas.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Fuit in Christo gratia actualis, non quidem excitans, sed operans & cooperans.

Prima pars clara est. Gratia quippè excitans dicitur, quæ nos quasi sopitos ad bonum excitat: at tali gratia non indiguit Christus, ad optima quæque sempre vigil & erectus; nullaque difficultate, obice nullo retardatus.

Secunda pars facilè probatur. Gratia quippè operans vel cooperans est ipsamet Dei nobiscum operantis actio seu concursus, qui ad quamcumque creatam actionem semper necessarius est, ob essentialem ac necessariam dependentiam creaturæ à Creatore.

QUARTA CONCLUSIO.

Fuit in Christo gratia Capitis.

Gratia Capitis Christo necessaria fuit, tùm ut Ecclesiam regeret ac moderaretur, eamque interioris gratiæ subministratione ad destinatum finem perduceret. Coloss. 1. v. 18. *Ipse* (Christus) *est Caput corporis Ecclesiæ*. Ephes. 1. v. 22. *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*. Ut Caput Ecclesiam regit, cui semper præsentissimus adest. Ephes. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios verò Evangelistas; alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi quod est Ecclesia*: unde Apostolus secundæ Cor. 5. v. 20. dicebat: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Perpetuam sui assistentiam Christus ut Caput Ecclesiæ suæ pollicetur, *Vobiscum sum omnibus diebus. Portæ inferi adversùs eam non prævalebunt*. Ipsi, tanquam vitis palmitibus continuo influxu spiritum vitæ subministrat. Matth. 28. v. 20 Ibid. 16. v. 18.

Quæres, an hæc gratia Capitis distincta sit à gratia unionis & à gratia habituali.

Resp. affirmativè; quia diversi sunt triplicis illius gratiæ formales effectus. Namque gratiæ unionis proprium est naturam humanam terminare, ac substantialiter sanctam constituere; gratiæ verò habitualis, eam Deo acceptam reddere, & idoneam ad operationes supernaturales modo connaturali eliciendas; gratiæ verò Capitis proprium est jus & auctoritatem conferre regendi Ecclesiæ membra; & in ea per auxilia interioris gratiæ influendi. Nihil quidem entitativum, nihil physicum gratia Capitis addit gratiæ unionis & habituali, sed aliquid dumtaxat morale, jus scilicet ad regendam & moderandam Ecclesiam, quam sanguine suo Christus acquisivit.

QUIN-

QUINTA CONCLUSIO.

Fuerunt in Christo gratiæ gratis datæ.

Probatur: Quia gratiæ gratis datæ dicuntur illæ, quæ ad commodum & utilitatem aliorum conferuntur. Novem earum species enumerat S. Paulus primæ Cor. 12. v. 7. & seq. *Unicuique*, ait, *datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum*. Illæ autem omnes gratiæ gratis datæ in Christo fuerunt.

Dices: Prophetia nonnihil obscurè cognitum involvit: porrò Christus omnia clarè cognovit.

Resp. dist. aliquando, & ratione subjecti cui datur gratia prophetiæ, concedo: semper, & ratione sui, nego. Hoc unum ex se prophetia exigit, ut sit futuri prædictio.

SEXTA CONCLUSIO.

Fuerunt in Christo virtutes omnes morales, sive infusæ, sive acquisitæ, detractis omnibus imperfectionibus, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis adversantur.

Probatur & exponitur Conclusio. Virtus moralis infusa, juxta S. Thomam, ea dicitur quæ ordinatur ad bonum quod modificatur per Legem divinam, & non per rationem humanam, ac in nobis causatur per operationem divinam: virtus autem acquisita ordinatur ad bonum quod modificatur secundùm regulam humanæ rationis, & potest causari per actus humanos quorum principium est ratio. Atqui fuerunt in Christo hujusmodi virtutes. 1. Fuere infusæ, quia, ex dictis, fuit in Christo gratia habitualis; virtutes autem illæ simul cum habituali gratia infunduntur, & animam inclinant ad faciliùs exercendos illarum virtutum actus. 2. Fuere quoque virtutes acquisitæ; quia Christus bonum operabatur; & virtutes exercebat sicut & alii homines.

Dixi, seclusis imperfectionibus, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis repugnant: quia in Christo nulla fuit nec esse potuit vel levissima peccati umbra; & aliunde beatifica visione statim à primo conceptionis instanti potitus est. Inde est quòd in Christo nec spes nec fides fuerit, quia compati non possunt cum visione Dei beatifica, ut mox dicemus; nec etiam virtus continentiæ, saltem quantùm ad aliquam partem: ista quippè virtus duo in nobis importat, abstinentiam scilicet ab omni voluptate venerea, & resistentiam pravis concupiscentiæ motibus: fuit autem in Christo quantùm ad primum officium, non quantùm ad secundum, quia nulla fuit in Christo concupiscentia, nullùm prorsus peccatum.

S. E-

SEPTIMA CONCLUSIO.

Non fuit in Christo aut fides, aut spes theologica.

Non fides: quia versatur circa res obscuras & inevidentes; Christus autem omnia clarè ac evidenter cognovit.

Non spes: quia versatur circa res futuras, & nondum possessas: at Christus statim à conceptione beatus fuit, & Deum intuitivè possedit.

Si quando verò fides Christo tribuitur, non virtus est theologica, sed moralis.

ULTIMA CONCLUSIO.

Fuere in Christo dona Spiritus sancti.

Probatur Isaiæ 11. v. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini.*

Theodoretus in hunc locum: *Prophetæ*, inquit, *singuli particularem quidem gratiam quamdam acceperunt: in ipso autem* (Christo) *habitavit tota plenitudo divinitatis corporaliter, & secundùm humanitatem omnia Spiritus habuit charismata. De plenitudine enim ipsius, secundùm divinum Joannem, nos omnes accepimus.* To. 2. p. 52. C.

Ratio est: Dona illa in hunc finem conferuntur, ut homo promptè ac expeditè Spiritui sancto moventi obsequatur. Quòd si per accidens & ratione subjecti, dona illa in nobis nonnihil imperfectionis admixtum habent; non ita fuit in Christo, in quem confluxit genus omne perfectionum. Atque ita v.g. timor, qui in nobis non tantùm filialis est & castus, sed etiam servilis ex metu gehennæ conceptus, in Christo purè filialis fuit, castus & reverentialis, qualis est in Sanctis Deo apertè fruentibus. Consilium pariter, quod in nobis aliquam dubitationem involvit, in Christo nihil aliud fuit, quàm sanum & rectum de agendis judicium.

ARTICULUS IV.

De libertate, sanctitate, ac impeccantia Christi.

Duo hæc sigillatim tractanda, libertas Christi, ejusque sanctitas & impeccantia. Ac primò, de sanctitate ac impeccantia.

De sanctitate animæ Christi, ejusque impeccatia. An aliquod in Christo peccatum fuerit, aut esse absolutè potuerit; & quæ impeccantiæ ipsius vera causa & ratio.

Horret animus, fateor, cùm audio eò prorupisse nonnullos inter Christianos, ut Christo peccatum aliquod imputare non erubuerint, qualem fuisse md ; r nomine *Premonstratensem*, referunt Lindanus Dialogo 2. Hosius

Gratian. de Incarn. q. 15. art. 1. T. 2. p. 281. T. 180. & seq.

fius L. 1. de hæresibus nostri temporis, & Prateolus verbo *Antichristus*; & verbo *Præmonstratensis*. Ejusdem impietatis Calvinum reum agit Bellarminus L. 4. de anima Christi cap. 8. quòd nempè in caput 27. S. Matth. & L. 2. Instit. c. 16. n. 11. & 12. innuat ista Christi verba, *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* verba fuisse animi dejecti, impatientis ac quasi desperantis. Reclamant hic equidem, ac magistrum ab illa impietate vindicare tentant discipuli: verùm ab omni labe eum hìc purgare difficile est: quippè qui insolitam quandam animi perturbationem, quam vis & acerbitas doloris extorsit, in Christo agnoverit Hæresiarcha scribens in Matth. *Metu perculsus*, inquit, *& anxietate constrictus fuit, ut necesse foret inter violentos tentationum fluctus, alternis votis quasi vacillare. Hæc ratio est, cur mortem deprecatus, mox sibi frenum injiciat; Patrisque imperio subjiciens, votum illud subitò elapsum castiget ac revocet.*

Communis ac certissima Theologorum omnium sententia est, Christum ab omni umbra peccati maximè alienum semper fuisse. An verò peccare absolutè potuerit, quærunt nonnulli Scholæ Magistri, nostro quidem judicio, non satis cautè ac reverenter. Ad quid enim quæstiones hujusmodi subtiles & argutæ, quæ christianas aures offendunt, nihilque afferunt utilitatis?

Existimant ergo nonnulli, Christum ex sola vi unionis hypostaticæ cum Verbo, non habuisse ut non posset peccare; sed ex adjunctis, visione beatifica, virtutibus infusis, gratia sanctificante, singulari Dei protectione &c. quæ si à Christo separarentur, ut nonnulli ea separari absolutè potuisse affirmant, Christus homo Deus peccare posset. Ita sentire videntur Durandus in 3. dist. 12. q. 2. Gabriel dist. 2. & 12. q. 1. & Scotus, quatenus impeccantiam Christi repetit à beatitudine, & putat naturam humanam sine beatitudine assumi potuisse. Ut illi subtiles sunt & acuti, ac quæstionum de possibili plùs æquo amantes, hypothesim possibilem fingunt: at præsentem non impugnant; neque enim docuerunt illi unquam, Christum in præsenti rerum statu peccare aliquando potuisse. Itaque sit

PRIMA CONCLUSIO.

Fuit in Christo sanctitas quædam naturalis ac substantialis, ex sua cum Verbo divino unione derivata.

Probatur conceptis Angeli ad Virginem Mariam verbis, Lucæ 1. v. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Jure igitur nativitatis ex Virgine, operante Spiritu sancto, Christus sanctus est ac Filius Dei, non sanctitate tantùm adventitia & accidentali, sed naturali ac substantiali, vi unionis hypostaticæ humanitatis cum Verbo. Eadem scilicet sanctitas Christo competit, quæ Filio Dei: at hæc substantialis est, à natura ejus indistincta. Inde toties in Scripturis Christus sanctus appellatur, imò & justitia nostra. *Factus est nobis sapientiâ à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Primæ Corinth. 1. v. 30. Vide quæ paulò antè dicta sunt, cùm ostendimus fuisse in Christo gratiam naturalem ac substantialem; eadem quippè hìc argumenta recurrunt.

Inde

Inde meritò S. Augustinus Enchiridii c. 40. ait: *Modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto ..... insinuat nobis gratiam Dei qua homo, nullis præcedentibus meritis ...... Verbo Dei copularetur, in tantam personæ unitatem ..... ut ..... fieret quodammodo gratia ipsa homini illi naturalis, quæ nullum peccatum posset dimittere.* T. 6. p. 212. D.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nullum unquam fuit, nec esse potuit in Christo peccatum; ejusque impeccantia, non gratiæ tantùm, sed naturæ, vi unionis hypostaticæ, referenda est.

Duæ sunt Conclusionis partes.

Prima pars probatur 1. ex Scripturis. Secundæ Corinth. 5. v. 21. Apostolus ait, *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum, fecisse*; (id est, hostiam pro peccato) *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.*

Hebræor. 4. v. 15. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Et cap. 7. v. 26. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus.* Hinc primæ Joan. Epistolæ c. 3. v. 5. *Scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Quapropter Christus Joan. 8. v. 46. confidenter ajebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

S. Petrus primæ Epistolæ c. 1. v. 18. *Scientes*, ait, *quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* Et cap. 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

Secunda pars, nempe veram & physicam in Christo impeccantiam fuisse, ex ipsa unione hypostatica profluentem,

Probatur constanti SS. Patrum traditione, qua tria ista simul demonstrantur; nunquam peccasse Christum, nec potuisse peccare, hancque ipsius impeccantiam ex ipsamet præcisè unione hypostatica provenire. Ita

Ex Græcis.

S. Hippolytus Martyr apud Theodoretum Dial. 1. *Arca*, inquit, *ex lignis, quæ putrescere non poterant, erat ipse Salvator ..... Nam qui peccavit, confitetur & dicit*, Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. *Dominus autem à peccato alienus erat.* T. 4. p. 36. B.

Origenes L. 2. de principiis cap. 6. *Tota anima Christi*, ait, *totum recipiens, atque in ejus lucem splendoremque ipsa cedens, facta est cum ipso principaliter unus spiritus.* Quod illustrat duplici comparatione; ferri candentis quod frigus capere, quamdiu candens est, non potest. *Hoc modo*, inquit, *illa anima* (Christi) *quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo ..... semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; & ideo nec convertibilis & mutabilis dici potest.* Altera similitudo est vasis, quod aliquo suavi unguento imbutum, nihil fœtidum redolere potest. *Sicut*, inquit, *vas ipsum quod substantiam continet & unguentum, nullo genere potest aliquid recipere fœtoris ..... ita Christus velut vas ipsum in quo erat unguenti substantia, impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem.* T. 1. p. 441. C. Ibid. p. 442. G. Ibid. T. 1. Conc. p. 855. C.

S. Dionysius Alexandrinus Epist. ad Paulum Samosatenum: *Nisi*, inquit,

quit, *fuisset* (Christus) *idem qui qui erat Deus Verbum, non poterat esse alie-*
Eccl. 7. *nus à potestate peccandi: nemo enim est qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus sanctus..... Non enim est homo iustus super terram, qui faciet bonum, & non peccabit.*

T. 2. p. 34. B. S. Athanasius Libro de Incarnatione Verbi: *Impossibile est*, inquit, *humanam naturam puram & sine peccato exhiberi, nisi Deus in carne esse credatur, qui iustitiam peccati expertem in mundum induxerit.*

S. denique Cyrillus Alexandrinus, ut alios omittam, L. 5. in Joan. cap. 5. probat Christum natura sua impeccabilem fuisse, sicut ignis natura & non voluntate calidus est, ac nix frigida. *Unigenitus*, inquit, *propriæ naturæ*
T. 4. p. 530. D. E. *legibus insistens, nihilque aliud cogitare aut agere sciens, quàm quod in eius qui genuit ipsum voluntate positum est. Ecqui enim omnino fieri possit, uti consubstantialis & una deitas ipsa contra seipsam dissideat?* Ex propria igitur sua natura, hoc est, unione hypostatica cum Verbo, Christus habuit, ut peccare nullatenus potuerit.

Ex Latinis idem prorsus testantur

Pag. 320. B. Tertullianus L. de carne Christi c. 16. *Argumentandi libidine, ex forma ingenii hæretici*, ait, *locum sibi fecit Alexander ille, quasi nos affirmemus, idcirco Christum terreni census induisse carnem, ut evacuaret in semetipso carnem peccati..... Ut evacuatam non possumus dicere, ita nec peccatricem; nec evacuatam, in qua dolus non fuit. Defendimus autem, non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis; non materiam, sed naturam; nec substantiam, sed culpam, secundùm Apostoli auctoritatem dicentis, Evacuavit peccatum in carne.*

T. 1. p. 713. C. S. Ambrosius Apologiæ secundæ David. c. 4. *Nemo*, inquit, *sine peccato, nisi unus Deus. Si igitur non potest non esse Deus, qui Dei Filius est, utique Dei Filius arbiter iustitiæ est, non obnoxius culpæ.*

T. 10. p. 767. B. S. Augustinus L. de corrept. & gr. cap. 11. sic loquitur: *Neque metuendum est*, inquit, *ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Et Tract. 108. in Joan. ad illa verba, *Sanctifico meipsum.*
T. 3. p. 2. p. 771. F. *Verbum illud*, inquit, *in principio Deus, in quo & ipse filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro: quia una persona factum est Verbum & homo. Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est, hominem se in Verbo se: quia unus Christus Verbum & homo, sanctificans hominem in Verbo.* Et cap. 36. Enchiridii ait, *per eamdem gratiam iustificari*
T. 6. p. 210. F. *homines à peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum.*

P. 134. S. Fulgentius L. 3. ad Trasim. c. 29. *Deitas*, inquit, *non potest superari: propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non novit.*

T. 1. p. 889. D. Denique S. Bernardus Serm. feriæ quartæ hebdomadæ sanctæ. *Hoc Verbum*, inquit, *quia carnem purissimam & animam sanctissimam unierat sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui: tum quia sapientia & iustitia erat; tùm quia nullam habebat prorsus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ.*

His

His omnibus abundè confutata manet eorum inter Theologos opinio, qui arbitrantur ex sola supposita unione hypostatica, cæteris aliis gratiæ adjumentis præcisis & amputatis, Christum impeccantiam non contraxisse.

Ex illis porrò hactenus laudatis SS. Patribus, istud firmum & ineluctabile colligitur argumentum.

Qui substantia & natura Deus est, & una cum Verbo persona, is ex sese, vi unionis cum Verbo, nunquam peccati capax esse potest; aliàs dici posset Deum saltem peccare posse, quod certè vel cogitare impium est: atqui Christus natura sua & substantia Deus est, & una cum Verbo persona.

Confirmatur istud argumentum, ex eo quòd si supponi posset humanitatem Christi peccare, peccatum illud directè imputandum foret ipsimet divinitati ac personæ Verbi, non verò soli humanitati. Ratio aperta hæc est, quia nempe natura divina humanæ intimo ac personali nexu conjuncta, tenetur, utpote superior ac totius suppositi domina, omnes naturæ humanæ inferioris actiones regere ac moderari, ut mox ex S.Bern. audivimus. Quemadmodum enim anima rationalis in homine, tanquam pars superior ac totius suppositi magistra, tenetur omnes corporis ac partis inferioris motus regere & in officio continere, ac ni faciat, peccati conscia est; ita si divinitas in Christo omnes humanitatis motus dirigeret, si permitteret eam à bono vel tantillùm deflectere, à culpa profectò excusari non posset, quam, ut oportuisset, non impedivisset. Cohæret hæc sententia ac sequitur ex iis quæ suprà diximus circa naturam unionis hypostaticæ: eam nempe in eo esse, aut saltem commodè per id exponi posse, quòd natura divina speciale imperium ac dominatum exerceat in omnes humanitatis actiones, quas moderari ac regere tenetur; eo ferè modo quo anima humana tanquam domina suppositi, particeps ac conscia est cujusque actionis hominis deliberatæ. *Sensus corporei*, ait S. Leo Epist. 25. aliàs 11. *vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine deitatis & mentis, nec tenebatur illecebris, nec cedebat injuriis.* T. 1. p. 488.

Dices 1. Hæc Psalmi 21. verba, *Longè à salute mea verba delictorum meorum*. Et ista, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*. Et rursus, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* verba, inquies, ista nonne in animo Christi dejecto & impatienti nævum aliquem seu defectum arguere videntur? Matth. 26. v. 39. Ibid. 27. v. 46.

Resp. absit. Namque Christus nostra delicta, sua esse dicit, quia eorum pœnam in se transtulit: *Dolores nostros ipse portavit*, Isaiæ 53. ver. 4. Quo sensu dixit Apostolus secundæ Cor. 5. v. 21. *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecisse*; id est, hostiam pro nobis se obtulisse. Cùm Christus dixit, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*; non absolutè id postulavit, aliàs *pro sua reverentia exauditus fuisset*: aliunde verò moriendi præceptum lubens acceptaverat, *Oblatus est enim, quia voluit*, Isaiæ 53. v. 7. Humana igitur voluntate mortem naturali instinctu ultro refugiente, hæc dixit Christus, ut nempe se verum demonstraret hominem: *Verumtamen*, addit, *non mea, sed tua voluntas fiat*. Humana scilicet Christi voluntas divinæ semper subdita fuit ac perfectè conformis, ut suprà non semel diximus, ubi de duplici in Christo voluntate & operatione. Verba autem ista, *Quare me dereliquisti?* impatientis aut desperantis hominis non

sunt; exhorrescit animus ad tantam impietatem; sed hominis dolotis sui acerbitatem, ac suæ humanitatis veritatem demonstrantis. Neque enim derelictus fuit Christus quantùm ad superiorem animæ suæ partem, qua Deo intuitivè fruebatur, sed solummodo quantùm ad inferiorem & sensitivam, utpote qui ad finem redemptionis nostræ iis cruciatibus ac doloribus obnoxius esse voluerit. Hanc Arianorum objectionem ita dissolvit S. Epiphanius hæresi 69. n. 64. *Quinam*, inquit, *ex persona divinitatis usurpatum illud est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Restat igitur ut ex humanæ naturæ persona & affectu quodam humano dictum illud videatur; ut Incarnationem non specie dumtaxat adumbratam, sed reipsa verèque administratam fuisse discamus.*

T. 1. p. 790. B.

Dices 2. In hypothesi quæ supponeret humanitatem Christi peccare, peccatum verbo divino imputari non posset, nisi tantùm per denominationem, ut ajunt: actiones enim, ut notum est, non sunt suppositorum effectivè, sed tantùm denominativè; neque magis repugnare videtur, Deum in Christo à peccato humanitatis denominari peccantem, quàm à passione & morte denominari passum & mortuum.

Resp. Esto ita sit, actiones non sint suppositorum nisi denominativè; an patienter ferrent aures christianæ, Deum peccantem aut peccatorem denominari? non certè. Quare? quia divinitatis est, ut diximus, regere ac moderari omnes animæ & corporis Christi actiones: quapropter culpa, si quæ foret, humanitatis, in ipsam divinitatem recideret.

Ad paritatem: longum discrimen est inter defectus physicos seu naturales, & defectus morales: Verbum sibi uniendo humanitatem, eos omnes naturales defectus assumpsit, qui ad opus redemptionis nostræ perficiendum erant necessarii; unde dici meritò potest, passum, mortuum &c. at morales defectus, ignorantia, concupiscentia, peccatum &c. non tantùm in hunc finem inutiles fuissent, sed etiam noxii, & in Christo impossibiles, quia, ut non semel dictum fuit, defectus illi morales ipsimet divinitati imputarentur.

Quæres, an fuerit aut esse in Christo potuerit fomes peccati ac concupiscentia.

Fomes peccati est inclinatio seu propensio ad malum, orta ex primæva labe originali.

Concupiscentia vel sumitur nudè ac simpliciter pro ipso appetitu sensitivo, qui ex natura sua ad res sensibiles tendit, vel pro appetitu vitiato, seu lege membrorum, quæ rationis usum antevertit ac plerumque perturbat, de qua dicebat Apostolus Rom. 7. v. 14. *Scimus quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.* Talis concupiscentia seu peccati fomes pœna est seu effectus, simul & causa peccati; spectari enim potest, vel ut habitualis est, seu propensio ad malum; vel ut actualis, seu actus rationi ac legi Dei contrarius. *Illa est pœna peccati*, ait S. Augustinus L. 2. de nupt. & concup. c. 9. *illa plaga vestigiumque peccati, illa illecebra fomesque peccati, illa lex in membris repugnans legi mentis, illa ex nobis ipsis adversùs nos ipsos inobedientia justissimo reciprocatu inobedientibus reddita. Hujus nos pudet, & meritò pudet.*

T. 10. p. 312. D.

Resp.

Resp. igitur, in Christo Domino non fuisse, nec esse potuisse fomitem peccati ac concupiscentiam, quæ lex membrorum dicitur.

Ratio manifesta est ex jam dictis, quia nullum in Christo fuit, nec esse potuit peccatum; ergo nec fomes peccati, nec concupiscentia quæ ex peccato profluit. *Vivificatis igitur mortalibus corporibus nostris*, ait S. Augustinus L. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 11. *non solùm ad peccandum consensio nulla erit, sed nec ipsa cui non consentiatur carnis concupiscentia remanebit. Quam spiritui resistentem non habere in carne mortali, ille tantummodo homo habuit, qui non per ipsam ad homines venit.* id est, qui non communi cæterorum hominum via natus est, sed ex virgine, divino Spiritu specialiter operante. Unde idem S. Doctor L. 4. Operis imperfecti n. 48. docet Christum humanas suas affectiones in sua potestate semper habuisse, nec ullam expertum fuisse indeliberatam, quæ rationem suam anteverteret, aut turbaret. Quapropter si quando horrore mortis turbata dicitur ejus anima, conturbatio illa voluntaria fuit ac deliberata, quam in seipso volens excitavit, ut se verum, non phantasticum hominem demonstraret. *Infremuit spiritu, & turbavit semetipsum*. Joan. 11. v. 33. Unde S. Augustinus mox citatus L. 4. Operis imperfecti n. 47. ait: *Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit*. Et n. 58. *Si igitur Christus abstinuit à peccato, ut abstineret etiam ab omni cupiditate peccati: non ut ei existenti resisteret, sed ut illa nunquam prorsus existeret.*

Ibid. p. 422. E.

Ib. p. 1. 61.

Ibid. A.

Ibid. p. 1168. F.

At, inquies, tentatus est Christus. Ita est: à diabolo tentatus fuit, quia permisit; non verò à propria sua concupiscentia. Egregiè id exponit S. Greg. Magnus Hom. 16. in Evangelia, his verbis. *Nos cùm tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus unde certamina toleremus. Deus verò, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed in ejus mentem peccati delectatio non momordit; atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris non intus fuit.*

T. 1. p. 1392. D.

De libertate Christi.

Qua ratione conciliari illa possit cum ejus impeccantia.

Jamdiu Theologos exercet ista quæstio & diu procul dubio adhuc exercebit, adeo intricata est & involuta. Certum autem ac exploratum istud omnibus videri debet, Christum subeundo mortem, & sibi & nobis meruisse per veram obedientiam. *Humiliavit enim semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Si autem meruit, liber fuit. Qua porrò ratione & moriendi præceptum à Patre impositum, & liberam ac meritoriam Christi obedientiam, cum ejus impeccantia conciliari possit, vix exponi potest. Quippe vel liber non fuit, si non potuit mandatum Patris non observare; vel peccati non incapax, si illud violare potuit. Utrumque tamen verum est, & liberum fuisse Christum, & non potuisse Patris mandato non obedire. Ut nodum illum intricatissimum pro more Scholæ solvamus,

Philipp. 2. v. 8.

impeccantia, cùm multi sint jam penitus obsoleti, nec ullos ferè jam defensores habeant. Præcipuos dumtaxat ac magis vulgatos proponemus.

Primus modus.

Primus difficultatem propositam solvendi modus est, stante quidem præcepto de subeunda morte, Christum in sensu composito non potuisse non mori; liberum nihilominus fuisse, quia absolutè & in sensu diviso potuit non mori: necessitas quippe consequentiæ, ut ajunt, non officit libertati, sed tantùm necessitas consequentis. — Christus liber non in sensu composito, sed diviso.

Verùm hic explicandi modus, præter subobscuram sensus compositi & divisi significationem, gravissimam difficultatem patitur: siquidem hypothesis seu suppositio antecedens, quæ voluntatis consensum antecedit, & tollit potentiam ad oppositum, tollit quoque libertatis indifferentiam. Talis porrò fuit impeccantia Christi orta tùm ab unione hypostatica, tùm à beatifica visione: stare quippe cum illis non potest libera & expedita ad malum, seu ad non obediendum præcepto divino potentia. — Rejicitur.

Nec dicas, unionem hypostaticam non immutare modum operandi voluntatis, nec principium proximum, quia nihil illa effectivè producit. Esto; at id certum, vi unionis illius hypostaticæ Christum peccati prorsus incapacem fuisse; ergo illa stante, non potuit non observare mandatum Patris de subeunda morte; ergo liber non fuit. Deinde visio beatifica, qua fruebatur Christus, in omnium sententia immutat modum operandi, ac physicè determinat ex parte principii ad servanda præcepta; ergo non fuit in Christo potentia ad ea non observanda.

Addunt aliqui, determinationem quæ ab impeccantia Christi petitur, physicam non esse, sed moralem tantùm, ortam scilicèt à mediis infallibiliter quidem, sed non necessariò determinantibus. Verùm quidquid sit de illis mediis, certum est, ex unione hypostatica & beatifica Dei visione physicam oriri peccandi, ac consequenter non observandi Dei mandata impotentiam.

Secundus modus.

Existimant multi è Recentioribus post Vasquesium, Christum liberum fuisse circa præcepta, quia licèt omittere non potuerit objectum præcepti, velùti genericè consideratum, & quantùm ad substantiam, v.g. mortem; attamen liber fuit non solùm circa mortis circumstantias, sed etiam circa interiores actus subeundæ mortis, & circa hoc vel illud motivum exequendi præcepti: hæc quippe omnia Christo imperata non fuere, sed ejus arbitrio relicta. Probant exemplo Martyrum, qui, sicut & cæteri homines, licèt necessariò sint aliquando morituri, merentur tamen liberè anticipando mortem quam à Tyrannis patiuntur. — Christus liber circa circumstantias, non circa substantiã præcepti.

Verùm hic expositionis modus istud incommodi habet, quòd si Christus ad substantiam mortis imperatæ liber non fuit; nec per eam meruit, nec verè in obeunda morte fuit obediens, quod Scripturæ consentire non videtur. Exemplum Martyrum ad rem nostram aptum non videtur: quia licèt omnibus hominibus statutum sit semel mori, non tamen nobis determinatum est — Rejicitur.

mortis tempus; ac spes ulteriùs prorogandæ vitæ affulgere potest: quapropter Martyres mortem anticipando, & isti spei renuntiando, veri meriti laudem habent, ac præmium reportant.

Tertius modus.

Christus verum non habuit moriendi mandatum. De Incarn. disp. 16. sect. 8. pag. 395.

Facilis ille quidem est, sed singularis. Ajunt scilicet nonnulli, Christo impositum non fuisse præceptum mortis obligans sub peccato, *sed solum præceptum, seu mandatum Dei, quatenus extenditur* (ait Cardinalis de Lugo hanc opinionem referens) *ad ordinationem, directionem & regulam Superioris potentis obligare sub peccato, non tamen obligantis*: sicut Regulæ Religionum, & Ordinationes Prælatorum diriguntur ad subditos, & tamen regulariter non obligant sub peccato; sunt verò materia obedientiæ, & quidem perfectioris obedientiæ, ut docet S. Thomas secunda secundæ q. 104. art. 2. in corp. his verbis: *Voluntas Superioris, quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum; & tantò videtur obedientia perfectior, quantò expressum preceptum obediendo prævenit, voluntate Superioris intellecta*. Juxta quam doctrinam postea art. 5. ad 3. explicat tres gradus obedientiæ. *Sic ergo*, inquit, *potest triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his ad quæ obligatur; alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis; alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit*. Sententiam hanc, teste Cardinali de Lugo, sequuntur Victoria, Medina, Lorca, Paludanus, Albertus Magnus &c.

Rejicitur.

Iste modus exponendi ac conciliandi libertatem Christi cum ejus impeccantia, facilis quidem est, ut diximus; at planè singularis, in eo quòd supponat nullum verè obligans moriendi præceptum Christo impositum fuisse: sed manifestè repugnat Scriptura. Joan. 10. v. 17. & seq. *Ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterùm sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo*. Duo hìc apertè declarat Christus; & mandatum moriendi quod à Patre accepit, & suam in moriendo libertatem. Et cap. 12. v. 49. *Ego ex meipso non sum locutus: sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar*. Et cap. 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Philipp. v. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per unius obeditionem justi constituuntur multi*. Obedientia porrò mandatum, cui obeditur, respicit; & qui negant verum Christo impositum fuisse præceptum, veram & in ipso obedientiam, ejusque laudem ac meritum negant.

Quartus & verisimilior modus conciliandi libertatem Christi cum imposito moriendi mandato, ejusque impeccantia.

Quartus ille modus duo continet.

Primum, Christum verè liberum fuisse, non tantùm circa circumstantias, sed etiam circa substantiam ipsam mortis crucis.

Alterum, libertatem Christi tum cum mandato Patris de subeunda morte, tùm

tùm cum sua peccantia in eo conciliari, quòd moriendi mandatum non fuerit absolutum, & à libero Christi illud acceptantis consensu omnino independens, sed conditionatum, si nempe vellet Christus illud acceptare, quod reipsa volens ac lubens acceptavit: quæ duo duplici Conclusione conficienda sunt.

PRIMA CONCLUSIO.

Christus verè liber fuit, non tantùm circa circumstantias imperatæ mortis, sed etiam circa mortem ipsam.

Probatur 1. testimonio Scripturarum. Isaiæ 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*. Joan. 10. v. 17. *Ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso*; & alia quæ paulò antè laudata sunt. Philipp. 2. v. 8. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Non tantùm de circumstantiis mortis hìc agitur, sed de morte ipsa, & morte quidem crucis.

2 Ille verè liber fuit circa mortem ipsam, non verò tantùm circa mortis adjunctas circumstantias, qui morte ipsa, seu proprio suo sanguine, & sibi, & nobis meruit: sibi, nominis exaltationem; nobis, salutem æternam. Hebr. 5. v. 9. *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Philipp. 2. v. 8. & 9. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... Propter quod & Deus exaltavit illum; & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. Ephes. 1. v. 7. *In quo* (Christo) *habemus redemptionem per sanguinem ejus in remissionem peccatorum*. Primæ Petri 3. v. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo*. Alia sexcenta sunt hujusmodi, quæ omittimus, testimonia. Porro si morte ipsa meruit Christus, liber fuit in ea subeunda, quam potuisset non subire; nullum quippe sine libertate meritum. Caveant igitur, ne dignitatem, pretium ac meritum mortis Christi pro nobis elevent, quicumque asserunt, necessitate præcepti, vel propriæ suæ naturæ compulsum Christum ad mortem; ac liberum dumtaxat illum fuisse circa quasdam mortis circumstantias. *Si naturæ necessitate*, ait S. Greg. Nyssen. Orat. 11. adversùs Eunomium, *beneficium Incarnationis à Filio hominibus factum esse dicunt, nullam omnino gratiam habent; quia non ad liberam & absolutam potestatem, sed ad naturalem necessitatem, quod factum est, referunt*. T. 2. p. 291. C.

3. Si liber non fuit Christus circa mortem ipsam subeundam vel non subeundam, alterutrum sequitur, aut nullam in ipso fuisse obedientiæ virtutem, aut nullum ejus meritum. Ratio aperta est: quia vel Christus verum accepit à Patre moriendi mandatum, vel non: si non accepit, obedientiæ locus non fuit; si verò accepit, liber non fuit ex adversa opinione; ergo non meruit. Circa verò circumstantias mortis, quæ sub præcepto injunctæ Christo non fuerunt, liber quidem fuit Christus ac meruit; at obediens propriè non fuit, quia nullum de illis præceptum habuisse dicitur, quod tamen obedientia præsupponit. Ergo ex adversa sententia sequitur, aut nullam in Christo fuisse obedientiæ laudem, aut nullum meritum: utrumque autem falsum & absurdum est.

4. In

4 In communi hominum judicio nusquam ille simpliciter ac sponte mortem obire æstimatur, qui Judicis sententia ad suspendium v.g. damnatus, locum tamen & horam supplicii eligere potest.

Probatur 2. auctoritate SS. Patrum.

S. Joan. Chrysostomus Hom. 28. in Epist. ad Hebr. ad ista verba, Edit.Cō-mel. p. 1934. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta*, sic habet: *Hoc est, licebatei nihil pati, si voluißet. Neque enim pecca tum fecit, neque inventus est dolus in ore ejus... Erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem.*

T. 2. p. 543. B. S. Ambrosius L. 4. de fide cap. 10. aliàs 5. *Sicut*, inquit, *potestatis suæ esse significat ponere animam, & liberæ voluntatis; ita etiam quòd secundùm mandatum deposuit Patris, sua ac paternæ voluntatis significat unitatem.*

Ibid. p. 626 F. Et L. 1. de Spiritu sancto c. 12. *Tradidit ergo Pater Filium; & ipse Filius se tradidit .... Tradidit* (Pater) *volentem, tradidit offerentem.*

T. 10. p. 138. E. S. Augustinus L. de natura & gratia c. 24. *Illi*, inquit, *etiam nasci, potestas misericordiæ, non conditio naturæ fuit; sic etiam mortuus ex potestate, & hoc est pretium nostrum.*

T. 4. p. 1014. E. Et in Psal. 93. *Tristitiam sic assumpsit, quomodo carnem... voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem.*

Ibid. F. T. 8. p. 821. D. L. denique 4. de Trinitate c. 13. *Qui posset*, ait, *non mori, si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est.*

T. 1. p. 293. c. 2. S. Leo Serm. 17. de Passione. *Tradi Dominum passioni*, inquit, *tam fuit paternæ, quàm ipsius voluntatis: ut enim non solùm Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione.*

P. 90. col. 2. B. Denique S. Anselmus L. 2. Cur Deus homo cap. 10. *Video*, inquit, *hominem illum planè, quem quærimus, talem esse oportere, qui nec ex necessitate moriatur, quoniam erit omnipotens; nec ex debito, quia nunquam peccator erit, & mori possit ex libera voluntate.*

Probatur denique ratione: Quia Christo vero homini neganda non est proprietas seu appendix naturæ humanæ, qualis est libertatis indifferentia, non quidem contrarietatis, qua possit malum, sed contradictionis, qua possit hoc vel illud bonum, ex hoc vel illo motivo. At, inquies, quomodo hæc Christi libertas cum mandato Patris de subeunda morte, & ipsa Christi impeccantia stare ac conciliari potest? Resp. id sequenti Conclusione à nobis exponendum esse.

SECUNDA CONCLUSIO.

Libertas Christi in obeunda morte, tum cum mandato Patris mortem imperantis, tùm cum ipsamet Christi impeccántia, in eo conciliari rectè potest, quòd moriendi mandatum absolutum non fuerit, & à libero Christi illud acceptantis consensu omnino independens, sed conditionatum, si nempe vellet Christus illud acceptare, quod reipsa volens ac lubens acceptavit.

Probatur & explicatur Conclusio ex doctrina SS. Patrum. Duplex scilicet in Christo fuit voluntas, divina & humana: sed ex utraque Christus liberè se subjecit mandato Patris de subeunda morte.

Quan-

Quantùm ad divinam Christi voluntatem, nullum dubium esse potest: una quippe ac indivisa est Patris & Filii divina voluntas, sicut una & indivisa natura divina; unde qua libertate Pater Filii sui mortem decrevit, eadem prorsus & Filius moriendi legem sibi imposuit.

Hanc voluntatis Patris & Filii unitatem afferunt imprimis SS. Patres, ut inde probent Christum nulla inductum antecedente necessitate, sed propria voluntate ac libertate mortem subiisse. Ita

S. Cyrillus Dial. 5. de Trinit. *Nemo dixerit*, inquit, *Filium in aliam, quàm Patris voluntatem abire, & in aliud ferri quàm quod Patri placuerit, sed eum jure potiùs existimaverit eadem cum ipso sentire ac velle, præsertim cùm ex ipso & in ipso secundùm naturam sit & intelligatur.* T. 5. p. 1. p. 585. B.C.

S. Basilius Libro de Spiritu sancto cap. 8. ad ista verba, *Et quemadmodum mandavit mihi Pater, sic facio; Non quòd*, inquit, *caruerit libero arbitrio ..... neque quòd ex signis ab imperante datis occasionem expectavit; sed ut declaret suam mentem per naturæ unitatem & indivulsum consensum cum Patre conjunctum esse.* Edit. vet. T. 2. p. 162. B.

S. Augustinus in Psal. 32. Enarrat. 2. *Quid*, ait, *posset aliud velle Christus) quàm Pater? Quorum una est divinitas, non potest esse dispar voluntas.* T. 4. p. 188. F.

Atque hinc SS. Patres inferunt

I. mandatum Patris de subeunda morte, propriè ac strictè mandatum non esse respectu Christi, quatenus Deus est, sed voluntatem Patris fuisse à Christo mandati nomine nuncupatam, ut more nostro loqueretur. Ita

S. Cyrillus L. 10. in Joan. *Habes igitur*, inquit, *in subjectione voluntaria voluntatum Patris adimpletionem, quas loco mandatorum Filius apud se esse ait. Nam cùm Patris consilia, ut Verbum intelligat, ejusque profunda scrutetur, imò verò cùm sit sapientia & virtus Patris, voluntatem ejus ad opus perducit, mandati loco eam habens, atque ita humano more eam nuncupans.* T. 4. p. 882. C

S. Basilius loco mox citato ex L. de Spiritu sancto, post citata verba, *Proinde*, inquit, *quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio velut obedienti præscribentem quid facere debeat; sed juxta sensum Deo dignum intelligamus voluntatis traditionem, instar formæ cujuspiam in speculo relucentis, à Patre in Filium sine tempore dimanantem.* Edit. vet. T. 2. p. 162. C.

S. Augustinus L. 2. contra Maximinum c. 14. probat ex isto præcepto Patris quod Christo datum est, nihil posse inferri in favorem ac præsidium erroris Maximini, *Quia*, inquit, *si ut homo illud accepit; nulla quæstio est, quia, ut homo, est Patre minor, si ut Deus, non hinc ostenditur minor, quia nascendo id accepit non indigendo.* T. 8. p. 709. A.

II. Inferunt causam cur Christus supposito Patris mandato mori non potuerit, esse ipsius immutabilem, qua fit ut non possit non velle, quod semel voluit. *Cùm dicimus*, ait S. Anselmus L. 2. Cur Deus homo c. 18. aliàs 17. *quia homo ille qui secundùm unitatem personæ idem ipse est qui Filius Dei Deus, non potuit non mori, aut velle non mori, postquam de Virgine natus est, non significatur in illo ulla impotentia ..... sed immutabilitas voluntatis ejus, qua se sponte fecit ad hoc hominem, ut in eadem voluntate perseverans moreretur, & quia nulla res potuit illam voluntatem mutare.* Quamquam, ut mox dicemus, ratio illa ducta ex immutabilitate, omnino decretoria P. 94. col. 1. A.

& pe-

& peremptoria non sit, quia potuisset Christus sine ullo mutationis vitio, simul & velle mori, & postea petere dispensationem à morte.

Quantùm verò ad humanam voluntatem, Christus homo imperatam à Patre mortem liberè acceptavit, quam quidem poterat non acceptare, cùm non absolutè, sed sub conditione tantùm liberæ ipsius acceptationis, imposita fuisset, à qua, etiam post acceptationem, dispensare se potuisset, si voluisset, sed noluit. Unde Matth. 26. v. 53. ad Petrum dixit: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plùs quàm duodecim legiones Angelorum?* Liberam autem illam mortis acceptationem probant SS. Patres, tùm ex perfecta conformitate voluntatis humanæ Christi cum voluntate Patris, qua id omne planè voluit, quod Pater; tùm ex ipsa persona Verbi, quæ cùm humanam voluntatem regeret ac moderaretur, fieri non potuit ut quædam oppositio & contrarietas fuerit inter voluntatem divinam & humanam in Christo. Ita S. Joan. Damasc. L. 3. de fide c. 14. 15. & 18. ubi postquam disertè probavit duplicem esse in Christo voluntatem, sic T. 1. p. 241. C. pergit cap. 18. *Et enim cùm mortem detrectaret, hanc divina ipsius voluntate ita ferente & concedente, naturaliter detrectabat, atque in mortis agonia erat. Rursus divina ipsius voluntate volente ut humana voluntas mortem amplecteretur, voluntaria ipsi passio fuit. Non enim quà Deus dumtaxat morti se sponte tradidit, sed etiam quatenus homo.*

P. 95. col. 2. Et S. Anselmus L. 2. Cur Deus homo cap. 18. aliàs 19. *Quoniam*, inquit, *ipse est Deus & homo, secundùm humanam quidem naturam, ex quo fuit homo, sic accepit à divina natura, quæ alia est ab humana, esse suum quicquid habebat; ut nihil deberet dare, nisi quod volebat: secundùm personam verò, sic à se ipso habebat quicquid habebat, & sic perfectè sibi sufficiens erat, ut nec alii quicquam retribuere deberet; nec, ut sibi retribueretur, dare indigeret.*

Dices 1. Si moriendi præceptum absolutum non fuisset, sed conditionatum à libero Christi acceptantis consensu dependens, ut quid conqueritur Christus se derelictum esse? ut quid postulat ut à se transeat calix passionis? Siquidem illum liberè acceptavit, ex nobis, ac liberè potest se ipsum ab illo dispensare: inutiliter postulat, quod in sua habet potestate. Præterea, qualecumque fuerit illud mandatum, vel absolutum, vel conditionatum, non potest ejus dispensatio postulari absque præjudicio immutabilitatis sive Dei Patris, sive Christi: si enim absolutum supponatur, impossibile est illud revocari à Deo planè immutabili; nec postulari istud potest, nisi supponatur Deum mutari posse, & aliquando illum nolle quod antea voluit: si verò supponatur conditionatum & à Christo acceptatum, ut nos supponimus, quomodo posset Christus sine vitio mutationis, nolle subinde acceptare & exequi, quod antea supponitur liberè acceptasse, ac exequi decrevisse?

Resp. 1. cum S. Augustino in Psal. 32. Christum conqueri se derelictum, & mortis timorem exteriùs declarare voluisse, ut humanam suam naturam & voluntatem demonstraret: quapropter humano more, ut se nobis T. 4. p. 188. G. accommodaret, locutus est. *Ex persona hominis*, ait sanctus Doctor, *transfigurans in se suos, ostendit quandam hominis propriam voluntatem.* Et S. Leo Ser. 5. de Passione Domini, ad ista verba, *Transeat à me calix iste. Non sicut* T. 1. p. 254. c. 2. *ego volo, sed sicut tu &c. Prima petitio*, inquit, *infirmitatis est, secunda virtutis. Illud optavit ex nostro, hoc elegit in proprio. Nec enim æqualis Patri*

Filius

Filius omnia esse possibilia Deo nesciebat, aut ad suscipiendam crucem sine sua in hunc mundum descenderat voluntate. Hæc igitur Christi petitio absoluta non fuit, sed conditionata, quæ ab appetitu sensitivo mortem refugiente ortum trahebat, quæ tamen divinæ voluntati semper conformis & consentiens fuit.

Resp. 2. falsò supponi non posse Deum sine mutationis vitio, aut legem ferre & ab ipsa subinde dispensare; pariter non posse Christum petere dispensationem à lege, quam liberè acceptavit: utrumque enim sine labe ulla mutationis ex parte Dei vel Christi stare potest; quia scilicet qui legem tulit, simul statuit à lege dispensare. Ita legem illicitæ proligamiæ tulit Deus, à qua tamen dispensavit. Ita Christus liberè acceptando legem moriendi, simul facultatem sibi servavit, petendi, si vellet, dispensationem ab illa lege; nec tamen propterea quid minùs rectum fecisset, si postulasset dispensationem, seu legis revocationem. Nonne Loth, Gen. 19. post impositum sibi à Deo præceptum fugiendi in montem, petiit dispensationem ut liceret sibi fugere in civitatem Segor? Nonne Moyses, Exodi 3. & 4. & post impositum sibi à Deo præceptum educendi filios Israel ex Ægypto, petiit semel & iterum dispensationem seu revocationem illius præcepti? Nonne Deus ipse post prohibitam polygamiam, dispensavit cum Abrahamo & aliis Patriarchis ut possent simul plures ducere uxores, sicut communiter docent Theologi cum Bellarmino L. 1. de matrimonio c. 11. Quamquam Objectio non est ad rem nostram: namque de facto dispensationem ab imposita moriendi lege, nusquam Christus postulavit; & alium planè sensum ingerunt ejus verba relata in Objectione.

Dices 2. Tenebatur Christus ex præcepto naturali charitatis, mori pro redemptione generis humani, atque præceptum illud absolutum fuit, à quo nulla dari potest dispensatio; ergo circa præcepti hujus substantiam Christus liber non fuit, sed ad summum circa varias illius circumstantias.

Resp. nego ant. Ex summa quidem charitate voluit Christus homo fieri, ut hominem perditum liberaret: at nullo ad id naturali, sed positivo duntaxat præcepto obstrictus obligabatur; siquidem etiam alia, quàm mortis, via potuisset Deo Patri satisfacere.

Instabis. At tenebatur Christus ad id quod optimum est: sed optimum est velle ex charitate hominem salvum facere.

Resp. Christum, sicut & Deum, non teneri semper ad id quod optimum est absolutè, sed tantùm relativè, & appositè ad opus & ad finem sibi præfixum. Vide quæ hanc in rem diximus cùm de necessitate Incarnationis.

An fuerint in Christo humanæ naturæ passiones.

Jam ex antè dictis satis superque innotescere potest, fuisse in Christo defectus naturales corporis, easque passiones animæ, aut appetitus sensitivi, quæ ex se nullum moralem defectum important. Sit itaque

CON-

QUÆSTIO DUODECIMA.

De variis Christi titulis & officiis.

I.

An Christus dici possit filius Dei adoptivus.

Filius alius naturalis dicitur, alius verò adoptivus.

Naturalis ille est, cui jure nativitatis & sanguinis paterna hæreditas debetur: adoptivus verò ille dicitur, qui tantùm per assumptionem & gratiam ad hæreditatem vocatur; unde Jurisconsulti adoptionem definiunt, *personæ extraneæ gratuitam acceptationem ad hæreditatem.*

Octavo sæculo exeunte, Felix & Elipandus, hic Toletanus, ille Urgelitanus Episcopus, docuerunt Christum esse filium Dei adoptivum. Proscriptus error ille fuit an. 791. in Concilio Forojuliensi, Præside Paulino Aquileensi Episcopo, & ann. 792. in Concilio Ratisbonensi; præsertim verò in Francofordiensi anno 794. quod Carolus Magnus, ex omnibus Imperii sui partibus, annuente Adriano Summo Pontifice, convocavit.

Jam sexto sæculo erroris hujus semina sparserat Facundus Hermianensis Episcopus L. 9. c. 5. pro defensione trium Capitulorum, ubi Theodorum Mopsuestenum excusat, quòd dixisset Christum hominem adoptionem filiorum suscepisse, quando circumcisus & baptizatus fuit: *Sicut*, inquit, *natura Filius Dei est, propter veram deitatem; ita gratia Filius Dei est propter veram humanitatem.* P. 144. P. 145. B. C.

Errori occasionem primus octavo sæculo dedit Elipandus, à quo Felix per Litteras consultus, an Christus adoptivus Dei filius dicendus foret, respondit & dici posse ac debere. Rem sic narrat Eginhardus ad an. 792. Felix, inquit, ab Elipando consultus quid de humanitate Christi Domini sentiret, an secundùm quòd homo est, proprius an adoptivus Dei filius dici debeat, valdè incautè atque inconsideratè & contra antiquam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solùm pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris pertinacissimè pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Hujus rei causa ductus ad Palatium Regis qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem, in qua & hyemaverat, residebat, ubi congregato Episcoporum Concilio auditus est & errasse convictus, ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso in Basilica Beati Petri Apostoli hæresim confessus est atque abdicavit: quo facto ad civitatem reversus est. Ibi autem cùm ad vomitum, instigante Elipando, Felix rediisset, celebrata est Francofurti Synodus, in qua proscriptus ille iterum fuit ac damnatus.

Duplici autem modo defendi potest error ille. Primus Nestorianus est, qui cùm asserat duas esse in Christo personas, Christum & persona & natura filium Dei adoptivum agnoscit: secundus limitat ac restringit titulum filii adoptivi ad unam humanitatem. Ita Durandus L. 3. dist. 4. q. 1. docet Christum ratione naturæ humanæ dici posse filium adoptivum Spiritus sancti, à quo humanitas Christi gratiam accepit, per quam obtinetur adoptio filiorum Dei.

Quo

Quo porrò sensu Felix & Elipandus dixerint Christum filium esse Dei adoptivum, an Nestoriano, an alio, non satis apertum videtur. Ratio dubitandi hæc est, quia ex una parte videntur duo illi Episcopi unicam in Christo personam agnovisse, quæ ratione humanitatis dicitur filius Dei adoptivus. 1. quia Felix in sua fidei confessione quæ refertur à Paulino L. 1. adversùs eum, profitetur unum & eundem esse Dei & hominis filium, non duos filios. Revera ibidem observat Paulinus, in hac recta fidei confessione firmum ac constantem non fuisse hunc Episcopum. 2. Quia Adrianus S. P. in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, de illo Felicis & Elipandi errore verba faciens, eorumque fundamenta confutans, hoc unum videtur referre, Christum nempe propter humanitatem, non propter humanam personam, adoptivum Dei filium posse nuncupari. Re ipsa S. P. ostendit ex dogmate illo consequens esse, humanam in Christo reperiri personam; sed arguendo dumtaxat & illativè, ut ajunt, istud colligit S. P. non autem asserit hanc fuisse illorum Episcoporum mentem ac sententiam. 3. Patres Francofordienses in sua Synodica Epistola ajunt, errorem quem notat, novum & inauditum esse in Ecclesia: quo satis apertè innuunt, errorem illum alium esse ab errore Nestorii.

T. 7. Con. p. 1014. & seq.

Ibid. p. 1045. D

Ex altera tamen parte multa sunt, eaque gravissima momenta, quæ duos illos Præsules nestoriani erroris reos accusant. 1. Quia in Libello Sacrosyllabico Paulini, dicuntur quidem illi duo Episcopi *novi hostes; at veternosa fæce perfidiæ polluti*. 2. In Epistola Synodica Concilii Francofordiensis eorum hæresis in Nestorio jam damnata dicitur; & redarguuntur illi, quòd Nestorio anathema dicere recusaverint, idemque intelligerent nomine *adoptionis*, quod Nestorius nomine *copulationis*. 3. Jonas Aurelian. L. 1. de cultu imaginum, ait Felicem idem cum auctore sui erroris Nestorio sensisse quem secutus est, sensisse. 4. Agobardus in Libro adversùs Felicem, narrat se Felicis, qui tunc è vivis excesserat, schedulam invenisse, in qua contestabatur, Deum Dei Patris filium nullatenus dici debere passum, aut crucifixum, sed hominem ab eo assumptum. Addit ibidem Agobardus, hanc ipsam fuisse Nestorii sententiam. Quapropter Patres Francofordienses in Epistola Synodica observant, in mente Felicis & Elipandi Christum hominem ex servo adoptatum fuisse in filium: unde sequitur Christum priùs hominem purum & servum creatum fuisse, ac deindè ad dignitatem filii evectum. Denique Alcuinus L. 1. contra Felicem, Paulinus Aquileensis L. 1. contra eundem, Sigebertus in Chronico ad ann. 793. observant, in sententia eorum Præsulum duas fuisse in Christo personas, duos filios.

Ibid. p. 1044. A. B.

Bibl. PP. T. 14 p. 168. D.

Ib. p. 243. & seq.

T. 7. Con. p. 1033. D.

Hoc itaque pendente dubio, (si dubium esse potest) quis nempe verus fuerit Felicis & Elipandi sensus, duo hæc certa & explorata hic sunt.

Primum, duos illos Episcopos, cæterorum Hæreticorum more, ita mentem suam ambiguitate verborum & arte multiplici involvisse, ut vix liquidò eorum sensus dignosci possit.

Alterum, S. Pontificem Adrianum & Concilium Francofordiense simpliciter & absolutè damnasse propositionem istam, *Christus ut homo filius est adoptivus*; quidquid tandem per *hominem* intelligatur, sive persona, sive natura: ita certè ut etiam sub restrictione seu expressa limitatione humanæ naturæ, non liceat Christum filium Dei adoptivum appellare. Peccarunt igitur Scotus, & Durandus. Iste, cùm scripsit Christum dici posse filium adoptivum,

tivum, non quidem simpliciter & absolutè, sed *secundùm humanitatem, vel prout homo est*. Ille verò, dum in 1. dist. 6. q. 1. in Reportatis, eadem dist. q. 1. concedit quidem id dici posse; at non expedire ut dicatur, propter Hæreticos, qui hac denominatione abutuntur. Itaque sit.

CONCLUSIO.

Christus nulla ratione, nequidem sub expressa humanitatis restrictione, dici debet filius Dei adoptivus.

Probatur invicto ex Scripturis argumento. Christus est unigenitus Dei Filius, ex dictis contra Nestorium; *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit*. Joan. 1. v. 18. Sed idem unigenitus Filius, est quoque filius proprius, verus, filius naturalis. Psalm. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Matth. 3. v. 17. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*. 1. Joan. 5. v. 20. *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio ejus*. Rom. 8. v. 32. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*. Quo in loco, ut observat Adrianus S. P. in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, Christus proprius filius vocatur secundùm eam ipsam naturam qua traditus fuit, id est humanam; ergo Christus nequidem sub expressa restrictione humanitatis, dici potest filius adoptivus; aliàs duo admittendi essent filii, unus naturalis, adoptivus alter: at hic ipse fuit Nestorii error. *T. 7. Conc. p. 1015. C. D.*

Probatur 2. auctoritate Traditionis SS. Patrum. Unum aut alterum hìc laudamus.

S. Hilarium L. 3. de Trinit. ubi de Christo incarnato jam morituro ait: *Hic & verus & proprius est filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione*. Et L. 6. ex istis verbis: *Hic est filius meus &c.* ait, *Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum ab Apostolis creditum, non ex nuncupatione, sed ex natura; neque ex adoptione, sed ex nativitate*. *P. 813. D. P. 900. C.*

S. Augustinus Tract. 7. in Joan. *Oportebat*, inquit, *ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii, ministri sunt Unici: Unicus habet potestatem, adoptati ministerium*. Africani Præsules in Libello emendationis Leporii, *In hoc*, inquiunt, *maximè fides nostra consistit, ut credamus unicum filium Dei, non adoptivum, sed proprium*. *T. 3. p. 2. pag. 343. D. Bibliot. PP. T. 7. p. 2. H.*

Plura ex traditione hic non congerimus testimonia, quæ accuratè ac diligenter prolata & expensa sunt à Patribus Concilii Francofordiensis, à fraudibus hæreticorum ea inverecundè truncantium vendicata fuere: qua rectè inspecta & probata traditione, iidem Patres in sua Synodica Epistolâ sic loquuntur: *Quisquis es qui Christum prædicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset voluissem scire: ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchæ nescierunt, Prophetæ non dixerunt, Apostoli non prædicaverunt, sancti Tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores fidei nostræ non docuerunt*. Et postea objectionem occupant. *Dices: Cur times adoptivum Christum Dominum nominare? Dico tibi, quia nec Apostoli eum sic nominaverunt, nec sancta Dei & Catholica Ecclesia consuetudinem habuit sic eum appellare, imò nec credere eum adoptivum esse, sed proprium Filium, juxta præcedentia Apostolorum testimonia & SS. Doctorum* *T. 7. Conc p. 1043. B. Ibid. D.*

Ibid. p. 1044. C. dogmata. Denique sic concludunt: *Quid est aliud dicere eamdem Virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illum genuisse? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus sed filius, quia alia persona est proprii filii, alia adoptivi filii servi: & scimus unam esse personam in Christo Deo.* Ex quibus postremis Concilii verbis hæc decretoria ratio deducitur: Adoptio cadit in personam extraneam, quæ non ex origine ac natura, sed favore ac gratia vocatur ad hæreditatem: atqui nulla est in Christo Domino extranea persona, sed unica, eaque divina, quæ à natura sua & origine jus habet ad hæreditatem paternam seu cœlestem; ergo Christus nulla ex parte est, aut dici potest filius adoptivus.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Nonnulli è Veteribus, ut Irenæus, L.3. adversùs hæreses cap.21. Theodoretus Dial.1. Hilarius L.2. de Trinit. August. L. de prædest. SS. c.15. adoptionis nomine utuntur, cùm agunt de Christo.

Resp. sensum illorum hunc esse, naturam humanam gratis & absque ullis antecedentibus meritis adoptatam fuisse, id est assumptam ad unionem hypostaticam cum Verbo. Non de persona Christi loquuntur citati Scriptores, sed de natura: neque enim persona hominis, sed ejus natura à Verbo assumpta fuit, & quidem gratuitò ex mera Dei liberalitate; quæ assumptio, adoptio dicitur, sensu longè diverso ab eo de quo hic controversia movetur.

Objicies 2. Ubi est causa & ratio formalis adoptionis, ibi etiam agnoscenda est adoptio, saltem cum restrictione humanæ naturæ: atqui est in Christo causa & ratio formalis adoptionis, nempe humana natura, & habitualis gratia. Namque vel humanitas est ratio formalis filiationis naturalis; vel filiationis adoptivæ: at prius dici non potest; ergo &c.

Resp. nego min. Ratio quippe formalis, seu potius fundamentum filiationis est ipsa persona, ex mox dictis, non natura: gratia quidem habitualis in persona extranea, qualis homo est, fundamentum est adoptivæ filiationis; at non in persona intranea, qualis est homo Christus: imò potius gratia habitualis derivatur ex ipsamet persona, seu ex hypostatica unione humanæ naturæ cum Verbo.

Instabis 1. Vel Christus quatenus homo filius est adoptivus, vel filius naturalis: atqui quatenus homo filius non est naturalis. Filiatio etenim naturalis fundatur in generatione, seu in substantia quam filius à patre per veram generationem acceptam habet: atqui Christus quatenus homo ex substantia Dei per veram generationem non prodiit; ergo non est filius naturalis; ergo filius est adoptivus.

Resp. 1. nego maj. Reduplicatio enim ista, *quatenus homo*, vel humanam personam denotat, vel humanam naturam: si prius, certum est ex fide, humanam in Christo non esse personam: si posterius, humanitas fundamentum non est filiationis aut naturalis, aut adoptivæ, sed una Verbi persona.

Resp. 2. nego min. Christus quippe quatenus homo hypostaticè junctus cum Verbo, filius est naturalis. Ad probationem distinguo: filiatio naturalis per viam generationis fundatur in generatione, concedo: per viam unionis substantialis & personalis cum Verbo, nego. Duplici ergo modo potest quis filius naturalis dici & esse: vel quia genitus est de substantia Dei, vel quia sub-

substantialiter ac hypostaticè unitur cum Deo; virtute cujus unione fit ut una sit cum Deo persona, & conseqenter filius naturalis.

Instabis 2. Christus ut homo non potest dici Deus; ergo nec filius Dei adoptivus.

Resp. dist. ant. Christus ut homo generatim & indefinitè non potest dici Deus, concedo: Christus ut hic homo singularis Deo hypostaticè conjunctus, nego. Ratio discriminis est, quia in ista propositione, Christus *quatenus homo*, vox *homo* solam denotare videtur naturam humanam; at certum est, hoc sensu Christum ut hominem, non esse Deum: in ista verò propositione, Christus quatenùs *hic homo*, denotatur & natura; & persona cui natura hypostaticè unita est.

Instabis 3. Verbum quatenus Deus habet ex conditione suæ naturæ divinæ ut sit filius naturalis: ergo quatenus homo habet ex conditione humanitaris, ut sit filius adoptivus.

Resp. desparitatem esse, quòd Verbum ut Deus, sit vera divina persona subsistens, adeoque verus & naturalis Dei filius; Verbum autem ut homo, non sit humana persona, nec consequenter filius adoptivus: adoptio enim personam respicit, non naturam.

Instabis 4. Christus filius est naturalis per generationem vel æternam, vel temporalem: non per æternam, Christus quippe ut homo, non est ab æterno; ergo per temporalem, adeoque filius adoptivus.

Resp. Christum etiam hominem naturalem esse filium Dei per generationem æternam. *In splendoribus sanctorum ante luciferum genui te.* Ps. 109. v. 3. Quamquam enim humanitas Christi ab æterno non fuerit, Christus nihilominus personaliter Verbo conjunctus, & una cum ipso persona, ab æterno in sinu Patris genitus est ac filius Dei verus & naturalis. Neque inde inferre licet, duas esse in Christo filiationes naturales, unam quæ Verbum ipsum in se, alteram per Verbum hominem factum respicit; cùm enim unicus sit filius Dei naturalis, unica pariter est filiatio.

Instabis 5. Fuit in Christo gratia habitualis, accidentalis & adventitia: quidni ergo & filiatio adoptiva?

Resp. ex gratia habituali & adventitia colligi quidem posse filiationem adoptivam in nobis, non autem in Christo, in quo gratia fuit naturalis & substantialis, orta ex unione hypostatica, quæ fundamentum est, aut ratio formalis filiationis naturalis.

Instabis denique. Non major imperfectio est in Christo dici filium adoptivum, quàm servum passum, mortuum.

Resp. disparitatem esse, quòd denominatio servi &c. cadit directè ac primariò in naturam; denominatio verò filii, in personam. Triplex scilicet in Christo genus attributorum potest distingui: alia spectant solam naturam humanam, ut mutari; alia personam simul & naturam, ut nasci, pati, mori; alia denique solam personam, ut incarnari, filium esse. Non est igitur mirandum, si Christus ut homo dicatur natus, passus, mortuus, quia natura ipsa nata est, passa, mortua: non potest autem dici ut homo, filius adoptivus; quia ad naturam humanam non pertinet esse filium, sed ad personam.

II.

Potest-ne Christus servus appellari & creatura?

Resp. I. quæstionem in æquivoco versari, ac pendere à varia *servi* acceptione.

Servus in rigore ac stricta significatione ille dicitur, qui sui juris non est, sed alieni, nec per se ullum jus habet ad bona domini.

Servus in latiori significatione dicitur, quisquis dependentem habet naturam; qui alterius voluntati obtemperat, eique subditus est.

Observat S. Joan. Damasc. L. 3. de fide c. 21. *servitutis & dominationis vocabula non naturas, sed quæ ad aliquid referuntur, indicare, ut paternitatis*
T. 1. p. 246. A. *& filiationis voces. Hæc enim non essentiam, sed relationem declarant ..... Illi*
Ibid. C. *autem*, inquit, *qui servum eum dicunt, unum Christum ad instar Nestorii in duos dividunt*.

Varius hìc est antiquorum, & recentiorum loquendi modus: 1. Sunt qui Christum servum dici posse, absque ullo dignitatis ejus dispendio, existimant. *Si quis Christum servum nominatum Prophetarum voce dixerit, offen-*
T. 7. p. 223. C. *di neminem oportet*, ait S. Cyrillus Alexandrinus in Responsione ad Theodoreti Reprehensionem, ad sextum Anathematismum. Et revera quidem sic Christum appellant SS. Athanasius Oratione 1. contra Arian. Hil. L. 11. de Tr. Greg. Naz. Orat. 36. Greg. Nyssenoin Opusculo de fide ad Simplicium, Ambrosius L. 5. de fide c. 3. Augustinus in Psalm. 108. Ad hanc porrò sententiam his momentis ducti illi fuere. 1. auctoritate Scripturæ. Isaiæ 42. v. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum*, quod de Christo dictum interpretatur S. Matth. cap. 12. v. 18. Rursus Isaiæ 49. v. 5. *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi*. Et v. 6. *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob*. 2. ex conditione naturæ humanæ, quam Christus assumendo, formam servi assumpsisse dicitur Philipp. 2. 3. ex controversia cum Arianis, qui divinitatem Christi ex eo capite impugnabant, quòd servus in Scripturis appellaretur: quibus prædicti Doctores respondebant, Christum servum dumtaxat apellari propter humanam ejus naturam, quæ serva est ac subdita, illæsa & integra manente ejus divinitate.

II. Alii contendunt Christum nullatenus servum dici oportere. Ita S. Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatenum, negat Christum,
T. 1. Conc. p. 854. qui natura Dominus erat, fuisse natura servum. S. Augustinus Hom. 39. quam laudant Patres Francofordienses in Epistola Synodica, *Dominus noster*,
T. 7. Conc. p. 1041. D. inquit, *etiam in forma servi, non servus*. Ipsi denique Patres Francofordienses in eadem Synodica Epistola, & Adrianus S. P. in Epistola ad Hispaniæ Episcopos, iisdem planè momentis ostendunt Christum nec filium adoptivum, nec servum dici posse. Momenta autem ista sunt. 1. Auctoritas Scripturæ: Apostolus Hebr. 1. Christum Angelis anteponit, quòd Christus sit Filius Dei, Angeli autem servi sint in ministerium missi. *Tantò melior*, inquit, *Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui olim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos*; id est,

ser-

servos. Et cap. 3. anteponit Christum Moysi, quòd Moyses esset *fidelis in tota domo ejus tanquam famulus . . . . Christus vero tanquam Filius in domo sua.* 2. Quia servi, sicut & filii denominatio ad personam pertinet, non ad naturam: unde periculum est, ne si Christus servus dicatur, duo filii cum Nestorio inducantur. 3. Quia Christus sui juris est, non alieni, eaque omnia possidet quæ Patris sunt. 4. Quia Christus in Scripturis Dominus sæpissimè nuncupatur.

Ad concordiam adduci tamen possunt dissidentes illæ sententiæ: nimirum qui Christum servum appellant, ii servi nomen in laxiori & impropria; qui verò negant appellandum, in stricta & rigorosa significatione usurpant, ut statim monuimus.

Resp. Ad secundum, Christum, secluso hæresis periculo, dici posse creaturam: Quia vox illa primariò ad naturam ipsam, non ad personam refertur: creatura namque secundùm essentiam ac naturæ proprietatem, non secundùm subsistendi modum dicitur; aliundè verò Scripturæ Christum, factum vel creatum appellant. Cap. 2. Act. Apost. *Certissimè sciat omnis domus Israel*, ait S. Petrus, *quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis.* Et Rom. 1. S. Paulus ait: *De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.*

Nihilominus sanctus Thomas hìc q. 16. art. 8. docet, *ne hæreticorum errori favere videamur, non esse absolutè dicendum quòd Christus sit creatura, sed cum determinatione, scilicèt secundùm humanam naturam.* Quia scilicèt Ariani contendebant non tantùm Christi naturam, sed & personam creaturam esse: vox quippe *creatura* ad utramque referri potest. *Ea verò*, pergit sanctus Doctor, *de quibus suspicari non potest, quòd divinæ personæ conveniant, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanæ naturæ; sicut dicimus simpliciter Christum esse passum, mortuum &c.*

III.

Possitne Christus mediator appellari, & secundùm quam naturam?

Mediator dicitur, qui medius est inter partes dissidentes ut eas reconciliet: sequester aliquando à Latinis vocatur, quia eum pars utraque contendentium sequitur.

Multis modis potest quis mediatoris partes sustinere. 1. ut internuntius ac interpres partis utriusque. 2. ut arbiter electus ad componendam litem. 3. ut intercessor & advocatus. 4. ut sponsor, qui parti læsæ, pro altera quæ offendit, plenè solvat, ac satisfaciat.

Sociniani mediatoris nomen Christo non recusant, non quidem postremo isto sensu, sed aliis modis mox expositis.

Quærunt igitur Theologi, an Christus verè titulo mediatoris gaudeat; & sub qua præcisè natura, an divina, an humana.

PRIMA CONCLUSIO.

Christus omnibus modis mox recensitis verus Mediator est Deum inter & homines.

I. Verè internuntius ac interpres fuit voluntatis paternæ. Joan. 1. v. 18. *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Hoc sensu vocatur *Angelus fæderis* à Malachia c. 3. v. 1. & *Consiliarius* ab Isaia c. 9. v. 5.

II. Potest Christus dici arbiter: quia in procuranda nostra cum Deo reconciliatione, justitiam gratia & misericordia mirè temperavit; pœnas nobis debitas in se transferendo, justitiæ divinæ superabundè satisfecit, & ex misericordia Deus, debitum, quod contraxeramus, nobis relaxavit.

III. Christus intercessor & advocatus noster est apud Patrem. 1. Joan. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* Rom. 8. v. 34. *Jesus Christus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

IV. Verus sponsor ac mediator noster est Christus, qui loco nostri divinæ justitiæ satisfecit, ut nos ab æterna morte peccati redimeret. 1. ad Timoth. 2. v. 4. *Unus Deus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Plura eam in rem jam diximus ubi de veritate satisfactionis Christi.

SECUNDA CONCLUSIO.

Christus ut Deus homo, secundùm utramque naturam, divinam & humanam, Mediatoris nostri partes implevit.

Probatur ex Scripturis, quæ utramque Christi naturam, divinam & humanam, assignant ad titulum mediatoris, & redemptoris officium. Act. 20. v. 28. Deus Ecclesiam *sanguine suo acquisivisse* dicitur. 1. Cor. 2. v. 8. *Dominus gloriæ* dicitur *crucifixus*. Porrò Deus simplex & solus sanguinem non habet, nec crucifixus est; ergo duplicem naturam in Christo ad opus mediatoris & redemptoris simul concurrisse Scriptura declarat. 1. ad Timoth. 2. v. 4. *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Hebr. 2. v. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.... Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Cave igitur ne utramque Christi naturam hìc dividas, ne pereat redemptionis nostræ opus. Audiatur S. Augustinus L. 10. Confess. c. 42. *Mediator*, inquit, *inter Deum & homines oportebat ut haberet aliquid simile Deo, & aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis longè esset à Deo; aut in utroque Deo similis, longè esset ab hominibus, atque ita mediator non esset.* Momentum istud fusiùs prosecuti sumus agendo de satisfactione Christi, ad quam utraque natura Christi necessariò & indivisè concurrit: humana materiam seu subjectum satisfactionis præbet: divina valorem ac pretium infinitum impertitur.

T. 1. pag. 194. A. B.

Ora-

Oravitne Christus tanquam mediator?

Resp. Christum hominem decursu mortalis suæ vitæ orasse, & etiamnum in Cœlis orare, seu pro nobis interpellare. Joan.17.*Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Hebr. 5. *In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui poßet illum salvum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Rom. 8. *Jesus qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Et Hebr.7. dicitur, *semper vivens ad interpellandum pro nobis*.

Ratio est, quia voluntas humana Christi ex qua orabat, ex se ipsa satis potens & efficax non erat, ut quæcunque vellet, posset adimplere; necesse igitur fuit ut ad divinam recurreret virtutem, ut quæ volebat, obtineret.

Oravit autem Christus, tùm ut se verum hominem, ac se Patrem habere cœlestem demonstraret; tùm ut mediatoris partes & officium adimpleret; tùm denique ut orandi formam & exemplum nobis præscriberet.

Qua porrò ratione pro nobis etiamnum in Cœlo orare dicatur, non consentiunt inter se Theologi. Alii dicunt, sola humanitatis ac meritorum suorum repræsentatione, divinam pro salute nostra exorare clementiam; alii ajunt, etiam expressa oratione, ac desiderii animæ suæ beatæ aperta significatione: uterque autem orandi modus rectus ac sanus est, & absque ullo purioris doctrinæ periculo defendi potest.

Cùm verò humana Christi voluntas aliàs sit absoluta, efficax & consequens; alia conditionata & inefficax, duplex quoque oratio Christi distinguitur, una efficax & absoluta, quæ semper impletur, de qua Christus ipse Joan.11. v.41. ait: *Pater gratias ago tibi quoniam audisti me: Ego autem sciebam, quia semper me audis*. Et Hebr.5. v.7. *Exauditus est pro sua reverentia*. Alia verò est oratio Christi condionata, & inefficax, ex qua dicebat: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*. Hac voluntate pro salute omnium hominum generatim oravit Christus, *qui pro omnibus mortuus est*; conformans se voluntati Dei antecedenti, qua verè ac sincerè *vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. 1. ad Timoth. 2. v.4. Vide quæ de hac duplici oratione Christi diximus Tom.2. de Divinis Attributis pag.404. & 405.

Non est autem quòd ex oratione Christi quis inferat, eum simpliciter & absolutè Deo Patri inferiorem fuisse, utpotè qui habita dumtaxat humanæ naturæ ratione & oravit, & sub hoc respectu fuit inferior: idem quippe Christus qui supplex Patrem deprecatur, declarat, *se unum esse cum Patre*; *omnia quæ Patris sunt, esse sua, sibi datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra &c.* Joan. 10. v. 30. Ib. 16. v. 15. Matth. 28. v. 18.

Fuitne Christus verus Sacerdos?

Ex sacerdotio Christi suprà contra Socinianos veritatem ejus satisfactionis demonstravimus, ad quem locum lectorem remittimus: pauca hìc subjicienda supersunt.

PRIMA CONCLUSIO.

Christus verus est Sacerdos ac Pontifex novæ Legis.

Hebr.3. v.1. *Considerate*, ait Apostolus, *Pontificem confessionis nostræ Jesum*. Et cap.4. v.14. *Habentes Pontificem magnum qui penetravit cælos, Jesum filium*. Et v.15. *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*.

Ratio est, quia ad verum sacerdotium tria requiruntur. 1. divina populo tradere. 2. preces populi Deo offerre: 3. pro peccatis populi satisfacere: *Omnis quippe Pontifex*, ait S.Paulus Hebr.5. v.1. *ex hominibus assumptus, constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Atque tria hæc Christo apprimè conveniunt. 1. Cœlestia populo tradidit: *Per quem*, inquit sanctus Petrus Epist.2. c.1. v.4. *Deus maxima & pretiosa promissa donavit*. 2. Preces populi offert Deo: est enim *semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Rom.8. 3. Pro peccatis populi satisfecit: Hebr.9. v.12. Christus *per proprium sanguinem introivit in sancta* sanctorum. Et vers. 14. *Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Inde est quòd in Scripturis Christus vocatur victima pro peccatis, agnus occisus &c. simul sacerdos & hostia semetipsum obtulit. Ephes.5. v.2. *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*.

SECUNDA CONCLUSIO.

Christus fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.

Psalm.109. v.4. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Quæ verba S.Paulus Hebr.5. v.6. repetit & Christo adaptat. Sacerdotium verò illud in æternum dicitur, non quidem quoad actum, sed quoad effectum, & repræsentationem pretii semel oblati: *Una enim oblatione*, inquit S.Paulus Hebr.10. v.14. *consummavit in sempiternum sanctificatos*. Similitudo verò sacerdotii Christi cum sacerdotio Melchisedech his capitibus constat. 1. Nomen ipsum Melchisedech idem est ac Rex justitiæ: dicitur etiam Rex *Salem*, id est Rex pacis. Item dicitur sine patre & matre, quæ omnia rectè Christum præfigurarunt, qui fuit sine patre in generatione temporali, & in æterna sine matre; qui verus est Rex pacis & justitiæ. 2. Christus obtulit sacrificium simile, quantùm ad res sensibiles, sacrificio Melchisedech, in pane & vino. Gen.14. v.18. Unde S.Cyprian. Ep.63. ad Cæcil.
P.101. *Quis magis*, ait, *sacerdos Dei summi quàm Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem?* Sed de his pleniùs ubi de Eucharistia.

Sitne homo Christus caput Eccle æ, & omnium tùm hominum tùm Angelorum.

Ecclesiæ nomine, vel intelligitur speciatim congregatio Fidelium, vel congregatio seu societas, aut hominum, aut Angelorum.

In capite morali, servata analogia ad caput naturale, tria requiruntur. 1. præeminentia. 2. conjunctio cum membris. 3. influxus spiritalis & interior in membra.

CONCLUSIO.

Christus homo caput est Ecclesiæ, hominum, & Angelorum.

I. Est caput Ecclesiæ. Ephes.1. v.22. *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et cap.5. v.23. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Coloss. 1. v. 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Ratio manifesta est: Habet quippe Christus tres dotes mox dictas ad caput morale necessarias. 1. gratiæ donis aliis longè supereminet, & abundantiùs cumulatus fuit. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* 2. Non Joan.1. tantùm cum membris suis, hoc est, Fidelibus, conjungitur, sed tanquam v.14. exemplar proponitur omnium prædestinatorum. Rom.8. v.29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* 3. In membra sua per interiorem gratiæ subministrationem, sicut vitis in palmites influit. *De* Joan.1. *plenitudine ejus nos accepimus.* Et Ephes.4. v.15. *Crescamus in illo, qui est* v.16. *caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum.*

II. Christus caput est omnium hominum. 1. ratione corporum, quatenus influxum aliquem ex corpore Christi percipiunt, tùm ut sint instrumenta seu *arma justitiæ Deo*, Rom.6. v.13. tùm ut aliquando post mortem revivificant, Rom.7.v.11. *Qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.* 2. Longè meliori jure caput est hominum, ratione finis seu beatitudinis supernaturalis ad quam ordinati sumus, & mediorum quæ pretio sanguinis sui nobis comparavit. *Qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* 1. ad Timoth.4. v. 10. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed pro totius mundi.* 1.Joan.2. v.2. unde homo quilibet vel actu, vel potentia saltem cum Christo conjunctus est. Sanctus Thomas eos in quinque ordines partitur. 1. principaliter eorum caput est, qui actu uniuntur per gloriam. 2. eorum qui uniuntur per charitatem. 3. eorum qui uniuntur per fidem. 4. eorum qui uniuntur solùm in potentia nondum redacta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundùm divinam prædestinationem. 5. eorum qui in potentia sunt uniti, quæ nunquam reducetur in actum quantùm ad assecutionem finis, quales sunt reprobi, quibus tamen, dum vivunt, nonnihil gratiæ Deus per merita Christi impertitur, ut salvi esse possint.

III. Christus caput est Angelorum, præeminentia, potestate, gratiæ secundariæ largitione.

I. Præ-

I. Praeminentia. Coloss.2. v.10. *Estis in illo* (Christo) *repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis*. Ephes.1. v.18. & seq. *Ut sciatis*, inquit, Apost. *quae sit spes vocationis ejus, & quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis, & quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiae virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc saeculo, sed etiam in futuro.*

II. Auctoritate & potestate. Ephes.1. v.22. *Omnia subjecit sub pedibus ejus*. Philipp.2. v.9. *In nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium & terrestrium*. 1.Petri 3.v.22. *Qui est in dextera Dei .... profectus in caelum, subjectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus*. Hebr.1. v.15. de Angelis Apostolus ait: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui haereditatem capient salutis.*

III. Multiplicis gratiae largitione. Ephes.3. v.10. postquam S.Paulus dixit, sibi datam esse hanc gratiam in gentibus evangelizare divitias Christi, sic pergit: *Ut innotescat principatibus & potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*. Ergo principatibus & potestatibus gratia haec concessa fuit, ut suo ministerio *innotescat multiformis sapientia Dei*.

Et certè cùm Angeli & homines unum Ecclesiae corpus constituant, quatenus omnes ordinantur ad unum communem finem, intuitivam scilicet ac beatificam Dei visionem, cujus quidem corporis Christus est caput, necesse est in Angelos ipsos aliquem à Christo influxum interiorem seu gratiam, derivari.

Non tamen Angelorum caput Christus dicendus est, ratione gratiae quam in creatione sua receperunt; haec quippe, ut vulgaris fert opinio, ex mera Dei liberalitate, independenter à meritis Christi, ipsis concessa fuit: neque pro salute Angelorum incarnatus est Deus, aut passus & mortuus. *Nusquam Angelos apprehendit*, ait Apostolus Hebr.2. v.16. *sed semen Abrahae apprehendit .... unde debuit per omnia fratribus similari*. Cùm igitur idem Apostolus Coloss.1. v.20. ait Christum *reconciliasse omnia, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt*; intelligendus est, Christum omnia in Caelis reconciliasse, sive cùm homines destinavit ad occupandas, quae vacuae erant, lapsorum Angelorum sedes; sive cùm genus humanum sanguine suo reconciliavit & cum Deo, & cum Angelis bonis, cum quibus ob peccatum inimicitias gerebat.

Fueritne Christus homo Rex & Judex.

I. Regiam seu supremam dignitatem Christo Deo debitam esse per sese clarum est: de Christo homine quaestio est. Certum est Christum in novo etiam Testamento Regem non infrequenter appellari. Matth.27.v.37. *Hic est Jesus Rex Judaeorum*. Sciscitanti Pilato, Joan. 18. v. 37. *an Rex esset, respondit Jesus: Tu dicis quia Rex sum ego. Christus*, ait S.Augustinus in Psalm.
To.4.p. 149. *à chrismate dictus est, id est ab unctione. Reges autem ungebantur & sa-*
1686.D. *cerdotes; ille verò unctus est & Rex & sacerdos. Rex pugnavit pro nobis; sacerdos obtulit se pro nobis.*

Quale verò fuerit regnum Christi, an temporale & terrenum, an spiritale tan-

tantùm, si quæsieris, spiritale dumtaxat fuisse respondebo, quamquam è Regia Davidis stirpe oriundus fuerit Christus; verùm huic regno renuntiavit, ac solum spiritale suum esse declaravit: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc*. Joan. 18. v. 36. Ad quæ verba S. Augustinus Tract. 115. in Joan. sic scribit: *Audite ergo Judæi & Gentes; audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena. Non impedio dominationem vestram in hoc mundo .... Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille major, cùm Christus natus nuntiaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis quàm irascendo crudeliter. Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo: venite credendo, & nolite sævire metuendo.* T. 3. p. 2. pag. 891. F.

II. Christus Judex est à Patre constitutus vivorum & mortuorum. Act. 10. v. 42. *Ipse est constitutus à Deo Judex vivorum & mortuorum.* Et c. 17. v. 31. *Statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate: Neque enim*, ut dicitur Joan. 5. v. 22. *Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Hæc porrò Judicis dignitas ac prærogativa Christo competit tùm ut Deo, tùm ut homini. *Dicimus*, ait S. Augustinus Lib. 1. de Trin. c. 13. *quia secundùm id quod Deus est, judicat, hoc est ex potestate divina, non humana; & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est .... Quapropter filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea qua Filius Dei est: rursus Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri, sed in ea qua filius hominis est.* T. 8. p. 768. A Ibid. D

QUÆSTIO ULTIMA.

De adoratione Christi, Sanctorum invocatione, & Reliquiarum & Imaginum cultu.

Observanda.

OBservandum 1. generatim adorationis nomine significari cultum quemlibet, qui alicui exhibetur propter ejus dignitatem & excellentiam. Quapropter vox ista *adoratio*, generica est, quæ in Scripturis rebus natura & dignitate valdè diversis accommodatur: Deo quidem maximè propria; Arcæ verò quæ Dei figuram ejusque præsentiam singulari modo denotabat; Regibus, imó & fastigio seu summitati Virgæ Josephi, quam Jacob Hebr. 11. v. 21. adorasse refertur, inferior longè cultus redditur. Quapropter varia illa vocis *adorationis* significatio, variusque usus figi ac determinari debet ex subjecta materia, seu subjecto cui tribuitur. Unde immeritò prorsus Novatores nostri Catholicos carpunt, quòd ea voce utantur, cùm de cultu & reverentia Sanctis eorumque Imaginibus debita tractant. Quis tam injustus fuerit, ut existimet viros sui compotes, Sanctis eorumque Imaginibus supremum latriæ cultum unquam tribuere? Apage tam stolidam & crassam calumniam.

Obser-

Observandum 2. adorationem generatim dividi in politicam seu civilem, & sacram seu religiosam. Politica & civilis impenditur propter aliquam sæcularem, aut naturalem præstantiam & excellentiam: ita Reges, Principes, Magistratus, viros insigniter peritos &c. colimus & honoramus: ita mutuo honore sese homines prosequuntur, & invicem prævenire debent. Religiosa ea est, quæ motivo superiori Religionis, propter supernaturalem aliquam excellentiam, innititur.

Observandum 3. adorationem, seu cultum religiosum iterum dividi in absolutum, & relativum. Absolutus dicitur, qui in propria rei quæ colitur, excellentia sistit ac hæret, nec ulteriùs tendit. Ita Deum, ita Christum absoluto, & quidem supremo latriæ cultu adoramus. Relativus ille est, qui refertur ad alium, quique rei alicui exhibetur, ob excellentiam non propriam, sed alterius quem repræsentat, & ad quem refertur. Ita cultus qui Imaginibus Sanctorum defertur, relativus est ad prototypum seu exemplar cujus imagines sunt. S. Thomas 3. p. qu. 25. art. 4. censet eadem specie cultus seu adorationis relativæ, eodemque actu voluntatis honorari & imaginem & prototypum: unde infert imaginem Christi & crucem ejus adoratione latriæ respectiva seu relativa coli debere; quia nempe Christus supremo latriæ cultu absoluto adorandus in se est. Multis non placet hæc divi Thomæ sententia, quam parum idoneam existimant novatoribus nostris ac unitatem fidei hac in parte revocandis: quapropter Illustrissimus ac doctissimus Bossuetius in Epistola de adoratione Crucis ad Virum religiosum scripta die 17. Julii an. 1691. consentit pag. 22. ut si hæc Angelici Doctoris loquendi ratio quemquam offendat, supprimatur, nec ulla ipsius habeatur ratio.

Observandum 4. triplicem esse adorationis seu cultus speciem: latriæ, quæ uni Deo debetur: duliæ, quæ creaturis; hyperduliæ, quæ B. Virgini ob eximiam ejus supra cæteras creaturas dignitatem & præeminentiam impenditur: qui cultus, solo gradu, non specie distat à duliæ cultu; B. enim Virgo creatura est, quamquam Dei genitrix.

Observandum 5. in omni adoratione duplicem actum distingui, unum internum, alterum externum: internus includit actum mentis seu intellectus objecti præstantiam & excellentiam cognoscentis, & actum voluntatis obsequentis ac sese demittentis ob illam superiorem præstantiam objecti; neque enim sine illa voluntatis interiori submissione vera esse potest adoratio: actus verò externus ille est, qui exteriùs patet, & est quodcunque signum exterius protestativum interioris adorationis. Potest quidem esse vera interior adoratio, sine ullo signo exteriori; veri etenim adoratores adorant in spiritu & veritate: at non potest esse vera & sincera exterior adoratio, si destituta fuerit interna mentis ac voluntatis submissione; qualis fuit in illis Judæis, qui flexis genibus illudendo Christo adorabant, veri profectò hypocritæ ac illusores. Non est tamen negligenda, imò laudanda exterior corporis conformatio, per quam internum adorantis animi actum & affectum demonstramus: homo enim totus à Deo pendet, & totus tùm animo, tùm corporis situ testari debet se Deum verè adorare. Nusquam autem licitum est, externa signa, quæ usu, vel lege, vel alia qualibet ratione destinata sunt in testificationem, seu declarationem veræ ac internæ adorationis, usurpare in falso, v.g. & sacrilego idolorum cultu, tametsi interiùs animo re-

fugien-

fugiente ac dissentiente: nunquam enim licet ullo etiam exteriori signo, fidem negare, *Corde Creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Rom. 10. v. 10. At eo in casu fidem ille abnegaret, quam palam ac publicè, ut debet, non profiteretur. Procul ergo fraus ac dissimulatio, à catholico candore tam aliena. Ea ratione multi existimant, Mardochæum noluisse genuflectere coram Aman: quia genuflexio apud Judæos communiter nonnisi Deo exhibebatur; Regibus autem & Principibus raró, & magna ex causa.

E contra verò fieri potest ex errore minùs culpabili, ut quis exteriùs idolorum imagines adoret, existimans se unam dumtaxat honorare Regis effigiem. Nota est eam in rem insignis fraus Juliani Imperatoris apostatæ, quam describunt Gregor. Nazianz. Oratione 1. in Julianum, & Paulus Diaconus in ejus vita. Erat scilicet in more positum, ut imagines Imperatorum ab omnibus adorarentur, etiam à Christianis; noverant quippe isti, adorationem illam civilem dumtaxat esse, ac licitam. Julianus igitur, ut induceret Christianos, saltem per errorem, adorare idola, jubebat suam imaginem ita depingi, ut simul pingeretur Jupiter de Cœlo coronam & purpuram Imperatori deferens; pingerentur etiam Mercurius & Mars in Imperatorem respicientes, ut eo modo indicaret, se sapientem & fortem esse. Itaque se ipse inter deos depictum proponebat, ut Christiani de more venerantes imaginem Imperatoris, simul venerarentur imagines falsorum deorum. Monet autem Nazianzenus, venia dignos fuisse Christianos illos simpliciores, qui dolum non advertebant, nec putabant se adorare aliud quàm Regis imaginem.

Observandum denique, varios esse pro varia populorum, temporum, & Ecclesiarum disciplina, modos externos adorationis significandæ: alii quippe cooperto capite adorant, ut Orientales; alii nudo & inflexo, ut Occidentales; alii recti, alii procumbentes humi; alii extensis manibus, alii complicatis; alii capitis inflexione, demissione, prostratione totius corporis; alii modis aliis, quorum quidem omnium idem est internus sensus, sed exteriùs variè demonstratus. Quin contingit non raró, eosdem externos cultus exhibendi modos, & erga Deum, & erga creaturam usurpari, quamquam diversus planè specie sit cultus, seu adoratio diversa. Thus v.g. adolemus Eucharistiæ, Cruci Christi, Evangeliorum Libro, Imaginibus Sanctorum; imò & hominibus in potestate constitutis, & ipsimet populo: non eodem profectò cultus animo, nec eadem intentione, sed longè diversa, ex qua pendi & æstimari debet cultus illius disparitas. His prænotatis.

De adoratione Christi hominis.

Christum Deum supremo latriæ cultu adorandum esse nemo dubitat: de humana dumtaxat ejus natura quæstio vertitur, an scilicet eodem latriæ cultu, quo Verbum ipsum, honoranda sit, propter intimam & indissolubilem ipsius cum Verbo unionem, non verò propter ipsam præcisè ac in se spectatam humanitatem, quasi hæc sit formalis causa & ratio adorationis. Quapropter, nostro quidem judicio, operam perdunt è nostris, qui tam sollicitè ac prolixè disputant, utrum humanitas Christi per mentem à Verbo abstracta & præcisa possit cultu latriæ adorari. Non iste est quæstionis nostræ statu,

tus, sed utrum humana Christi natura hypostaticè Verbo divino conjuncta eodem cum Verbo cultu sit adoranda.

Quicumque veram & physicam in Christo naturæ utriusque unionem inficiati sunt, ut Nestoriani, Apollinaristæ &c. ii consequenter homini Christo veram denegarunt adorationem. Ex nostris verò nonnulli, post Gilbertum Porretanum in Scholiis ad Psal. 98. volunt homini Christo non supremum latriæ cultum impendi debere; neque etiam solum, qui duliæ dicitur, ac hominibus communiter defertur, sed duliæ cujusdam superioris. Alii latriæ quidem cultum illi concedunt, sed relativum, non absolutum. Ita Alexander Alensis 3. p. q. 30. Gabriel in 3. dist. 9. q. 2. art. 1.

Sociniani hic discordes sunt inter se: nonnulli, divinos adorationis honores Christo concedunt, alii verò negant.

CONCLUSIO.

Humana Christi natura hypostaticè Verbo conjuncta, eadem & unica cum divinitate Verbi adoratione colenda est.

Constat manifestis Scripturæ testimoniis. Hebr. 1. v. 5. ista Psalmi 96. verba, *Et adorent eum omnes Angeli eius*, Apostolus Christo adapt. Philipp. 2. v. 10. *In nomine Jesu, omne genuflectatur, cœlestium, terrestrum & infernorum*. Unde Joann. 9. v. 35. Christus interrogans cæcum natum, ait: *Tu credis in Filium Dei?* Cui respondet cæcus: *Credo Domine; & procidens adoravit eum*. quæ adoratio non tantùm externa erat, sed interior, proveniens ex fide in Christum hominem Deum. Matth. 28. v. 17. Christo à mortuis suscitato eamdem adorationem impendunt Apostoli; *Videntes eum adoraverunt*. Denique Joan. 5. v. 22. & 23. eumdem latriæ cultum qui Deo Patri debitus est, sibi Christus vendicat: *Neque Pater*, inquit, *judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificant Filium, non honorificant Patrem qui misit illum*. In his porro testimoniis nulla discretio fit, nulla distinctio divinæ & humanæ in Christo naturæ, sed adoratio ad Christum terminatur duplici natura constantem.

Constans hæc est SS. Patrum doctrina.

T. 1. p. 912. E. S. Athanasius in Epistolas ad Adelphium: *Rem creatam non adoramus: absit. Ethicorum enim & Arianorum est hujusmodi error. Sed rerum creatarum Dominum, carnem factum. Dei Verbum adoramus. Et si enim ipsa caro seorsum spectata, pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque verò hujusmodi corpus à Verbo dividentes adoramus, neque cùm Verbum volumus adorare, ipsum à carne removemus*.

T. 2. p. 681. A. S. Ambrosius L. 3. de Spiritu sancto c. 11. aliàs 12. n. 79. ad hæc verba Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est. Per scabellum*, inquit, *terra intelligitur: per terram autem Christi caro, quam hodie in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus; neque cùm adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur*.

T. 4. p. 1065. B. Idem est S. Augustini sensus, eadem interpretatio in citata verba Psal. 98.

Timeo,

Timeo, ait, *adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram: rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei..... Fluctuans converto me ad Christum, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem carnem illam manducat, nisi priùs adoraverit; inventum est autem quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Causam adorationis, quæ humanitati Christi defertur, repetunt mox laudati Doctores, non quidem ex ipsa præcisè natura humana in se spectata, sed ex hypostatica ipsius cum Verbo unione. *Caro ipsa seorsum spectata*, ait mox citatus Athanasius, *pars est rerum creatarum, attamen Dei corpus est facta.* Ex illa quippe unione fit, ut homo Christus Jesus verus sit natura & substantia Deus, ea ipsa colendus adoratione, qua Verbum ipsum in quo subsistit & una est cum ipso persona; nulla facta naturarum, quæ nexu indissolubili copulantur, distractione seu divisione. *Si quis*, ait Conc. Later. sub Martino I. Consul. 4. Can. 9. *non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne non adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.* T. 6. Con. p. 351. D.

Atque hinc facilis est solutio communis ac tritæ hujus objectionis: Soli Deo latriæ cultus debetur: humanitas verò Christi Deus non est; ergo latriæ cultus illi non debetur. Objectio.

Distinguenda minor propositio: Humanitas, seu homo non est Deus, separatus & sejunctus à Verbo, concedo: hypostaticè unitus cum Verbo, nego. Porro humanitatem hic spectamus quatenus cum divinitate in unitate personæ Verbi conjugitur. Cùm igitur dicimus, Christum *quatenus* hominem, simul cum Verbo eodem adorationis cultu prosequendum esse, reduplicatio illa, *quatenus*, non cadit supra hominem, seu humanitatem sejunstam à Verbo: quis enim Catholicorum ignorat, humanitatem in se nudè ac simpliciter spectatam adorari non debere? sed cadit supra humanitatem hypostaticè unitam cum Verbo, quæ sola unio causa & ratio est adorationis, quæ sacræ humanitati Christi debetur.

De cultu, invocatione, & intercessione Sanctorum.

An sunt colendi Sancti?

Non hic quæstio movetur de cultu civili, quem non rejiciunt Novatores, sed de cultu religioso, quo Sanctorum eximia merita, fidei constantiam, charitatis ardorem, infracti animi mediis in cruciatibus fortitudinem, immensum Religionis Christi tuendæ ac propagandæ studium, cœteraque cœlestia, quibus à Deo cumulati fuere dona, honoramus ac veneramur: qua ex parte cultus ille relativus est, & ad Deum ipsum tendit, qui dona sua in Sanctis coronat; tametsi alia ex parte quodam sensu dici possit absolutus, propter ipsam Sanctorum excellentiam.

Neque etiam quæstio est, de supremo latriæ cultu, quem Christiani se uni

uni & soli Deo debere toties protestati sunt, adversùs putidam Gentilium & Hæreticorum calumniam, qua velut idololatriæ rei traducebantur, quòd Sanctos se honore ac cultu religioso prosequi declararent: atque non sine stupore vidimus calumniam hanc à Lutheranis & Calvinistis renovatam fuisse. Nonnisi mendacio ac fraude error invalescere potest.

Neque etiam hic agitur de his, vel illis Sanctis in particulari, de quibus rixari possent Novatores; sed de Sanctis in Cœlo regnantibus generatim: quamquam de nonnullis non dubitant vel ipsi Novatores, v. g. B. Virgine, S. Joanne, aliisque Apostolis.

Neque de modo præcisè quo coluntur & honorantur, hic instituenda controversia; namque circa modum illum nonnunquam zelo indiscreto & imperito peccare possunt rudes ac simplices Fideles: sed de ipsa cultus substantia; nempe pium ac laudabilem esse Sanctorum cum Christo in Cœlis regnantium cultum, imò & aliquando certis in circumstantiis necessarium: neque enim suspicione aut erroris, aut contemptus Sanctorum, ille careret, qui cultum hunc Ecclesiæ totius usu tam perpetuo & antiquo probatum, in toto vitæ suæ decursu de industria omitteret. Immeritò igitur Novatores cum Gentilibus, cum Manichæis, Eunomianis, Arianis, & Vigilantio, cultum illum in nobis damnant ac carpunt.

CONCLUSIO.

Antiquus est, rectus ac laudabilis Sanctorum cum Christo in Cœlis regnantium cultus.

Probatur exemplo veterum Patriarcharum qui Angelos sub humana specie conspicuos religioso cultu honorarunt. Ita Abraham Gen. 18. v. 2. & Loth Gen. 19. v. 1. ubi sic legimus: *Adoravitque pronus in terram, & dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri*. Ita pariter de Josue cap. 5. Libri ejus v. 15. dicitur: *Cecidit pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Quibus locis *adoratio*, non supremum latriæ cultum, sed alium longè inferiorem, quamquam non purè civilem ac politicum, sed religiosum, significat; Angeli etenim hunc veræ adorationis modum constanter à se rejecerunt, quoties suspicio esse potuit, ne offerretur. Judicum 13. v. 16. *Si vis holocaustum facere*, ait Angelus, *offer illud Domino*. Item Apocal. 22. v. 8. hæc narrat S. Joannes: *Postquam audissem & vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc ostendebat, sed dixit mihi; Vide ne feceris, conservus enim tuus sum. Deum adora*. Idem S. Petrus Act. 10. v. 26. Cornelium ad pedes suos provolutum repressit ac surgere jussit: *Surge*, dixit, *& ego ipse homo sum*. Idem porrò cultus Sanctis in Cœlo degentibus impendendus, quem exemplo suo & usu comprobarunt erga Angelos veteres Patriarchæ Abraham, Isaac, Jacob, Moyses & alii qui tanto in honore apud homines fuere. Infinita sunt in primitiva Ecclesia hujusce cultus exempla. Inter alia istud jam satis sit quod refert Eusebius L. 7. Hist. c. 19. summa nempe reverentia servatam fuisse S. Jacobi Hierosolymitani Cathedram; cujus quidem reverentiæ causam & rationem reddit: *Satis*, inquit, *perspicuè declarantes, qualiter tum antiquiores*,

res, tum nostri temporis Christiani, viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur. Idem plane tradunt Hieronymus & Augustinus.

S. Hieronymus Epist. ad Riparium de erroribus Vigilantii, *Honoramus servos,* inquit, *ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.*

S. Augustinus L. 20. contra Faustum c. 21. *Populus christianus,* inquit, *memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat..... colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei ..... At illo cultu qui græcè λατρεία dicitur, latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.* T. 8. p. 347. B.

Ratio Conclusionis hæc est, quia tam licet cultu religioso prosequi Sanctos, ob eximias eorum dotes supernaturales, quàm liceat cultu politico & civili honorare viros Principes, aliosque viros in potestate constitutos, vel aliqua in scientia aut arte insignes.

De invocatione & intercessione Sanctorum.

CONCLUSIO.

Bonum atque utile est invocare Sanctos, ut pro nobis ad Deum intercedant.

Probatur 1. exemplis quæ Scriptura suppeditat. Abrahamus Gen. 18. in gratiam Sodomitarum Angelum invocavit; & cap. 19. Loth ab Angelo supplex postulavit, quod obtinuit, ne urbs Segor excidio deleretur: *Cui Angelus respondit: Suscepi preces tuas, ut non subvertam Urbem, pro qua locutus es.* Gen. 32. Jacob adversùs Angelum luctatus est: cujus efflagitavit, & obtinuit benedictionem. Et c. 48. Joseph hanc Angelorum benedictionem pro filiis suis apprecatur. Et verò æquum videtur, eorum opem apud Deum implorare, quorum curæ ac tutelæ Deus nos commisit: atqui tales sunt Angeli Psal. 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Zachariæ 1. v. 12. Angelus speciatim Deum in gratiam Jerusalem deprecatur: *Domine exercituum,* inquit, *usquequo tu non misereberis Jerusalem & urbium Juda quibus iratus es?* Tobiæ 12. v. 12. Angelus Raphael ad Tobiam: *Quando orabas,* ajebat, *cum lachrymis.... ego obtuli orationem tuam Domino.*

Sanctos etiam pro nobis preces ad Deum fundere, non minùs certissimis Scripturæ exemplis manifestum est. Jeremiæ 15. v. 1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ezech. 14. v. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.* 2. Machab. 15. v. 12. legimus Oniam, qui fuerat summus Sacerdos.... *orasse pro omni populo Judæorum.* Et v. 14. *Jeremiam multum orasse pro populo.*

Et verò si licitum est ad viros sanctos, dum in terris nobiscum versantur, confugere, ut pro nobis apud Deum intercedant, quantò magis ad Sanctos, qui

qui cum Christo in Cœlis triumphant? Primum licitum esse, nemo non agnoscit. Lib. 1. Regum c. 7. v. 8. Judæi Samuelem alloquentes, *Ne cesses*, inquiunt, *pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum*. Quin & Deus ipse amicos Job jubet ad ejus preces confugere, ut veniam obtineant, Job c. ult. v. 8. Apostolus pariter Rom. 15. v. 30. *Obsecro vos fratres*, inquit, *per Dominum nostrum Jesum Christum & per charitatem S. Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*. Item Epistola ad Thessal. cap. 5. v. 25. *Fratres*, inquit, *orate pro nobis*.

Dicant porrò nobis adversarii, cur laudem habeat Sanctorum in terris degentium invocatio, non autem eorundem Sanctorum, cùm Deo apertè in Cœlis fruuntur? Nonne una est triumphans in Cœlis, ac in terris dimicans Ecclesia? Nonne quotidie recitantes Symbolum, Sanctorum communionem profitemur? Communio porrò illa spectat Sanctos, tùm hic, tùm in Cœlis degentes. An minùs Deo grati sunt Sancti in Cœlis, quàm in terris? An minor eorum apud Deum gratia & auctoritas?

At audire non possunt Sancti, aiunt Novatores, qui tam longè dissiti à nobis sunt. Egregia verò, & planè puerilis ratio! Quasi Deo modus desit, quo preces nostras Sanctis manifestet, vel Angelorum ministerio, vel immediata revelatione, quemadmodum Prophetis futura revelabat: vel in sua ipsa essentia, aut visione beatifica. At Sanctos invocare, ajunt rursus, Christo soli Mediatori nostro detrahere est; neque enim in alio, quàm in ipso, spem nostram collocare licitum est. Quis nostrum id unquam negaverit? Quis nostrum spem suam in alio collocat, quàm in Christo, qui est auctor ac consummator fidei, cujus sanguine nos redempti sumus? An aliquid ex Sanctis, quod ipsis proprium sit, speramus? absit: quidquid in illis est, à Deo est per Christum. Neque gratiam, neque gloriam ab iis, tanquam utriusque auctoribus, postulamus aut speramus, absit: non alio fine, nec alia mente eos invocamus, quàm ut suis apud Deum precibus, cœlestia, quibus indigemus bona, nobis impetrent. An idololatriæ vel minima umbra hic apparet? Unum Mediatorem Deum inter & homines Christum Jesum agnoscimus ac profitemur, neque Sanctorum invocatio vel minimùm Mediatori Christo detrahit: Christus etenim unus Mediator est, solutione pretii pro redemptione nostra; Sancti verò mediatores dumtaxat dicuntur, intercessione. Cùm invocamus Christum, his utimur verbis, *Miserere nobis*; ad Sanctos verò dicimus, *Orate pro nobis*: quibus certè significamus latum & amplum discrimen esse inter modum quo Christum, & Sanctos invocamus. Intercedit quidem, & pro nobis Patrem etiam interpellat advocatus noster ac pontifex Christus Jesus, ac jure, & soluto pro nobis pretio, illudque Deo offerendo, intercedit: non ita Sancti, qui nonnisi precibus & ex charitate Deum per Christum flectere ad misericordiam conantur.

Doctrinam hanc Ecclesiæ summa æquitate ac sapientia Conc. Trid. Sess. 25. expressit his verbis: *Mandat S. Synodus Episcopis.... ut Fideles diligenter instruant docentes eos, Sanctos, unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor ac Salvator est; ad eorum orationes, opem auxi-*

T. 14. Conc. p. 895. A. B.

lium-

liumque confugere. Deinde contrarium sentientes Concilium damnat: *Illos verò*, pergit, *qui negant, Sanctos æterna felicitate in Cœlo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Jesu Christi; vel stultum esse, in Cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, impiè sentire*. Qua in definitione Concilii observa, in hoc uno hærere fidem, *bonum atque utile esse Sanctos invocare*: non additur, necessarium omninò esse ad salutem illos invocare; quamquam, ut paulò antè de cultu Sanctorum diximus, gravi culpa non vacaret & salutis suæ negligens haberetur, qui vel ex incuria, multò magis ex contemptu, tam pium ac laudabilem usum non observaret.

Et Sess. 22. cap. 3. idem Concilium de Missis in honorem Sanctorum celebrari solitis sic statuit: *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet, Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Ibid. p. 853. E.

Catechismus Romanus seu Concilii Trid. parte 4. titulo: *Qui orandus*, paucis catholicam doctrinam exponit. *Non eodem modo*, inquit, *Deum & Sanctos imploramus. Nam precamur Deum, ut ipse vel bona det, vel liberet à malis: à Sanctis autem, quia gratiosi sunt apud Deum, petimus ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis à Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes: ad Deum enim propriè dicimus, Miserere nobis, Audi nos; ad Sanctum, Ora pro nobis. Quamquam licet etiam alia quadam ratione petere à Sanctis ipsis, ut nobis misereantur; sunt enim maximè misericordes. Ita precari possumus eos, ut conditionis nostræ miseria permoti, sua nos apud Deum gratia, ac deprecatione juvent.*

Si ad hæc testimonia vel tantillùm attendere voluissent Novatores nostri, prorsus abstinuissent à tot mendaciis ac calumniis quibus Catholicam doctrinam de invocatione Sanctorum deprimere ac deformare conati sunt: Concilium enim Tridentinum ejusque Catechismus, occupat ac funditùs evertit vanos illos ac fictitios prætextus, quos illi obtendunt, ut dicant cultum & invocationem Sanctorum idololatricum esse, ac Christo Mediatori & Redemptori omnino contrarium.

Probatur 2. Conclusio ex perpetua & constanti Ecclesiæ praxi ac doctrina quæ in Conciliis declarata fuit. In Ephesino S. Cyrillus ejus Præses, beatum Joannem invocat in Oratione quam ibi habuit die illa sacra. T. 3. Con p. 1021 E.

In Chalcedonensi Act. 11. de S. Flaviano dicitur, *Flavianus post mortem vivit: Martyr pro nobis oret.*

In Nicæno II. quod est generale VII. in decreto fidei Actione 4. sancitum est honorandos esse Sanctos, & eorum intercessiones postulandas, *ut valentes nos familiares reddere regi omnium Deo*. Et Act. 6. *Ergo cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratæ dominæ nostræ & naturæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, atque sanctorum Angelorum, & simul omnium Sanctorum.* T. 6. Con. p. 97. A. T. 7. Con. p. ..2. B. & Ib p. 542. D. E.

Cc 2 Acce-

Accedit antiquissimarum ac ferè omnium Liturgiarum usus, in quibus cum laude Sancti appellantur & invocantur, *ut pro nobis intercedere dignentur in Cœlis quorum memoriam veneramur in terris*.

Hanc esse Ecclesiæ fidem ac traditionem unanimi consensu Veteres testantur.

S. Irenæus L. 5. adversus hæreses c. 19. Mariam comparans cum Eva,

P. 316. n. 1. ait: *Quemadmodum enim illa per Angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita & hæc per angelicum sermonem evangelisata est, ut portaret Deum, obediens verbo ejus. Et si ea inobedierat Deo; sed hæc suasa est obedire Deo, uti virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata*.

At, inquit Editor Anglus Operum S. Irenæi, *Licèt vox*, advocata, patronam *quæ pro altera intercedat, hic significaret, nihil tamen de beata Maria jam defuncta eam accipere cogeret. Et si concedatur, illam nunc pro Fidelibus vivis universè consideratis intercedere, id quod moderatiores Protestantium Doctores meritò admittunt, nec inde quidem ejus invocatio à singulis facta probari posset, quòd incertum, ne dicam falsum sit an audiat, vel possit audire, simul tot mille hominum compellationes*. Lepida profectò ratio! Timet procul dubio Auctor, ne Maria defatigetur *tot mille hominum compellationibus*. Timet ne non possit audire, tam longè à se distantes; timet ne minùs auctoritatis habeat *defuncta*, quàm habuit viva. Quis tam otiosus, ut tot nænias seriò refellere possit?

Origenes Hom. 3. in Cant. *Omnes Sancti*, inquit, *qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deum; non erit inconveniens; scriptum namque est in Libris Machabæorum, Hic est Jeremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo Dei*.

T. 1. p. 338. I.

Ibid. p. 172. I. Idem. Hom. 26. in c. 31. Num. *Quis dubitat*, inquit, *quòd Sancti quique Patrum & orationibus nos juvent, & gestorum suorum confirment exemplis?*

S. Cyprianus Epist. 57. ad Cornelium Summum Pontificem, rogat ut qui ex alterutro prior è vita discesserit, pro superstite, aliisque fratribus divinam imploret misericordiam. *Memores*, inquit, *nostri invicem simus, concordes atque unanimes, pressuras & angustias mutua charitate relevemus; & si quis istbinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio; pro fratribus ac sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio*.

Pag. 92.

P. 663. B. C. Eusebius Lib. 13. Præparationis Evang. cap. 11. *Quæ quidem*, inquit, *in hominum Deo charissimorum obitu egregiè conveniunt, quos veræ pietatis milites jure appellaris. Nam & eorum sepulchra celebrare, & preces ibi votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari consuevimus, idque à nobis meritò fieri statuimus*.

S. Hieronymus Libro adversùs Vigilantium, ex professo rem nostram

T. 4. p. 2. pag. 283. agit. *Dicis in Libello tuo*, ait S. Doctor alloquens Vigilantium, *quòd dum vivimus, mutuò pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim cùm Martyres ultiones sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Unus homo*

Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur; & postquam cum Christo esse cœperint, minùs valebunt?

Superfluum foret ex quarto & subsequentibus sæculis plura hìc referre testimonia: hac laboris parte sublevavit nos Dallæus Calvinista. Is quippe veritate superatus fateri coactus est, usum invocandi Sanctos jam quarto Ecclesiæ sæculo invaluisse, cujus ipsemet multa laudat fidei indubitatæ testimonia ex SS. Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Basilio, Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno &c. sed decretorio suo judicio ille pronuntiat, Patres illos innovasse, ac ritum tribus primis Ecclesiæ sæculis incognitum eos in Ecclesiam induxisse. Res profectò mira! Dallæus decimo septimo Ecclesiæ sæculo, oculatior fuit in dignoscenda trium priorum sæculorum doctrina & disciplina, quàm tot Præsules, tot Pastores, tot Fideles, qui immediatè post vixere, & à majoribus sibi quasi per manus traditam doctrinam & disciplinam receperunt, & ad hanc usque diem constanter retinuerunt: quasi Episcopi, Pastores, Fideles omnes statim ad rei novitatem turbati non reclamassent, si reipsa novus & incognitus ipsis propositus fuisset Sanctos honorandi ac invocandi ritus. Facilè non patitur populus Christianus, ubi de Religione agitur, se ad novos mores ritusque de repente transferri: si ergo, ut fatetur Dallæus, quarto Ecclesiæ sæculo plenè & absque ulla contradictione confirmatus fuit Sanctos invocandi ritus, dubio procul jam antea invaluerat.

Et verò hujus cultus ac invocationis vestigia non desunt secundo Ecclesiæ sæculo. In Actis quippe Martyrii tùm S. Ignatii in Antiochena Sede S. Petri post Evodium successoris, tùm S. Polycarpi, qui Joannis discipulus fuit, legimus illos sanctos Martyres à fidelibus hujus ætatis invocatos fuisse. S. pariter Irenæus, qui secundo floruit Ecclesiæ sæculo, obiit enim an. 201. hujus invocationis mentionem facit loco paulò antè citato. Initio verò tertii sæculi sub Severo, de virgine ac martyre Potamiæna hæc narrat Eusebius L. 6. Hist. c. 5. *Cùm vulgus eam*, (dum ad supplicium ducebatur) *vexare, & obscenis verbis illudere ei conaretur, Basilides quidem eos qui contumeliam virgini faciebant absterrens propellebat, multaque misericordiæ & humanitatis erga illam præbebat indicia. Illa verò benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit: se namque post obitum salutem ipsius à Domino impetraturam, & collata in se beneficia brevi remuneraturam esse*. Promissis stetit virgo, ac brevì post: ut narrat ibidem Historicus, ad fidem conversus fuit, & gloriosè martyr pro Christo occubuit Basilides. Ejusdem sæculi illustre testimonium præbet S. Cyprianus, (obiit martyr ann. 258.) tùm L. de habitu virginum, ubi coronandas martyrio virgines rogabat, ut obtenta virginitatis ac martyrii corona, sui apud Deum meminerint; tùm in Epistola jam laudata ad Cornelium Summum Pontificem.. P. 207. C.

Nec te moveat quòd ex primo ac secundo sæculo non ita frequentia nobis occurrant exempla. Ratio in promptu est: tùm quia pauca hujus ætatis SS. Opera ad nos pervenerunt: tùm quia tunc temporis furente Tyrannorum persecutione, Episcopi solliciti magis erant instruendis; & ad martyrium formandis Fidelibus, quàm Libris scribendis.

Dices: Canone 35. antiquissimi Concilii Laodiceni, cultus Angelorum, velut idololatricus, prohibetur. En verba: *Quòd non oportet Christianos, relicta Dei Ecclesia, abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occcultæ idololatriæ vacare, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, & accessit ad idololatriam.*

T.1 Con. p.1503. A.

Confirmatur ex Theodoreto, qui in ista Apostoli verba Coloss. 2. v. 18. *Nemo vos seducat volentes in humilitate, & religione Angelorum quæ non vidit ambulans*, hæc scribit: *Qui Legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes Legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Proinde Synodus quæ convenit apud Laodicem, quæ est Phrigiæ, lege prohibuit ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem Oratoria sancti Michaelis apud illos illorumque finitimos videre est. Illi ergo humilitate nimirum ducti hoc fieri suadebant, dicentes universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse; & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.*

T.3.pag. 335. B. C.

Duplex Canon. Laodiceni expositio.

Resp. duplicem esse Decreti Laodiceni, ac Theodoreti illud commemorantis interpretationem, unam Bellarmini, alteram Baronii.

Prima Bellarmini. T.2. p. 299.A. B.

Bellarminus L.1.de beatitudine Sanctorum c.20.respondet Apostolum, & postea Synodum Laodicenam, damnare hæresim Simonis magi, qui Platonicos sequutus, docuit quosdam Angelos adorandos quasi minores deos, qui & mundum fabricarunt, & per Prophetas locuti sunt, nec posse ullum placare summum Deum qui invisibilis est, nisi per hos Angelos. S. Hieronymus q.10. ad Algasiam, & Haymo in hunc locum, docet, reprehendi eos, *qui sacrificabant Angelis*; nec ab his dissentit Theodoretus, imò ipse clarissimè omnium docet notari hic Simonianos, qui dicebant, Deum apprehendi non posse, sed per Angelos placandum. Huic interpretationi favet vel ipse citatus Concilii textus, quo damnantur *occultæ idololatriæ servientes*. Favet etiam quòd certò constet ex Epiphanio hæresi 60. & Augustino hæresi 39. extitisse olim Hæreticos *Angelicos*, sic dictos quòd Angelos adorandos, cultuque latriæ soli Deo debito colendos esse docerent.

Quod verò Theodoretus dicit de Oratoriis S. Michaelis, pergit Bellarminus, duobus modis potest intelligi: uno modo, quòd velit dicere, Hæreticos ædificasse Oratoria S. Michaeli, ut eum ibi colerent, secundùm hæresim Simonis, ei sacrificando &c. altero modo, quòd significare voluerit, templa ab Hæreticis extructa ad sacrificandum malis Angelis, esse conversa à Catholicis in Oratoria S. Michaelis, & ex multitudine talium locorum colligi, quàm multùm hæresis Simonis ibi olim grassata fuerit.

Itaque Canon Laodicenus non piam quamlibet Angelorum venerationem damnat ac prohibet, sed eam dumtaxat quæ latriæ dicitur, & soli Deo propria est.

Secunda expositio Baronii.

Baronius ad an. Christi 60. n.15. & sequentibus usque ad 20. ratus neque Simonem, neque Cerinthum, nec quamquam Judæorum hæreticorum docuisse unquam Angelos adorandos esse, Theodoretum putantem Decretum Synodi Laodicenæ spectare Hæreticos Legem Judaicam defendentes, carpit; ac interpretationem Canonis Laodiceni de cultu Angelis abjudicando, peri-

periculosam existimat. Censet igitur, hoc Canone Laodiceno piam ac religiosam venerationem falsorum deorum, illorum nempe quos idololatræ Gentiles & Magi venerabantur, Christianis interdictam esse; idque sic probat: Præcedente Canone 34. veri Martyris cultus religiosus recipitur, falsorum verò Martyrum superstitiosa veneratio prohibetur: dum ergo sequente Canone subjungitur Decretum ad cultum Angelorum reformandum pertinens, manifestum est Synodum voluisse, ut veri Angeli, qui æternam salutem adepti sunt, sicut veri Martyres colantur; falsorum autem Angelorum, sicut & pseudomartyrum, cultus ac veneratio sub pœna anathematis vi[illegible]. [illegible] autem Angelos, quos Gentiles & Magi religiosè colebant, genios fuisse ait Baronius, quorum gratia ipsi, ut ex Censorino de die natali, & Macrobio in Saturnalibus constat, diem Natalitium celebrantes, affines & amicos suos convocabant; seu quod ait Canon, *ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes faciebant*: quamquam probabilius esse judicet, per falsos Angelos intelligi debere dæmones, quos cùm illi ad magias suas perficiendas occultè invocarent, à Patribus hujus Concilii Idololatræ nominati sunt; cùm verò ad imposturas suas honesto nomine velandas, profiterentur se *Angelos invocare*, ut ait Tertull. in Apologet. c. 23. Idololatræ occulti appellantur, quòd nimirum idololatriam honestissimo Angelorum nomine velatam & occultatam committerent.

In hoc igitur differt duplex mox adducta Canonis Laodiceni expositio, quòd Bellarminus velit hoc Canone Angelorum cultum prohiberi contra Simonem, Cerinthum & alios Judaisantes; Baronius verò existimet verum Angelorum cultum contra Gentiles & Magos, stabiliri ac confirmari.

Dices 2. Rom. 10. v. 14. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* At in Deum solum credimus: *Credo in Deum*, ait Symbolum fidei. Et Christus ipse formam orandi præscribens, ait: *Orantes dicite*, *Pater noster* &c. Et Lucæ 11. *Petite & accipietis*. A quo? à Deo ipso, qui solus est cœlestium beneficiorum auctor ac largitor. Ab Angelis ergo & Sanctis nihil petendum, quia nihil ab iis speramus aut accipimus.

Resp. 1. dist. In Deum solum credimus, tanquam objectum primarium fidei; concedo: tanquam unicum objectum, per exclusionem aliorum fidei Mysteriorum, nego. Apostoli mens ac scopus est necessariò prædicandum Evangelium, ut verus Deus ac Christus, cujus invocatione salus obtineri dumtaxat potest, innotescat: quomodo enim invocari potest, nisi cognoscatur? *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Invocatur ergo Christus tanquam salutis nostræ auctor, tanquam Mediator ac Redemptor; gratiæ & gloriæ largitor & auctor, in quo spem omnem nostram collocare debemus, à quo, qui petit, accipit. Angeli autem cæterique in Cœlis degentes Sancti invocandi sunt, ut Dei amici, ut intercessores nostri, qui plurimùm gratia & auctoritate valent apud Deum: nempe ut cœlestem opem, qua indigemus, nobis advocent. Hoc unum ab iis petimus, hoc unum ab iis speramus: non ut cœlestia dona nobis ipsi conferant, absit; sed ut à Deo ea pro nobis impetrent.

2. Christus orandi quidem formam & modum præscribit: at malè inde inferunt Novatores, excludi, aut damnari laudabilem Sanctos invocandi morem; aliàs nec Spiritus sanctus, vi laudati textus, invocandus foret,

quia tantùm dicitur, *Orantes dicite, Pater noster &c.*

Si qui verò ex SS. Patribus, quos Novatores nobis opponunt, dicant *solum Deum invocandum esse*; sensu mox adducto exponendi sunt, nempe solum Deum & Christum invocandum esse, ut gratiæ auctorem, ut Mediatorem ac Redemptorem nostrum; Angelos verò & Sanctos invocandos esse ut Dei amicos, ut patronos nostros, intercessores, advocatos.

Dices 3. Superfluum est invocare Sanctos qui preces nostras audire non possunt, eas præsertim quas sola mente interiùs fundimus. 1. Quia solus Deus scrutatur corda & renes. L. 3. Reg. c. 8. v. 39. 2. Job 14. v. 21. de mortuo homine dicitur: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles non intelliget*. 3. De omnibus vita functis sic pronuntiat Sapiens, Eccles. 9. v. 5. *Viventes sciunt se esse morituros; mortui verò nihil noverunt ampliùs.*

Resp. ad primum, solum Deum propria quidem auctoritate corda scrutari, ac internas animi cogitationes cognoscere; Angelos verò & Sanctos ex Beneficio & notitia à Deo concessa. Ad secundum & tertium eadem est responsio: nisi malueris verba Sapientiæ sic exponere; nempe mortuos insito naturæ lumine propriaque vi non magis rescire quæ hìc aguntur, quàm nos sciamus quid agant mortui in vita altera.

Qua porrò ratione Beati preces nostras cognoscant, certò definire non possumus: sive id fiat Dei revelatione, sive per species à Deo ipsis impressas, sive per visionem ipsam beatificam, sive per ministerium Angelorum, istud prorsus incertum: at dubium non est, quin Sancti quæ nostra sunt, cognoscant, iisque, pro amore quo nos prosequuntur, afficiantur. Nonne Elias post obitum suum Joram Regem, datis ad eum litteris, corripuit? Paralip. 2. cap. 21. Nonne Angelus Raphael offerebat Deo Tobiæ orationes? Nonne Jeremias Propheta, & Onia Sacerdos, ut jam observavimus, Deum deprecati sunt, ut Judæos à durissimo jugo quo premebantur, liberaret? Nonne Abraham Joan. 8. v. 56. *exultavit ut videret diem Christi*; id est verbi Incarnationem: *Vidit & gavisus est?* Nonne idem Patriarcha in Cœlis degens novit divitis epulonis in inferis cruciatus ac tormenta? Lucæ 16. v. 23. Nonne Angeli in Cœlo gaudium sentiunt, *super uno peccatore pœnitentiam agente*? Nonne Martyres Apocal. 6. v. 9. sciunt tortores suos adhuc in terris versari, & nondum sanguinis sui effusi pœnas, quas reposcunt, dedisse? Certa hæc sunt apud omnes & indubitata: quomodo verò hæc omnia, Angelis, Prophetis, Patriarchis, aliisque Sanctis cognita sint? conjecturis dumtaxat, non certò definire possumus: Deum interrogent Novatores, si certò hæc scire voluerint.

De cultu Crucis, Reliquiarum ac Imaginum Sanctorum.

De cultu Crucis.

Summo reverentiæ ac religionis sensu Christi Crucem, tanquam salutis ac ademptionis nostræ pretiosum instrumentum prosecuti sunt Christia-
P. 101. ni, cujus etiam signum omni ferè occasione in se exprimunt, atque in om-
A. ni Ecclesiastica cæremonia usurpant. *Ad omnem progressum*, ait Tertull. L. de coro-

corona militis, cap. 3. *atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quandocunque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus*. Et S. Augustinus Tract. 118. in Joan. ad finem, *Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi Crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium; sive ipsi aquæ ex qua regenerantur; sive oleo quo chrismate unguntur; sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur*. Plura de usu, de præstantia, necessitate & efficacia signi Crucis Veterum testimonia lege apud Bellarminum L. 2. de Imaginibus Sanctorum cap. 29. Operatur autem signum Crucis, tùm ex opere operantis, ratione fidei, pietatis & orationis eorum qui illud adhibent; tùm interdum ex opere operato, pellendo dœmones, morbos sanando &c. Deo ita liberaliter concedente. Dico interdum; namque infallibili Dei promissione effectus illi signo Crucis, aut aquæ benedictæ, cæterisque Sacramentalibus annexi non sunt. T. 3. p. 2. pag. 801. F.

De cultu seu adoratione Crucis agit Bellarm. L. 2. de Imaginibus Sanctorum cap. 26. & sequentibus, ubi plura eam in rem momenta congerit. 1. à Scripturis. 2. à mysteriis in ipsa Cruce significatis. 3. ab inventione Crucis, ex qua multiplex testimonium sumitur. 4. à testimoniis Veterum, qui passim referunt, quanto desiderio tenerentur Fideles habendi, aut saltem videndi particulas veræ Crucis, quod ad magnum Crucis honorem pertinere nemo dubitat. 5. ab Exaltatione Crucis. 6. Si, ait Bellarminus, locus in quo Angelus stetit, terra sancta est, Josue cap. 5. Exodi 3. Cur non magis Crux, ubi stetit Christus? Si sudaria & semicinctia Pauli honorabantur propter contactum, cur non magis Crux Christi sanguine respersa? Si Sacramenta honorantur, quia instrumenta gratiæ, cur non Crux, quæ instrumentum est redemptionis? Hæc porrò fusiùs hìc non prosequimur, quòd sint apud omnes Catholicos certissima; & aliunde plùs æquo hujus Voluminis moles excresceret. T. 2. p. 331.

Hoc unum in quæstionem venit, sit ne Crux, seu ea cui verè affixus fuit Christus, seu alia quælibet ad ejus similitudinem effìcta, vero latriæ cultu adoranda?

An vera Crux Christi, vel imago ejus adoranda sit cultu latriæ.

Bellarminus L. 2. de Imaginibus SS. c. 20. quærens quo genere cultus Imagines sint honorandæ, tres modos distinguit quibus res aliqua honorari potest. 1. per se vel per accidens. 2. propter se, vel propter aliud. 3. propriè vel impropriè. T. 2. p. 329. A.

I. Per se honoratur suppositum, in quo inest ratio venerationis; per accidens verò, id quod supposito adjunctum est: v. g. Rex per se honoratur, Regis purpura & alia adjuncta, per accidens.

II. Id honoratur propter se, quod habet in se rationem venerationis ab alio non dependentem: hoc modo sola natura rationalis est venerabilis. Id verò propter aliud honoratur, quod habet quidem in se causam honoris, quæ tota pendet ab alio: hoc modo signa rerum sacrarum veneratione digna sunt, habent enim in se relationem similitudinis, sive repræsentationem rei sacræ,

ac

ac proinde quamdam excellentiam, sed illa tota pendet ab ipsa re sacra: Secundus ille modus incidere videtur in cultum absolutum vel relativum.

III. Potest aliquid honorari propriè vel impropriè. Id propriè dicitur honorari, quod verè ratione sui ipsius honoratur: impropriè verò, quod honoratur loco alterius. Legatus Regis aliquando honoratur ut Legatus; & tunc propriè ipse dicitur honorari, licèt propter alium honoretur: aliquando honoratur loco Regis, honore proprio Regibus; & tunc ipse impropriè honoratur: propriè autem Rex in ipso tunc honoratur.

Revocari hic debet, quod hujus Quæstionis initio diximus, alium esse cultum latriæ, alium duliæ, & hyperduliæ. S. Thomas 3. p. q. 25. art. 4. in corp. Crucem Christi putat adorandam esse adoratione latriæ. *Si loquamur*, ait, *de ipsa cruce in qua Christus crucifixus est, utroque modo est à nobis veneranda: uno scilicet modo, in quantùm repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea; alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quòd ejus sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ. Et propter hoc etiam Crucem alloquimur & deprecamur quasi ipsum crucifixum.*

Hujus suæ sententiæ fundamentum ibidem art. 3. sanctus Doctor repetit ex Philosopho Lib. de memoria & reminiscentia, ubi docet, unum & eumdem esse motum animæ in imaginem, ut imago est, & in rem ipsam seu exemplar cujus est imago; unde sequitur, eodem planè voluntatis actu, eodemque cultu honorari & imaginem & prototypum: quo nixus principio Doctor Angelicus, existimat Christi Crucem & imaginem adoratione latriæ coli & honorari posse ac debere, quia ipsi Christo debita est latriæ adoratio. Qui ex nostris Theologis eodem nituntur principio, idem pariter sentiunt de adoratione Crucis. Ita, judice Bellarmino, Alexander 3. p. q. 30. art. ultimo, S. Bonaventura, Marsilius, Almainus, Carthusianus, Capreolus, & alii. Nihilominus eorum mentem sic exponere conatur Bellarminus, quasi hoc unum illi voluerint, Crucem adorandam esse latriæ cultu tantùm per accidens, vel propter aliud, vel impropriè, ut mox ex Bellarmino exposuimus.

T. 2. p. 329. G. E contra cæteri vulgò Theologi cum eodem Bellarmino L. 2. de Imaginibus Sanctorum cap. 22. docent, nec Crucem, nec imaginem Christi cultu latriæ adorandam esse. Modus iste loquendi, *Crux, imago Christi adoranda est eo ipso cultu latriæ quo adoratur Deus*, offendit aures Catholicorum, ait ibidem Bellarminus, & præbet occasionem Hæreticis liberiùs blasphemandi; nec caret magno periculo: nam qui defendunt Crucem & imaginem Christi

Ibid. p. 330. B. adorari latria, *coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.* Itaque sit

CONCLUSIO.

Neque vera Christi Crux, neque ejus imago, adoratione latriæ est adoranda.

Ratio est, quòd latriæ cultus supremus est ac soli Deo debitus; nulli ergo creaturæ deferri unquam potest. Neque dicas cultum latriæ quo vera Christi Crux honoratur, esse dumtaxat improprium ac relativum, qui non Cruci propter se, sed propter Christum impenditur. Namque, ait Bellarminus,

nus, de essentia veræ latriæ est exhiberi propter se: latria enim dicitur summus cultus, qui debetur vero Deo ut primo principio rerum omnium; implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum primo principio propter aliud. Nam si primo principio, non ergo propter aliud: si propter aliud, non primo principio; ergo vel Cruci exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc esset vera idololatria; vel non exhibetur propter se, & tunc cultus ille non est veræ latriæ. Præterea, vel ista latria, quæ exhibetur Cruci propter aliud, est idem cultus cum eo qui exhibetur Deo, vel alius minor; si idem; ergo æquè colitur creatura ac ipse Deus, quæ certè idololatria est: nam idololatria non solùm est, cùm adoratur idolum re licto Deo, sed etiam cùm adoratur idolum simul cum Deo: *Deos aureos & deos argenteos non facies mecum*. Si verò cultus ille minor est, non ergo est latria: hæc enim summus cultus est. Hactenus Bellarminus.

Probatur præterea Conclusio auctoritate Concilii Nicæni, quod est septimum generale anno 787. in definitione de cultu Imaginum Actione 7. ubi Patres statuunt omnibus Imaginibus, etiam Christi, non aliam quàm honorariam impendi adorationem. *Et ad honorariam*, inquiunt, *his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quæ secundùm fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartiendam: ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur*. Et Actione 3. ejusdem Concilii, Basilius Ancyranus & Constantinus Cypri Episcopus, abjurantes hæresim, dicunt se recipere & colere Imagines, non tamen latria. Hanc Concilii definitionem haud dubiè ignoravit S. Thomas, quam nullibi laudat. *T. 7. Conc. pag. 555.D. B.* *Ibid. p. 187.*

Accedit & auctoritas S. Ambrosii Oratione de obitu Theodosii, ubi de Helena Constantini Imperatoris matre sic loquitur num. 46. *Invenit ergo titulum* (Crucis) *Regem adoravit, non lignum utique; quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum: sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo*. Et S. Hieronymus in Epistola ad Riparium, de Martyribus ait: *Honoramus reliquias Martyrum, ut eum cujus sunt Martyres adoremus.. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad dominum*. Si redundat ad dominum, non idem ergo omnino est, sed minor. *T. 2. p. 1211.A.* *T. 4. p. 2. pag. 279.*

Dices 1. Communis ac trita est Christiani populi vox, nos Crucem adorare, ante quam genua flectimus, ac toto corpore prosternimur. S. Hieronymus Epist. ad Eustochium de obitu Paulæ, *Prostrata*, inquit, *ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat*. *Ibid. p. 673.*

Resp. adorationis nomen revera usurpari à Catholicis, cùm de cultu Crucis agunt: verum etiam est, ante illam nos genua flectere, toto corpore prosterni, illi oscula dare &c. Verùm hæc latriam veram non indicant: coram Regibus genua flectimus, toto corpore prosternimur; neque tamen eos latria honoramus.

Nomen adorationis, ut initio hujus Quæstionis observavimus, commune est, cujus sensus determinatio pendet, tùm ex objecto quod honoratur, tùm ex animo seu intentione honorantis: at certum est nos, seu voce adorationis, seu corporis conformatione, significare nolle, vero latriæ cultu à nobis adorari Crucem aut imaginem Christi, sed tantùm majorem honorem

ac

ac cultum ei nos deferre, quàm cæteris Sanctorum imaginibus. Paula, de qua S. Hieronymus, Crucem non adorabat, sed Christum, quem sibi repræsentabat in Cruce pendentem.

Dices 2. De cruce Ecclesia canit: *O crux, ave spes unica: auge piis justitiam, reisque dona veniam*. Rursus, *O crux adoranda. Tuam crucem adoramus &c.*.

Resp. cum Bellarmino, vel his verbis accipi Crucem pro ipso Christo, à quo salutis præsidia petimus; aliàs vi illorum verborum significaretur nos in ipsa Cruce, præcisè ut est Crux Christi, ac independenter ab illo, spem nostram collocare, ab ea nos aliquid petere ac sperare, quod falsum est: vel ea verba figuram rhetoricam continere, qua Ecclesia Crucem alloquitur, eo modo quo Moyses alloquitur cœlum & terram, cùm ait Deuter. 32. *Audite cœli quæ loquor*; & eo etiam modo quo beatus Andræas Crucem alloquebatur, cùm diceret, *O crux pretiosa, diu desiderata &c.* hac autem figura rhetorica significamus, nos desiderare fructum Crucis, id est, æternam salutem per merita Christi qui in Cruce pro nobis passus est. *Mihi absit gloriari*, ait Apostolus Galat. 6. v. 14. *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo*.

Dices 3. S. Ambrosius L. de Incarnationis dominicæ sacramento cap. 7. ait, eadem adoratione coli divinitatem Christi, & ejus Crucem. *Num*, ait, *cùm in eo* (Christo) *imaginem Dei, crucemque veneramur, dividimus eum?* T. 1. p. 700. D.

Resp. S. Ambrosium per Crucem intelligere passionem ipsam Christi, seu carnem patientem, sicut per imaginem Dei intelligit divinitatem. Mens ejus est, unum esse Christum Deum & crucifixum, & propterea cùm adoratur Christus Deus, non separari ab illo humanitatem; & cùm adoratur Christus cruci affixus, non separari divinitatem.

Dices 4. Honor imaginis transit in exemplar; igitur idem est honor imaginis & exemplaris: adeoque si exemplar colitur latria, ita & imago. Confirmatur: Quia mensura adorationis uniuscujusque rei, est ratio seu ipsamet excellentia rei, propter quam adoratur: sed ratio cur adoratur imago, alia non est quàm excellentia exemplaris, ergo idem planè honor debetur imagini, qui & exemplari.

Resp. nego conseq. Licèt enim honor Imaginis transeat in exemplar: licèt eodem actu, seu motu anima feratur in imaginem & prototypum, (de quo tamen non consentiunt omnes Theologi) non sequitur eodem planè honore imaginem cum exemplari seu prototypo honorari. Annon, quæso, major ipsi Regis personæ reverentia & cultus debetur, quàm aut ipsius imagini, aut vestimentis? At, inquies, nonne ex contactu corporis Christi crux majorem ac latriæ honorem meretur? Majorem in ordine cultus religiosi seu sacri cultum haud dubiè meretur; at non latriæ seu supremæ adorationis. An calix qui Christi verum continet sanguinem, an corporalia, patenæ, quæ verum Christi corpus tangunt, cultu latriæ adorantur? non certè; ergo neque Crux Dominica. Ergo falsò prorsus Novatores idololatriæ reos nos accusant, quòd Crucem adoremus: eam certè, seu lignum in se non adoramus; sed Christum nobis animo præsentem, qui in cruce pependit.

De

De cultu sanctarum Reliquiarum.

CONCLUSIO.

Reliquiis Sanctorum meritò ac licitè religiosus cultus impenditur.

Probatur: Quia ita fert antiqua Ecclesiæ praxis ac traditio, quæ innumeris ferè monumentis demonstrari posset. Ita Eusebius L. 7. Hist. cap. 19. scribit summa cum reverentia in Ecclesia Hierosolymitana servatam esse S. Jacobi Cathedram. Sancti etiam Ignatii Martyris Reliquias summa cura collegerunt & asservarunt Presbyteri & Diaconi Ecclesiæ Antiochenæ. Ruffinus L. 2. Hist. cap. 26. scribit S. Joannis Baptistæ Reliquias Sebastæ summo cum honore asservatas fuisse. Hinc est quòd Celæstinus S. P. in Epistola ad Concilium Ephesinum, Patribus hujus Concilii sic gratulatur: *Vos Joannis Apostoli Reliquias præsentes veneramini.* Multa alia brevitatis causa prætermittimus. Cultus autem ille non sine ignorantia aut calumnia, velut idololatricus, à nostris Novatoribus traducitur; ideò enim honos illis defertur, ait Concilium Tridentinum Seff. 25. quia viva membra fuere Christi, & templum Spiritus sancti: neque spem nostram in illis ponimus, absit; sed solo in Deo, à quo per merita Christi & intercessionem Sanctorum, opem & auxilium imploramus ac speramus. *T. 3. Conc. p. 615. D.* *T. 14. Conc. p. 899.*

In his verò potissimùm consistit cultus qui SS. Reliquiis exhibetur. 1. quòd solicitè quærantur, ac cum honore asserventur. 2. quòd in Ecclesiis honorificè collocentur. 3. quòd Sanctos, ad earum Reliquiarum conspectum, pro magistris ac doctoribus habere nos profiteamur. 4. quòd eas osculis, contactu, luminaribus, thure, peregrinatione, solemnitate festorum, pro more & usu Ecclesiarum probato, honoremus.

De cultu Imaginum.

Duo generatim erunt controversiæ præsentis capita. Primum; an usus Imaginum antiquus sit in Ecclesia? Alterum: an cultus Imaginum licitus sit? Prior quæstio facti est, altera dogmatis. Utrumque verò caput ampla Dissertatione, quæ est de Imaginibus, prosecutus est Dallæus Calvinista, in qua contendit 1. ante quartum Ecclesiæ sæculum vix cognitum fuisse Christianis Imaginum usum. 2. religiosum earumdem cultum omnino illicitum esse ac idololatriæ plenum.

De prima Iconomachorum origine tractat Bellarm. Lib. 2. de Imaginibus Sanctorum cap. 6. quem consule. Verùm nullus majori furore in Imagines debacchatus est, quàm Imperator Leo Isauricus, qui Judæorum instigatione publico Edicto anno 730. Imaginum usum extingui ac penitus aboleri jussit, unde Iconomachus cognomento appellatus. Huic forti animo restitere Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, Joannes Damascenus, Gregorius II. S. Pontifex, qui convocata Romæ Synodo an. 732. Episcoporum 93. recentem hæresim proscripsit.

Impie-

Impietatem Leonis sequutus est Constantinus Copronymus hujus Leonis filius, qui coacto ex omnibus suæ ditionis partibus Episcoporum 338. Concilio anno 754. patris sui Decretum adversùs Imagines confirmavit, imò & Pipinum Francorum Regem, in eundem errorem adducere tentavit: at frustra: vide Cointium in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum 767.

Copronymo successit Leo ejus filius, paterni in Imagines odii ac furoris hæres.

Post Leonem imperavit Constantinus cum Irene matre sua, à quibus restitutus est Imaginum usus & legitimus cultus, convocata eam in rem anno 787. generali Synodo, Constantinopoli primùm inchoata, tùm Nicææ absoluta, quæ VII. est generalis seu Oecumenica Synodus pro cultu & veneratione Imaginum. Cùm autem hujus Synodi Acta latinè malè reddita, Gallis nostris innotuissent, multorum animos commoverunt tùm nomen *adorationis* quo Synodus frequenter utitur, tùm ritus quidam honorandi Imagines, apud nos ea ætate peregrini ac insoliti. Quapropter Carolus Magnus Imperator zelo fidei & antiquæ doctrinæ tuendæ incensus, quatuor Libros conscripsit, aut conscribi jussit, qui *Carolini* dicti sunt, adversùs Synodum Nicænam. Quin & in Synodis Parisiensi & Francofordiensi Canone 2. Græcorum sententiam perstrinxit ac damnavit: quamquam, ut dicemus paulò post, errore facti actum id fuerit, ex falsa nempè opinione, Græcos cultu latriæ Imagines adorare; unde VII. Synodo ad duodecimum usque sæculum nostri deinceps obstitere, ut liquet ex Eginhardo, Hincmaro, Adone &c. Tandem extinctam ferè Iconomachorum hæresim rursus excitarunt Claudius Taurinensis Episcopus, Vvaldenses, Albigenses, Lutherani & Calvinistæ.

An Imaginum usus antiquus sit in Ecclesia.

Bellarminus L. jam citato cap. 7. demonstrat, licitum esse Imagines facere & habere. Cap. 8. non esse prohibitas Imagines Dei. Cap. 9. Imagines in templis rectè collocari. Cap. 10. Imagines utiles esse etiam extra historiam. Non permittunt præfixi nobis limites, ut in his persequendis hæreamus: ea consulat studiosus Theologiæ Candidatus.

CONCLUSIO.

Non ita quidem frequens, attamen fuit aliquis apud Christianos tribus primis Ecclesiæ sæculis, Imaginum usus.

Prima Conclusionis pars, cùm à Dallæo ultro admittatur, probatione non eget positiva, sed solo Veterum silentio demonstratur. Et verò manifesta ratio est, cur tribus primis Ecclesiæ sæculis tam frequens non fuerit Imaginum usus & cultus. Ex utroque scilicet populo, Gentili, ac Judæo, congreganda & formanda erat Ecclesia, omnisque scandali & offensionis occasio procul ab iis removenda. Judæi namque ex Legis suæ præscripto, ab omni simulacro seu imagine toti erant alieni; ex alia parte Gentiles simulacris, statuis, imaginibus, idolis toti immersi, in quibus aliquid divini latere arbitrabantur, ab illorum cultu avocandi erant, ut verum Deum in spiritu

ac

ac veritate adorarent. Quapropter sapienter omnino Ecclesia voluit ab eorum oculis certo tempore imagines removeri, nec illis ad cultum proponi.

Secunda verò pars Conclusionis his exemplis ostenditur. 1. Statuæ æneæ quam in honorem Christi erexisse fertur mulier illa, quam à profluxu sanguinis Christus liberavit. Rem sic narrat Eusebius L. 7. Hist. c. 18. *Non incongruum fuerit*, ait, *rem quamdam memoria in primis dignam posteris tradere. Etenim mulierem illam sanguinis profluvio laborantem, quam ex sacris Evangeliis discimus à Servatore nostro curatam fuisse, ex hac civitate* (Paneade) *originem traxisse ferunt; domumque ejus ibidem conspici; & collati in eam à Servatore nostro beneficii illustria extare monumenta. Quippe juxta januam domus illius, ænea mulieris effigies stare dicitur columnæ lapideæ imposita, genibus flexis, protensisque manibus instar supplicantis. Ex adverso autem effigies viri ex eodem metallo conflata, stantis ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis: ad cujus pedes in ipsa basi ignota quadam nasci dicitur planta, quæ ad fimbriam usque æneæ diploidis assurgens, depellendis omnis generis morbis præsentissimum remedium est. Hanc statuam Jesu Christi speciem referre aiebant. Mansit porrò ad nostra usque tempora: nosque adeo urbem illam ingressi, ipsam conspeximus. Nec verò mirandum est, Gentiles à Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse, cùm & Apostolorum Petri & Pauli, Christique ipsius pictas Imagines, ad nostram usque memoriam servatas in talibus viderimus. Quippe prisci illi, absque ullo discrimine, cunctos de se benè meritos gentili quadam consuetudine tanquam servatores colere hujusmodi honoribus consueverant*. Hactenus Eusebius, qui propriis oculis inspexerat & statuam, quam mulier à Christo sanata in honorem ejus Paneade erexerat, & Imagines tùm Christi, tùm Apostolorum Petri & Pauli depictas. P. 265.

Secundùm exemplum suppeditat Tertullianus, Christi scilicet sub specie pastoris ovem amissam ad ovile humeris suis reportantis, depicti in calicibus; unde Catholici duriorem Montanistarum disciplinam carpendi occasionem & argumentum sumebant. *Procedant*, inquit nomine Montanistarum Catholicos sugillans L. de pudic. cap. 7. *ipsæ picturæ calicum vestrorum*. P. 559. B.
Et c. 10. *Si fortè*, inquit, *patrocinabitur pastor, quem in calice depingitis, prostitutorem & ipsum christiani sacramenti*. Pastor autem ille depictus, non P. 563.
quilibet, sed Christus erat: *Ovis propriè christianus, & Grex Domini Ecclesiæ* A.
populus, & pastor bonus Christus, ait citato cap. 7. Tertullianus. Denique P. 559.
Concilium Eliberitanum prohibens Canone 36. picturas in Ecclesia fieri, B. T. 1.
non obscurè indicat picturas in Ecclesia fuisse, quas certis de causis postea Conc. p.
referendis, prohibet. 974. D.

Superfluum videtur plura ex subsequentibus sæculis proferre usus Imaginum exempla & testimonia, cùm hæc ultro agnoscat & fateatur Dallæus.

An licitus sit Imaginum cultus, & quo cultu colende sint.

Quatuor sunt eam in rem sententiæ.

Prima, omnino erronea, eorum scilicet qui non tantùm omnem Imaginibus cultum & honorem denegant, sed eas delendas etiam è Templis, ubi collo-

collocatæ sunt, deturbandas, conterendas ac frangendas esse impiè opinantur, unde Iconomachi & Iconoclastæ dicti.

Secunda, Imaginem nullo modo in se colendam esse, sed solùm coram Imagine colendum exemplar. Ita quidam, quos refert ac refellit Catharinus. Fundamentum hujus sententiæ est, dictum sancti Basilii sæpius relatum in VII. Synodo, *Honor Imaginis transit in exemplar*. Non ergo, concludunt hi Doctores, ipsa Imago est quæ honoratur, sed solum per illam & in illa honoratur exemplar. Non absimili ferè effugio veteres Pagani, saltem Litterati, ut invidiam tam crassæ ac supinæ, quæ ipsis objiciebatur, idololatriæ declinarent, reponebant, se non idola, non statuas auri vel argenti adorare, sed tantùm latentes in iis deos, aut eorum virtutem. Ita S. Augustinus in Psal. 113.

T. 1. p. 261. & seq.

Tertia eorum est, qui eumdem planè honorem & Imagini, & exemplari deferendum esse volunt; atque ita vera latriæ adoratione coli debere & crucem, & imaginem Christi, quia Christus tali cultu honorandus est: de qua opinione paulò antè diximus.

Quarta denique sententia eorum est, qui dicunt, ipsas Imagines in se & propriè honorari debere, sed honore minori, quàm ipsum exemplar; ac proinde nullam prorsus Imaginem adorari debere cultu latriæ. Ita Martinus Peresius in Libro de Traditionibus, Tractatu de Imaginibus; item Ambrosius Catharinus in Tractatu de Imaginibus; Sanderus L. 2. c. ultimo de Imaginibus: Gabriel, qui in 3. dist. 9. q. unica, & in canonem Missæ Lect. 49. ubi ait Imaginem adorari eadem adoratione cum exemplari, non tamen *univocè*, sed *analogicè*: hoc enim idem est dicere, ac Imagines coli cultu inferiore, quàm ipsum exemplar.

Observa 1. quod jam observatum fuit, aliquid honorari posse, per se, vel per accidens; propter se, vel propter aliud; propriè, vel impropriè.

Observa 2. cultum & honorem qui defertur Imaginibus, absolutum non esse, sed relativum, qui ad exemplar totus refertur ac terminatur.

Observa 3. nullum esse de colendis Imaginibus pro unoquoque Christiano positivum præceptum, sed negativum dumtaxat, quod semper obligat: nempe nusquam licet Imagines Sanctorum spernere, cultum ipsis exhibitum irridere, aut damnare; multò minùs eas delere aut frangere.

Observa denique, distingui hìc apprimè debere dogma fidei, & disciplinam Ecclesiæ. Dogma fidei in eo præsertim est, *Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum Imagines in Templis præsertim habendas & retinendas esse, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam*. Disciplina verò Ecclesiarum varia esse potest in modis seu signis quibus honos & cultus sacris Imaginibus debitus exprimitur, per oscula, thus, lumina, prostrationes &c.

Conc. Trid. Sess. 25. T. 14. Conc. p. 895. D.

PRIMA CONCLUSIO.

Licitus est Imaginum cultus, nec idololatriæ incusandus.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ. Quamvis enim Deus Judaico populo crasso & ad idololatriam proclivi, omne simulacrum prohibuisset, atta-

attamen Exodi 25. duo Cherubim super Arcam ponuntur, & procul dubio aliquo in honore habebantur ab iis, qui proni Arcam adorabant. Numer. 21. Serpens æneus erigitur, ut qui eum aspexissent, à serpentibus vulnerati sanarentur. Quanto honore ac cultu à Judæis Arca Domini honorata fuerit, nemo nescit. Deuter. 10. v. 8. *Separavit Moyses Tribum Levi, ut portaret Arcam Domini*. Josue 3. v. 4. dum Arca portaretur, *Cavete*, ajebat Josue, *ne appropinquetis ad Arcam*. Ibidem c. 7. v. 6. *Josue pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quàm omnes senes Israel*. 1. Regum 6. v. 19. *Percussit Deus de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent Arcam Domini*. Et L. 2. Reg. c. 6. v. 7. cùm Oza manum suam ad Arcam, ne fortè caderet, extendisset, *percussus est à Domino super temeritate sua*. Narratur ibidem, quàm insigni pompa David in civitatem Sion Arcam induxerit. Quid verò erat Arca, nisi opus ex lignis manufactum? Attamen summo cultu ac reverentia Judæi eam venerabantur: non ergo ex se illicitus est, nec idololatriæ arguendus cultus qui rebus inanimatis & fictis impenditur, propter exemplar quod repræsentant & ad quod referuntur.

Probatur 2. Ecclesiæ Traditione & usu antiquo.

Philostorgius Hist. L. 7. c. 3. testatur æneam Christi statuam, de qua Eusebius paulò antè citatus, in diaconico loco decenti collocatam, non sine honore aliquo ac reverentia à Christianis habitam fuisse. *Edit. Vales. p. 503. A.*

S. Hieronymus in vita Paulæ, ait illam ante crucem Christi prostratam, adorasse, quasi pendentem in ea Christum vidisset. Et Epist. 44. aliàs 17. quæ est Paulæ & Eustochii ad Marcellam: *Venerabantur*, inquit, *quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca testamenti .... Nonne venerabilius tibi videtur sepulchrum Domini?* *T. 4. p. 2. p. 673. Ibid. p. 548.*

S. Ambrosius Oratione de obitu Theodosii, *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ Crucem Christi in capite Regum levavit & locavit, ut Crux Christi in regibus adoretur*. Et Serm. 10. in Psalm. 118. *Qui*, inquit, *imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique cujus statuam conspuaverit, fecisse videtur injuriam*. *T. 2. p. 1211. D. T. 1. p. 1095. D. E.*

S. Augustinus L. 3. de Trin. cap. 10. loquens de signis sacris, quales sunt Imagines, Litteræ, & Sacramenta: *Sed quia*, inquit, *hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt*. *T. 8. p. 803. F.*

Sanctus denique Gregorius Magnus L. 9. Epist. Indictione 2. Epist. 52. ad Secundinum, mittens ei Imaginem Christi, quam ille petierat, *Scio*, inquit, *quòd Imaginem Servatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei in ejus amore recalescas, cujus tu imaginem videre desideras. Et nos quidem, non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur*. *T. 2. p. 971. D.*

Probatur 3. decretis Conciliorum generalium VII. VIII. & tandem Tridentini.

Concilium Nicænum II. quod septimum est Oecumenicum, ex professo contra Iconomachos pro cultu & honore Imaginum ann. 787. convoca-

Tom.7. Conc.p. 555.C. tum, Act. 7. in definitione fidei sic pronuntiat: *Sequentes divinitùs inspiratum Sanctorum Patrum nostrorum magisterium, & Catholicæ traditionem Ecclesiæ, (nam Spiritus sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in omni certitudine & diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles & sanctas Imagines proponendas, tamque de coloribus & tessellis, quàm quæ ex alia materia, congruenter in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet Imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quàm intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum, simul & almorum Virorum. Quantò enim frequentiùs per imaginalem formationem videntur, tantò qui eas contemplantur, alacriùs eriguntur ad primitivorum earum memoriam & desiderium, & ad osculum & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ secundùm fidem est, quæque solam naturam divinam decet, impertiendam: ita ut istis, sicut figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis & sanctis Evangeliis & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem conficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquæ piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit; & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est Traditio sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium.*

Concilium Constantinopolitanum IV. quod est VIII. generale, Act. 10.
Tom 8. Conc.p. 1370.B.C. Canon. 3. de cultu Imaginum decernit his verbis: *Sacram Domini nostri Christi effigiem eadem qua sancta Evangelia veneratione colendam statuimus. Ut enim per syllabas in Evangelio scriptas salutem consequuntur omnes, ita per Imagines arte coloribusque pictas & expressas, docti juxta ac indocti ex objecta re utilitatem capiunt. Quæcumque enim in syllabis oratio, hæc in coloribus pictura docet & repræsentat. Ergo quicumque Christi Salvatoris imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem. Eadem ratione intemeratæ genitricis illius effigiem, sanctorumque Angelorum, quemadmodum illos sacrarum Litterarum paginæ describunt, ac Sanctorum omnium veneramur & colimus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto.*

Denique Concilium Trid. aliorum vestigiis inhærens, fidem Ecclesiæ
To.14. Conc.p. 895.D. nitidè exponit Sess. 25. *Imagines Christi*, ait, *Deiparæ, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas ac retinendas, eisque debitum honorem & reverentiam impertiendam: non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab iis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia sit in Imaginibus figenda: veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi, decretis contra Imaginum impugnatores est sancitum.*

Probatur denique ratione, 1. Quia Imaginum cultus nihil in se continet, quod sit intrinsecè ac per se malum. Non enim, ut ait Conc. Trid. mox laudatum, *aliquam in illis aut divinitatem, aut virtutem agnoscimus*: in illis

illis spem nullam aut confidentiam ponimus; sed propter exemplaria, quæ repræsentant, eas honoramus; per illas ad nostrum in Christum amorem & grati animi sensum propter tot beneficia quibus nos cumulavit, significandum excitamur; præclara SS. facta in memoriam revocamus, & ad eorum imitationem accendimur. 2. Imperatorum Imaginibus civilem cultum exhiberi, nemo ignorat: quidni ergo & Imaginibus Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum cultus aliquis impertiendus? non latriæ quidem, nec etiam merè civilis, sed inter utrumque quasi medius, qui religionis dicitur, ob excellentiam & merita eorum, quos repræsentant, & ad religionem pertinet. Medium hunc cultum, seu honoris gradum, Dallæus ipse videtur non rejicere: exponens quippe locum S. Gregorii Magni imperantis, *ut quà dignum est veneratione imago & crux Christi in Ecclesiam referrentur*, declarat se ab hoc alienum non esse, & admittit quemdam honoris gradum, qui debitus sit omnibus religionis instrumentis, calicibus v. g. Libris sacris, quos Antiqui *honorabiles & venerabiles* appellant; sed ipsi displicet, quòd ille honoris gradus, *religiosus* dicatur. Verùm nulla esse debet apud nos de nomine quæstio. Fatemur cultum illum latriæ non esse: fateri videtur Dallæus, eum merè civilem ac politiæ non esse, sed medium inter utrumque; nullo autem aptiori, quàm *religiosi* nomine donari potest, nempe propter objecta, quæ religionis sunt, ad quæ tendit ac terminatur. Appellet, quo nomine voluerit, cultum illum Dallæus, curæ nobis non erit, modò fateatur licitum illum esse ac laudabilem, qui nihil erroris, periculi nihil, apud cordatos & doctrinæ Ecclesiæ peritos, contineat. Si seriò, absque invidia & altercationis studio, ad hæc attendere voluisset Dallæus, omissa, quæ in Libro ejus obtenditur, eruditionis pompa & ostentatione, à ridicula, qua nos onerat, idololatriæ criminatione, abstinuisset. 3. Calvinistarum hæc est disciplina, ut *reverenter* seu *dignè*, *cum summa humilitate ac reverentia Eucharistia suscipiatur*. Ita Albertinus L. 2. de Eucharistia pag. 432. & Dallæus cap. 10. Apologiæ. Atqui tamen Calvinistæ docent Eucharistiam esse tantùm figuram corporis Christi, per fidem dumtaxat, non verè ac realiter præsentis; ergo panem & vinum, meram corporis Christi figuram, symbolum ac imaginem, cultu quodam religioso ipsi colunt & honorant. Nec eos juvat, quòd Christus ipse figuram illam instituerit. Quid enim inde? nisi in cultu & honore, qui figuræ defertur, nihil ex sese erroris ac periculi esse. Neque verò ad abusum, si quis sit, rudioris & imperiti populi, attendi debet, sed ad publicam Ecclesiæ doctrinam, qualem exposuere mox laudata Concilia, Tridentinum in primis.

4. denique, in templis honorificè collocatas esse & Martyrum Reliquias & SS. Imagines, testantur ex Veteribus S. Gregorius Nyssenus Oratione de S. Theodoro martyre, Tom. 3. editionis Morell. pag. 579. S. Asterius Amaseæ Episcopus, Sermone in sanctam Euphemiam Martyrem, pag. 207. in Auctuario Biblioth. Patrum à Patre Combefis; S. Paulinus Epistola 32. aliàs 12. ad Severum n. 2. S. Nilus L. 4. Epist. 61. ad Olympiodorum Eparchum; S. Augustinus L. 22. contra Faustum cap. 73. S. Ambrosius Epist. 53. S. Joan. Chrysostomus Orat. 45. ad populum Antiochenum; S. Gregorius Magnus Lib. 9. Epist. 9. ad Serenum Episcopum Missilien-

 sem;

P. 507. D. sem; Concilium Nicænum II. seu VII. generale, Act. 4. p. 199. tomi septimi Conc. Narrat Eusebius L. 3. de vita Constantini c. 49. *tantum divini numinis amorem* in eo Principe fuisse, *ut in totius Palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula, quæ in medio lacunaris inaurati expansa est, signum Dominicæ passionis ex auro pretiosisque lapidibus elaboratum infixerit; atque hoc tanquam præsidium ac tutelam Imperii piissimum Principem statuisse.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt, non quidem cultu latriæ; aut etiamnudo ac simpliciter civili, sed religioso, non penitus absoluto, sed relativo ad exemplaria quorum Imagines sunt.

Conclusio hæc ex dictis hactenus ac probatis certa est, nec ulteriori probatione indiget. Vide Bellarminum L. 2. de Imaginibus SS. c. 21. 22. 23. 24. & 25. ubi sequentes propositiones statuit.

Cap. 21. *Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt, non solùm per accidens, vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris.* Paulò antè, ex ipsomet Bellarmino, distinctionem illam cultus qui impenditur vel per se vel per accidens, propter se vel propter aliud, propriè vel impropriè, exposuimus, sicut & secundam ex quatuor sententiis, cui præsentem conclusionem opponit. Videtur ista conclusione Bellarminus aliquam cultus partem erga Imagines absolutam agnoscere.

T. 1. p. 329. & seq.

Cap. 22. *Quantùm ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum; non est dicendum Imagines ullas adorari debere latria; sed è contrario non debere sic adorari.*

Cap. 23. *Si de re ipsa agatur, admitti potest, Imagines posse coli impropriè; vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.*

Cap. 24. *Imago per se & propriè non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar; & proinde nulla imago est adoranda cultu latriæ per se, & propriè.*

Cap. 25. *Cultus qui per se, & propriè debetur Imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogicè & reductivè pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.* Hæc omnia doctè ac nitidè, more suo, prosequitur Bellarminus.

Solvuntur Objectiones.

Duplex interpretatio. Prima. Prohibetur sculptile, ut adoretur.

Objicies 1. Deuter. 5. v. 8. Deus expresse prohibet ne ullum fiat sculptile. *Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in Cœlo sunt, desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra.*

Resp. duplicem esse hujusce prohibitionis vulgatam interpretationem. Prima est, prohiberi omne sculptile, ut adoretur; statim enim sacer contextus addit: *Non adorabis ea, & non coles, Ego enim sum Dominus tuus: Deus æmulator.* Hac lege Deus præmunire vult Judæos adversùs insanam

Gen-

Gentium idololatriam, de quibus Apostolus Rom. 1. v. 23. ait: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium...qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; & coluerunt; & servierunt creaturæ potius quàm creatori*. Citatis itaque Deuteronomii verbis, idololatria prohibetur, seu cultus imaginum aut simulacrorum, quæ vel pro diis habentur; vel in quibus tanquam dii coluntur, qui reipsa dii non sunt; vel denique in quibus numinis aliquid aut divinæ virtutis latere creditur. Quid porro istud commune habet cum nostra catholica de cultu Imaginum doctrina? nihil prorsus.

Secunda interpretatio est, hac positiva lege Judæis omnino interdictum fuisse omnem imaginum, simulacrorum ac sculptilium usum; nempe ob imminens idololatriæ periculum, ad quam rudis ille populus, & ex se proclivis erat, & commercio atque exemplo Gentilium pertrahi facilè poterat. Lex verò illa positiva ad tempus fuit, non perpetua; extant etenim apud Judæos probata simulacrorum exempla, Arcæ, Cherubinorum, serpentis ænei: ea igitur lege non magis jam obstricti sumus, quàm lege abstinendi à sanguine & suffocato, quæ ad tempus dumtaxat ab Apostolis lata fuit, non perpetuò duratura. Secunda interpretatio Omnis imago ad tempus prohibetur.

Primam interpretationem oppugnat Calvinus L. 1. Instit. c. 11. n. 10. ac contendit 1. neque Gentiles, neque Judæos idola sua deos vocasse. 2. eos omnes non idola, sed in illis verum Deum coluisse & adorasse. Primam interpretationē oppugnat Calvinus.

Verùm aberrat Calvinus.

I. Ethnicos idola sua deos vocasse *nemo nescit*, ait Bellarminus L. 2. de Imag. c. 13. *qui aliquid in Poetis vel etiam Oratoribus legerit*. Danielis 5. de illis dicitur: *Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos & argenteos; æreos, ligneosque & lapideos*. Et Sap. c. 13. *Appellaverunt deos opera manuum hominum*. I. Gentiles idola sua deos appellarunt.

Non minùs aberrat Calvinus cùm ait, tam stupidos & hebetes non fuisse Paganos, ut idola pro veris diis habuerint. Esto enim, nonnulli inter eos oculatiores clam & apud se taciti popularem idolorum cultum irriserint, quod de Socrate narratur: at vulgus, populus ipse universus in ea crassa & supina versabatur sententia. Hinc tam vehemens & acris Prophetarum, Apostolorum, SS. Patrum in Gentiles censura & increpatio; imò festiva & jocularis eorum irrisio, Psalm. 113. Isajæ cap. 46. Habacuch 6. Baruch. &c. *Simulacra venerantur*, ait S. Aug. L. 3. de doctrina Christiana c. 7. *vel tanquam deos, vel tanquam signa & imagines deorum*. Et Serm. 2. in Psal. 113. *Cùm adorari atque honorari à multitudine cœperit*, (Simulacrum) *parit in unoquoque sordidissimum erroris affectum, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat numen occultum*. *Dum opinio*, ajebat Octavius in Dial. Minucii Felicis, *& mens imperitorum artis concinnitate decipitur auri fulgore præstringitur, argenti nitore & candore eboris hebetatur*. Ita & Lactantius Lib. 2. capit. 2. *Quæ igitur*, inquit, *amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeant, aut timere quæ finxerint? .... Quid sibi templa, quid aræ volunt, quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium monumenta sunt?* Arnobius denique L. 1. contra Gentes. *Venerabar*, inquit, *o cæcitas, nuper simulacra modò ex fornacibus prompta, in* II. Gentiles idola sua ut deos coluerunt. T. 3. p. 1. p. 48. E. T. 4. p. 1261. D Ad calcem Oper. S. Cy pr. p. 19. C. D. Pag. 88. Ibid. Ad calcem Oper. S. Cy pr. p. 11. ibid.

incudibus deos, & ex malleis fabricatos. Et infrà: *Tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam....duos esse credebam ligna, lapides, ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia.* Nihil expressius ad confutandam Calvini evasionem proferri potest: tametsi enim supponeretur, quod supponi non potest, Paganos idola sua pro diis non habuisse, non minùs tamen abominandæ ac planè insulsæ idololatriæ rei fuissent, qui in hujusmodi figmentis, numinis aliquid & divinæ virtutis insidere credebant, & ab iis opem & auxilium supplices implorabant.

S. Augustinus Serm. 2. in Psal. 113. ait nonnullos subtiliores, qui videbantur sibi defæcatioris ac purioris esse religionis, dicere solitos, *se nec simulacrum, nec dæmonium colere, sed per effigiem corporalem ejus rei signum se intueri, quam colere deberent.* Verùm & hi postremi multiplicis sceleris in eo ipso rei manifesti erant: tùm quòd effigiem Dei veram se habere jactitabant eamque corpoream; tùm quòd eam proni adorarent; tùm denique quòd ab ipsa peterent aliquid ac sperarent.

T. 4. p. 1261. F.

III. Judæi falsos deos coluerunt.

Quantùm verò ad Judæos spectat, non minùs aberrat Calvinus, cùm ait eos, cùm vitulum aureum fecerunt, Dei sui veri oblitos non fuisse. Repugnat enim manifestè sacer Contextus Deuter. 32. v. 18. *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Et Psal. 105. v. 19. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile.... Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Et Jeremiæ 2. v. 5. *Ambulaverunt post vanitatem.....* (id est post idola) *Et non dixerunt, Ubi est Dominus, qui ascendere eos fecit de terra Ægypti.* Aberrat pariter Calvinus, cùm vult Judæos in omnibus suis idolis Deum unum & verum coluisse. Si ita est, cur Josue cap. ultimo, datur ipsis optio, an velint servire diis alienis quibus serviunt Thare & Nachor idololatræ, an idolis Amorrhæorum, an Deo Israel? Non ergo in idolis adorabant, vel putabant se adorare Deum Israel. Unde L. 3. Regum cap. 18. v. 21. Elias ajebat: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si Baal est Deus, sequimini illum*: ubi clarè opponitur Baal Deo vero. Quando igitur Judæi colebant idolum Baal, certè Deum verum non colebant: quapropter Deuter. 32. dicuntur, *immolasse dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant.*

Nec obstat, 1. quòd Exodi 32. v. 4. de vitulo aureo dicant Judæi, *Hi sunt dii tui Israel. qui te eduxerunt de terra Ægypti.* 2. quòd nullo speciali nomine idolum illud appelletur, sed simpliciter Deus dicatur v. 6. *Cras solemnitas Domini est. Surgentesque manè obtulerunt holocausta, & hostias pacificas.* Namque 1. vitulo aureo dei nomen & cultum indulgent, ex erronea conscientia idolum illud Deum esse, ac invocandum existimantes. 2. idolo vituli, nullum speciale nomen dederunt, sicut & aliis nonnullis, de quibus Judicum 17. v. 3. & L. 3. Regum c. 12. v. 28. Scilicet duplicis generis idola & sculptilia fuere apud Judæos, alia sine speciali nomine, alia verò propriis nominibus designata, ut Moloch, Baal, Astaroth &c. Certum porro est, Judæos in istis falsa numina, homines nempe, astra &c. coluisse.

L. 2. c. 13. Cur autem Israelitæ vitulum in idolum erexerint potius quàm ovem, aut quidlibet aliud simile, causam hanc fuisse conjicit Bellarminus, quia illi assueti

sueti

fueti erant videre maximum Deum Ægyptiorum, qui erat vitulus niger albis maculis insignis, quem vocant *Apim*, de quo S. Augustinus L. 18. de Civit. Dei c. 5. & inter Scriptores prophanos Tullius L. 1. de natura deorum, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius &c.

Objicies 2. Canonem 36. Concilii Eliberitani, quo statuitur *picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur*. T.1.Con. p.974.

Resp. varias esse hujusce Canonis interpretationes. Prima est, hoc Canone rejectas esse imagines pictas, non sculptas, propter idololatriæ metum; ut de Salvatore in forma Jovis picto, narrat Nicephorus L.15. c.23. Secunda, ne imminente persecutione, Christiani auferre eas secum, aut occultare non possent; & ita pictæ Judæis & Paganis ludibrio essent. Ita Sanderus L. 2. c. 4. de cultu Imaginum. Tertia, ne picturæ facilè deformentur parietum crustis dejectis, & inde amissa venerabili forma, potius contemptui sint, quàm venerationi. Quarta, pro temporum varietate, varia esse Ecclesiæ circa disciplinam Statuta. Quinta, propter periculum idololatriæ, quod his temporibus fortè imminebat.

Addit Illustrissimus Albaspinæus, ne Deus ac Trinitas divinarum personarum depingatur. *Vetant*, inquit, *Deum in parietibus depingi, ne scilicet quem Gentilibus & Catechumenis immensum, omnipotentem, invisibilem, æternum, incomprehensibilem, spiritualem, corporis & materiæ expertem & immunem prædicarent, eum ipsi Gentiles & Cathecumeni in ipsorum Ecclesiis lineis & coloribus circumscriptum & comprehensum cernerent. Ne igitur divini numinis majestas minueretur, & aliud de Deo depingeretur, quàm prædicarent, & quem supra homines extollerent humana specie depictum oculis objicerent; vetant ne in Ecclesiis Dei imagines suspendantur: hæc autem ad Sanctorum Imagines nullatenus pertinent*. Hactenus Albaspinæus. T.1.Con. p. 998. E.

Varia fuit Ecclesiarum circa pingendas Dei & Trinitatis Imagines disciplina, pro variis temporum, locorum ac personarum circumstantiis. Quoties periculum fuit ne aut Imaginibus illis latriæ cultus impenderetur, aut injiceretur suspicio Deum corporeum esse, prohibitæ sunt hujuscemodi depictæ Dei & Trinitatis Imagines. Eas improbarunt Tertullianus L. de spectaculis c. 23. Clemens Alexandr. L. 6. Stromatum, Origenes L. 8. contra Celsum, Minutius Felix in Dial. Lactantius L. 2. Instit. c. 2. Augustinus L. de Fide & Symbolo c. 7. *Nefas est Christiano*, inquit, *simulacrum Deo collocare in templo*. Eas verò aliquando probavit, aut saltem toleràvit Ecclesia, cùm passa est Patrem divinum sub specie senis, Spiritum sanctum sub figura columbæ delineari. Amphilochio teste, sanctus Basilius columbas Spiritum sanctum repræsentantes suspensas habuit: S. Paulinus in Basilica S. Felicis Trinitatis imaginem depingi permisserat. In Libello supplici seu deprecatione Clericorum & Monachorum Antiochesium, contra Severum Acephalorum Ducem, quæ extat Act. 5. septimæ Synodi hæc leguntur: *Nec ipsis sanctis Altaribus vel sacratis vasis pepercit; illa quidem eradens ut scelesta, hæc autem conflans & erogans his qui similis moris sunt. Porro præsumptum est ab eo etiam hoc, o beatissimi: eas enim quæ in typum sancti Spiritus sunt, aureæ & argenteæ columbæ suspensæ supra divina Sacramenta & Altaria* (sacros fontes & lavacra) *cum aliis defraudabat, dicens non oportere columbas* Varia disciplina circa depictas Dei & Trinitatis imagines. T. 6. p. 157. D. T.7.Con. p.371.B

nominari Spiritum sanctum. Tarasius sanctissimus Patriarcha dixit: Si in nomine sancti Spiritus superpositas columbas receperunt Patres, quantò magis incarnati Verbi iconas, quod apparuit super terram cum corpore? Denique usus ille, omni tandem depulso periculo, & populo christiano benè informato, ubique obtinuit, quem supponit, nec improbat Conc. Trid. sess. 25.

T. 14. Conc. p. 896. A. B. Decreto de Imaginibus. *Quòd si*, ait, *aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.*

Objicies 3. plurimorum SS. Patrum testimonia. Namque S. Irenæus L. 1. c. 24. ponit inter hæreses Carpocratis, quòd coleret imaginem Christi & Pauli.

Tertullianus L. de Idololatria c. 3. invehitur in auctores seu artifices *statuarum & imaginum, quos diabolus*, inquit, *sæculo intulit.*

Origines L. 4. contra Celsum, ait nullum apud Judæos *pictorem admissum fuisse, nullum statuarium.*

S. Epiphanius hæresi 79. ait, Hæreticos esse, *qui imaginem B. Mariæ Virginis circumferunt & colunt.*

S. Ambrosius de obitu Theodosii, ait, Helenam *Crucem Domini Regem adorasse, non lignum, quia hic gentilis error est.*

S. Hieronymus in caput tertium Danielis, *Cultores Dei*, ait, *eam* (statuam) *adorare non debent.*

S. Augustinus L. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 34. *Nolite*, inquit, *consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quidquid promiserint Deo. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores.*

S. Gregorius Magnus in duabus ad Serenum Epistolis, eum reprehendit, quòd Imagines fregisset; laudat verò, quòd eas adorari non permisisset, quæ ad historiam dumtaxat, ad memoriam, & doctrinam populi, non ad cultum positæ sunt.

Resp. eum dumtaxat Imaginum cultum à citatis Patribus reprobari, qui vel superstitiosus, vel ad morem & usum Gentilium effictus est ac favens idololatriæ; vel insolitus, qui Christianis offensioni ac scandalo propter Gentiles esse poterat; non verò cultum legitimum, certis legibus ac limitibus adstrictum, qualem Ecclesia agnoscit, ac nos tuemur.

S. Irenæus Carpocratem non idcirco redarguit, quòd imaginem Christi haberet, sed quòd eam ipso modo coleret, quo Gentes idola colunt, nimirum sacrificiis, ut clariùs exponunt SS. Epiphanius hæresi 27. & Augustinus hæresi 7. Accedit quòd Hæreticus ille Imaginem Christi & Pauli eodem loco haberet, quo imagines Homeri, Pytagoræ, Platonis & Aristotelis.

Tertullianus manifestè agit contra Idololatras, qui imagines tanquam deos aut deo plenas infando cultu adorabant; & cùm ille animi esset fervidioris, contra ipsammet artem sculptorum ac pictorum vehementer invehitur; sed hæc ad nos non pertinent.

Idem planè sensus est Origenis & Clementis Alexandrini.

S. Epi-

S. Epiphanius similiter hæresi 19. reprehendit Collyridianos, non quòd Imaginem B. Virginis, & ipsam Virginem honorarent, sed quòd eam pro dea haberent, eique offerrent sacrificium, quod uni Deo debitum est.

S. Ambrosius meritò dicit Helenam prostratam ante Crucem Christi, lignum non adorasse, (nempe latriæ cultu) sed Christum ipsum: nihil certè verius ac consultius.

S. Hieronymus loquitur de iis qui statuas Imperatorum, quos pro diis habebant, divinis honoribus afficiebant; arguit enim eos qui id faciunt, quod tres pueri facere recusarunt in Babylone.

S. Gregorius citatis ad Serenum Epistolis, eam solùm damnat, & ab Imaginibus excludit adorationem, quam imperiti aliqui nimio zelo accensi, *incompetenter* & inconsideratè iis impendebant; quo abusu in extremam partem adductus Serenus, jusserat Imagines illas à Templis tolli ac frangi. *Non tibi*, ait Gregorius, *ipsa visio historiæ quæ pictura teste pendebatur, displicuit, sed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetenter exhibita .... sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis, humiliter prosternantur.* T. 2. p. 1101. A.

Objicies 4. duo Concilia Constantinopolitana: unum sub Leone Iconomacho, teste Paulo Diacono Lib. 21. alterum sub Constantino Copronymo, cui interfuere Episcopi 338. eodem Paulo Diacono teste L. 22. rerum Romanarum. Utrumque autem istud Concilium definivit abolendas prorsus esse Imagines.

Resp. 1. Plus ex duplici illo Concilio probaretur, quàm vel ipse Dallæus velit; nempe penitùs frangendas ac conterendas esse Imagines: at saltem valent ad memoriam historiæ prætéritæ, ad ornatum, ad doctrinam & instructionem rudiorum ac simplicium, ne ipsis quidem diffitentibus Novatoribus.

Resp. 2. prorsus illegitima fuisse ista Concilia, seu meliùs Conciliabula; 1. quia, ut ait Joan. Diaconus Act. 6. VII. Concilii, *eam* (Synodum sub Copronymo, *non receperunt, neque concordarunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt: non habuit adjutorem Papam ..... nec etiam per Vicarios ejus .....neque per encyclicam Epistolam ..... sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, & sanctæ Civitatis.* 2. Imperator, violata libertate, ac prætermissa electionis via, propria sua auctoritate ascendens in ambonem, in Patriarcham Constantinopolitanum nominavit quemdam Monachum, nomine Constantinum, flagitiis coopertum. 3. Illius Concilii Acta rescissa sunt à Stephano Summo Pontifice, teste Adriano in Epistola ad Constantinum & Irenem, & à tribus simul Orientalibus Patriarchis; tandem postmodum ab universa Ecclesia in septimo Concilio Generali. Defuere igitur huic Concilio requisitæ conditiones, legitima convocatio, Romani Pontificis ac Patriarcharum Orientis consensus, libertas suffragiorum, Ecclesiæ denique totius approbatio & acceptatio. T. 7. conc. p. 395. C. D.

Objicies 5. auctoritatem Caroli Magni in Libris quatuor, qui Carolini dicuntur, quos Imperator aut exaravit, aut exarari jussit contra definitio-

tionem secundi Concilii Nicæni seu septimi generalis, quorum fragmentum misit ad Adrianum Summnm Pontificem. In his Libris pius Imperator, consentientibus omnibus ditionis suæ Præsulibus, summo ardore invehitur in Nicænam Synodum secundam, & incultum Imaginum ab ea definitum. Synodum hanc conferens Auctor Librorum cum illegitima Constantinopolitana, L. 4. c. 4. nu. 498. affirmat Patres Nicænos in longè pejorem impietatem collapsos, quàm Constantinopolitanos. *In istis*, inquit, *fuit levitas, in illis atrocitas; in istis imperitia, in illis nequitia. Isti Deo se obsequium præstare arbitrantes, eas Imagines ab ornamentis Basilicarum abstulerunt: illi Deum ad iracundiam provocantes, ejus domum crudeliter diruerunt.*

Nequis porrò cavillator, ait Dallæus, obtrudat hic tritam ac pervulgatam latriæ & duliæ, cultusve absoluti & relativi distinctionem: certum est non modò latriæ, sed & omnem penitus à Libris Carolinis denegatum fuisse sacris Imaginibus cultum & honorem. *Cultum* quidem, L. 3. c. 23. *observationem*, L. 3. c. 18. *venerationem*, L. 2. c. 27. *honorem, qui collo inflexo vel capite submisso exhibetur*, ibidem c. 1. *thuris & luminarium oblationem*, ibidem c. 11.

Non una est ad hanc Objectionem responsio.

I. Ajunt aliqui, Libros illos supposititios esse.

I. Ubi primùm famosi illi Libri Carolini lucem aspexerunt opera Tilli Meldensis Episcopi anno 1549. multi commoti sunt inter Orthodoxos, variasque in partes distracti.

Fuere qui à Lutheranis confictos asseruerunt: alii, ætate quidem Caroli exaratos, & Carolo Imperatori oblatos, ut ad Adrianum Summum Pontificem eos transmitteret, ab eo confutandos. Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum 794. Tom. 6. eos subinde corruptos & interpolatos fuisse censet. Bellarminus L. 2. de Imaginibus c. 15. ait, *eos neque esse Caroli, neque ejusmodi, quibus ulla fides haberi possit..... Libri isti*, pergit ibidem Bellarminus, *sunt hominis barbari, imperiti, levis, ac penè stulti. Nam Constantinopolim urbem notissimam in Bithinia esse dicit, cùm nemo nesciat esse in Thracia ...... Deinde Concilium pro cultu Imaginum Constantipoli celebratum asserit, cùm tamen Nicææ celebratum nemo sit qui nesciat, nisi qui nihil legit; & quod gravius est, per calumniam & mendacium multa tribuunt isti Libri Nicænis Patribus, quæ nunquam dixerunt, & interdum quæ adversarii dixerant; quale est illud, quòd Eucharistia sit imago Corporis Christi, quod non solùm Patres Nicæni non defendunt, ut iste Auctor somniat, sed etiam ex professo refellunt. Unde accepit Calvinus alterius mendacii occasionem: Quia enim Iconomachi dixerant, unam solam Imaginem adorandam, id est Eucharistiam, atque hoc dictum Pseudocarolus Nicænæ Synodo attribuerat, Calvino placuit rem totam mutare ac dicere ..... Gaudeant & exultent, qui Christi habentes imaginem, sacrificium illi offerunt.* Quod est mendacium impudentissimum, ait Bellarminus.

T. 2. p. 326. & seq.

Verùm doctissimi Cardinalis pace dixerim, gravissimis ac certissimis argumentis demonstrari, Libros illos verè Caroli esse, aut saltem ab ipso probatos: 1. quia Scriptor ille in Præfatione num. 4. ait se Regni gubernacula, Domino tribuente, suscepisse. 2. L. 1. c. 6. nu. 54. Pipinum Regem *genitorem suum* vocat. 3. Hujus Operis excerpta quædam Romana ad Adrianum tran-

transmisit Carolus per Engilbertum, quibus respondit Adrianus in Epistola ad Carolum. 4. Synodus Parisiensis sub Ludovico Pio in sua ad eumdem Adrianum Epistola idem testatur. 5. Hincmarus Remensis Lib. contra Hincmarum Laudunensem cap. 20. de Synodo septima ait: *De cujus destructione non modicum Volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Carolo Romam est per quosdam Episcopos missum.* Gravissimis istis momentis Præponderare non debet error, seu oscitantia circa Geographiam; neque etiam quòd Synodum Nicænam secundam, appellet Constantinopolitanam: levis error est, cui fundamentum dedisse videtur, quòd Constantinopoli primùm indicta fuisset Synodus, tùm Nicææ absoluta. *Oper. Hincm. T. 2. p. 457.*

II. Alii dicunt Nicænam Synodum secundam à Carolo Imperatore, à Concilio Parisiensi & à Francofordiensi improbatam ac rejectam dumtaxat fuisse errore facti, quòd nempe existimarent à Patribus illis Nicænis eumdem prorsus latriæ cultum pro Imaginibus decretum fuisse, qui Deo ac vivificæ Trinitati debitus est. Hujus persuasionis occasio & causa fuit, tum æquivoca vox *adorationis*, qua tam frequenter Patres Nicæni utuntur; tùm infida in Latinum sermonem Actorum Concilii translatio in Gallias transmissa. *Secunda sententia.*

Nempe Actione tertia Constantinus Cypri Episcopus dixerat, catholico certè sensu, *Ego* (his decretis) *consentio ..... suscipiens & amplectens sanctas & venerabiles Imagines: atque adorationem quæ fit secundùm latriam ..... soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati impendo.* Infidus autem Interpres sic è contra reddiderat, sicut refertur L. 3. Carolino cap. 17. n. 33. *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas Imagines; secundùm servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto.* Quapropter hic titulus præfigitur capiti 17. num. 332. Lib. 3. Carolini: *Quòd infaustè ac præcipitanter, sive insipienter Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit: Suscipio* &c. ut mox. Capitis autem 18. n. 338. hic est titulus: *Quòd Euthymius Sardensis Episcopus à præfati Constantini errore non multùm dissentit, in eo quòd ait, Ex toto corde suscipio venerandas Imagines cum condecenti honore & amplectibili adoratione.* *T. 7. Conc. p. 187. C.*

Hac loquendi formula, quæ adorationis latriæ ideam animo ingerit, turbati nostrates Galli, Synodum Nicænam secundam non tantùm diu non receperunt, sed etiam rejecerunt ac damnarunt. *Non enim mediocris est error*, ait Carolus L. 1. c. 2. nu. 32. *cùm aliud adoratur religionis cultu, quàm is qui dixit, Dominum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Atque hac præjudicata opinione occupati Galli, Nicænis Patribus ea objiciunt quæ ex cultu seu adoratione latriæ sequuntur: v. g. spem ponere in eo quem adoras. Ita Carolus L. 1. c. 18. nu. 117. sanctimoniam ab Imaginibus expectare. L. 3. c. 6. num. 321. Imaginibus supplicandum, perinde ac ipsis Sanctis. L. 1. c. 24. n. 241. Imagines cum corpore & sanguine Christi à Græcis conferri. L. 2. c. 27. cui titulus iste est. *Quod magnæ sit temeritatis ingentisque absurditatis, sæpe memoratas Imagines corpori & sanguini Dominico æquiparare velle.* Quòd idem cultus, tametsi relativus, in eodem gradu impendi debeat Imaginibus, quo Eucharistiæ, sacris Libris, & Cruci Dominicæ impenditur. L. 2. c. 28. num. 243. cujus titulus est, *Quanta ratione mysterium dulcissimæ Crucis ab Imaginibus distet; quas quidem illi*

eidem

eidem equiparandæ contendunt. Ibidem num. 248. *Non sunt Imagines Cruci equiparandæ*. Idem habet Synodus Parisiensis c. 12. & 14. Persuasum igitur fuit, (quamquam errore facti) Carolo Imperatori ac Gallicanis Præsulibus, Nicænam Synodum secundam latriæ cultum Imaginibus decrevisse; quem tamen reipsa non decrevit.

Obje-ctio. At, inquies, quomodo error ille facti stare potest cum aperta declaratione Synodi Nicænæ cultum latriæ ab Imaginibus expresse removentis ? quam declarationem seu definitionem disertè agnoscit vel ipsemet Librorum Carolinorum Scriptor, nedum ignorare potuerit. Libro enim 1. cap. 14. non dissimulat Græcos uti solere pervulgata distinctione duplicis cultus, & alium Deo, alium Imaginibus ab iis exhiberi. *Aiunt*, inquit, *Benedixit Jacob Pharaonem, sed non ut Deum benedixit: Adoramus nos Imaginem, sed non ut Deum adoramus.* Et L. 3. c. 17. *Errorem*, inquit, *illi videntur plebibus ingerere palliatum : aiunt enim. Non adoramus Imagines ut Deum, nec ullum divini servitii cultum impendimus ; sed dum illas aspicimus & adoramus, illò mentis nostræ acumen defigimus, ubi eos quorum illæ sunt esse non ignoramus*. Et L. 3. c. 18. refert hæc Euthymii Sardensis verba, *De toto corde suscipio venerandas Imagines cum condecenti honore & amplectibili adoratione. Condecentem honorem & amplectibilem adorationem* dicit Sardensis, non supremam & latriæ adorationem. Hæc apertè noverat Carolus; hæc scribebat; quomodo igitur, inquiunt, errore facti laborare potuit circa veram & genuinam Græcorum sententiam? At nos vicissim dicimus: Hæc apertè noverat Carolus, hæc scribebat; quomodo igitur Græcos cultûs idololatrici erga Imagines incusare potuit, ac centies repetere Imagines cultu latriæ ab ipsis adorari? Annon ista pugnant inter se? Fatemur ingenuè ista non facilè conciliari. Scio quidem Gallos tunc temporis Græcis infensos fuisse, ob non leves ab iis acceptas contumelias; de quibus Historici: scio imprudenter voce *adorationis* græcos usos fuisse, totque insolitis ritibus cultum suarum Imaginum onerasse, ut superstitionem, ac latriæ cultum referre utcumque viderentur. Verùm hæc-ne satis sunt, ut tanti criminis (idololatriæ) incusentur, præsertim contra propriam ipsiusmet Caroli conscientiam, qui ut ostendunt verba ejus mox relata, probè noverat Græcos latriæ cultu non adorare Imagines?

Atque pugna hæc & contrarietas in causa fuit, cur Dallæus cæterique Novatores Calvinistæ contenderint, à Gallis ea ætate, non tantùm veræ adorationis, sed omnem penitus religiosum cultum Imaginum rejectum & improbatum fuisse. Falluntur illi, aut fallunt.

Namque Auctor Librorum Carolinorum improbat quidem cultum latriæ, imò & varios illos modos quibus Græci suas honorant Imagines: at non omnem penitus honorem ac reverentiam sacris Imaginibus denegat. Namque L. 3. c. 16. num. 81. ait: *Nihil nos in Imaginibus spernamus præter adorationem, quippe qui in Basilicis Sanctorum Imagines, non ad adorandum, sed ad memoriam rerum gestarum & venustatem parietum habere permittimus*. At in hoc ipso cultus aliquis & honos Imaginibus defertur. Et postea, ipsummet cultum quo erga Imagines Græci utuntur, non damnat absolutè, sed tantùm propter periculum offensionis rudium & imperitorum: quapropter ubi

ubi nihil periculi imminet, doctis illum permittit. *Nam etsi*, ait, *à doctis quibusque vitari possit, hoc, quod illi in adorandis Imaginibus exercent, qui videlicet, non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen quibusque scandalum generant; qui nihil aliud in his, præter id quod vident, venerantur & adorant*. Et L. 2. c. 23. declarat se circa Imaginum cultum adhærere doctrinæ S. Gregorii Magni in Epistola ad Serenum: *Ecce*, inquit, *quo magisterio, quove documento venerandi Pontificis imbuti, Imagines in Ecclesiis habere non renuimus; sed earum adorationem prorsus abdicamus*. Denique in excerptis illius Operis quæ ad Adrianum transmissa sunt, capitulo ultimo sic legimus: *Ultimum capitulum est, ut sciat Dominus Apostolicus & Pater noster .... ut secundùm quod continetur in Epistola beatissimi Gregorii ..... permittamus Imagines Sanctorum, quicumque eas formare voluerint, tam in Ecclesia quàm extra Ecclesiam, propter amorem Dei & Sanctorum ejus. Adorare verò eas nequaquam cogimus, qui noluerint; frangere verò vel destruere eas, etiamsi qui voluerint, non permittimus.* T. 7. Conc. p. 960. B

His profectò testimoniis clarum est, Gallos nostros falsò & ad invidiam accusari, rejectum ab illis omnem planè religiosum cultum sacrarum Imaginum: quapropter ut proposita difficultas solvatur,

III. Respondent, Gallos non reprobasse cultum Imaginum apud Græcos, quantùm ad substantiam, seu materiam, sed quantùm ad formam seu modos varios quibus Græci utebantur, v. g. luminibus, thure, incenso, capitis inflexione, prostratione corporis, & aliis hujuscemodi, quæ cùm apud nostros in usu non forent, ac superstitionis aliquid redolere videri possent, ab Auctore Librorum Carolinorum, & ab Episcopis Gallicanis rejecta & improbata fuere, in integro remanente cultus substantia.

Objicies 6. Conventum Parisiensem jussu Ludovici Pii Regis Francorum convocatum anno 824. in quo Gallicani Præsules missa ad Ludovicum & Lotharium Epistola, significant legisse se Adriani Summi Pontificis datam ad Constantinum & Irenem circa cultum Imaginum Epistolam, quam carpunt ac vellicant, improbato Imaginum cultu, non tantùm quem Græci, sed etiam Itali usurpabant. *Sicut justè reprehendit* (Adrianus,) inquiunt, *illos qui Imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus* (Græcorum) *confringere & penitus abolere præsumpserunt: sic indiscretè noscitur fecisse in eo quòd superstitiosè eas adorare jussit: pro quarum etiam causa Synodum congregari precepit, & sua auctoritate sub jurejurando censuit, ut erigerentur, adorarentur, & sanctæ nuncuparentur; cùm eas erigere licitum, adorare verò nefas sit. Inseruit etiam in eadem Epistola quędam testimonia sanctorum Patrum, quantùm nobis datur intelligi, valdè absona, & ad rem de qua agebatur minimè pertinentia. Ex hujus namque Epistolę textu, Imperator & Clerus simulque & populus, auctoritatem sumentes, Synodum fecerunt, in qua, sicut illi multùm deviarunt, qui Imagines Sanctorum in illa alia Synodo, quæ sub Constantino avo memorati Constantini facta est, penitus abdicandas esse decreverunt; sic isti non mediocriter erraverunt, qui eas non solùm coli & adorari, & sanctas nuncupari sanxerunt; verùm etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt.* Concil. Gall. Suppl. p. 109. Col. 1. D.

Hujus Parisiensis Conventus auctoritate non multùm moventur Bellarminus,

minus, Sirmondus, recens Conciliorum Editor, & alii; quòd existiment Gallos hujus ætatis in cultum Imaginum minùs propensos fuisse : *Cæteris*, ait Jacobus Sirmondus , *quæ in hujus Conventus Actis continentur , prætermissis, quòd Gallorum ejus sæculi ab Imaginum adoratione abhorrentium hæresim redoleant*.

Resp. idem de Conventu Parisiensi sentiendum, quod de Libris Carolinis mox exposuimus, non omnem scilicet ab Episcopis hujus Concilii reprobatum Imaginum cultum, siquidem eas in Templis habendas ac retinendas esse volunt, sed cultum *indiscretum* seu non legitimum & superstitiosum ; uno verbo, abusum, non verò substantiam cultus removent. Sic enim loquuntur illi in Epistola ad Ludovicum Pium: *Imagines Sanctorum stulta præsumptione non sunt confringendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ ..... nec assertione superstitiosa colendæ & adorandæ; sed potius hujuscemodi superstitione remota, juxta veram Religionem, memoriæ & amoris causa', ob recordationem eorum quorum Imagines habendæ, sicut à beatissimo Gregorio, satis catholicè perspicuèque dictum declaratur.*

Conc. Gall. Suppl. p. 110. col. 2. C.

Hæc profectò ad fidem Ecclesiæ circa Imagines sufficiunt: inter duo extrema hæret veritas. Aboleri ac frangi non debent Imagines, nec etiam cultu latriæ honorandæ, sed cultu longè inferiori, qui in eo potissimùm positus est, ut in Templis decenter & honorificè collocentur, *ad memoriam & honorem eorum quorum Imagines sunt*.

Objicies 7. Canonem secundum Concilii Francofordiensis quod Carolus Magnus Francofordiæ ad Mænum convocavit anno 794. ex Episcopis Galliæ, Germaniæ, Italiæ, Britanniæ, ad confodiendam Felicis & Elipandi hæresim. Supra trecentos adfuisse Præsules nonnulli ajunt; verùm observat Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, ad annum 794. in toto Caroli Regno tunc perpaucos fuisse supra ducentos'. Canone secundo hujus Concilii damnatur Synodus Græcorum, quæ Imaginibus eamdem adorationem, quæ Trinitati debetur, decreverat. *Allata in medium*, ait Canon, *questio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur , ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicerentur . Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

T. 6. p. 514.

T. 7. conc. p. 1057. D.E.

Hic Canon, ait Cointius loco mox citato p. 508. nu. 19. *hactenus eruditos quosque torsit , torquetque*.. Difficultatis cardo in eo est, quænam sit illa Græcorum Synodus, quam Canon iste ferit: an Nicæna secunda generalis; an Constantinopolitana, & quæ?

I. Surius ait esse Constantinopolitanam, quæ sub Constantino Copronymo habita est contra Imagines, quas ejici & frangi jussit. Verùm repugnat manifestè textus Canonis: agit enim de Synodo quæ jussit adorari Imagines; Synodus verò Constantinopolitana Copronymi jussit eas aboleri, frangi, conteri, nedum adorari.

Pag. 511. & seq. II. Cointius, loco jam laudato, duas distinguit Pseudosynodos Constantinopoli habitas, quarum una Imagines confregit; altera jussit adorari. An-

no 754. Constantinus Copronymus congregatis Constantinopoli Episcopis 338. Imagines tolli voluit & aboleri: Synodum hanc Græci Imaginum hostes, septimam generalem appellarunt. Anno verò Christi 787. habita est secunda Nicæna Synodus generalis, ubi restitutæ sunt Imagines, illisque debitus cultus redditus: ab illa autem secunda Nicæna Synodo usque ad Francofordiensem intercesserunt anni septem, quo temporis intervallo Græci novam Pseudosynodum de adorandis Imaginibus fecisse Constantinopoli videntur, in qua dictum est anathema iis *qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent*. Hæc ipsa Synodus est, si Cointio credimus, quam Græci septimam quoque generalem appellavere, & quam Patres Francofordienses proscripserunt.

His autem momentis conjecturam suam firmat Cointius. 1. Quia Canon Francofordiensis ait Synodum Græcorum, quam impugnat, Constantinopoli habitam fuisse, non Nicææ: *Nec audiendi*, ait Cointius, *qui quod actum asseritur Constantinopoli, gestum interpretantur intra fines Imperii Constantinopolitani*. Sic revera exponit Sirmondus in admonitione ad lectorem de Canone secundo Francofordiensi. Cum eodem Canone circa nomen Concilii de quo agitur consentiunt Hincmarus Opusculo 33. cap. 20. Chronographus Moissiacensis, & Annalista Laureshamensis: Nicææ nomen in solis Caroli Libris, & in Adriani ad Carolum responso legitur. 2. Nititur auctoritate Hincmari Remensis loco mox citato. *Septima autem*, inquit, *apud Grecos vocata universalis Pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens, sine auctoritate Apostolicæ Sedis, non longè ante nostra tempora, Constantinopoli est à quam plurimis Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit*. 3. Verisimile Cointio non videtur, Episcopos Gallos adversùs Nicænam Synodum tam durè insurrexisse præsentibus S. Pontificis Legatis, & iis nihil quidquam reponentibus; præsertim adversùs Synodum Oecumenicam quam Adrianus probaverat, missis ad Gallias illius Actis. T. 7. Conc. p. 1054. T. 2. p. 457.

Verisimile pariter ipsi non videtur, existimasse Gallos decretam à Græcis Sanctorum Imaginibus latriæ adorationem, cùm ignorare non possent ex lectione Actorum, eam ab ipsis expressè rejectam fuisse. Addit Cointius, quòd si tunc temporis compertum fuisset, à Synodo Nicæna secunda rejectum fuisse omnem sacrarum Imaginum cultum, non omisisset Claudius Taurinensis Episcopus strenuus erroris Iconomachorum defensor, se hujusce Synodi patrocinio & auctoritate tueri.


III. Igitur alii censent, Synodum illam Constantinopolitanam Cointii fictam esse, cujus Acta hactenus omnino latuerunt; atque Synodum Nicænam à Concilio Francofordiensi reipsa perstrictam ac damnatam fuisse, errore facti, in quem Episcopos Francofordienses induxerat infida & minùs accurata Actorum Synodi Nicænæ in linguam latinam versio. Neque verò illos retinere potuit auctoritas, & reverentia quæ Concilio generali debetur: namque Synodum Nicænam pro Oecumenica tunc temporis non habebant, ut patet ex L. 4. Caroli c. 13. & 28. tùm quia maxima Occidentalis Ecclesiæ pars tunc ei nondum consenserat; tùm quia nondum

dum ab Adriano publicè confirmata & probata fuerat; declarat etenim S Pontifex Adrianus in Epistola ad Carolum, se *Græcis nondum respondisse* tùm denique quia Hincmarus Remensis contra Hincmarum Laudunensem c. 20. affirmat, sanctæ Sedis auctoritatem illi Nicænæ Synodo nondum accessisse: quæ causa fortè fuit, cur Legati Summi Pontificis, qui Francofurti præsentes aderant, siluerint. Leve videtur quod opponitur, nempe à Canone Francofordiensi appellari Synodum Constantinopolitanam, non Nicænam. Fortè id ex memoriæ lapsu contigit: fortè ob rationem quam adducit Sirmondus: Carolus autem, & Adrianus Nicænam appellant; alii nomen silent, ut Annalistæ Loiselianus, Bertinianus, Fuldensis, Metensis, & Regino, Ado, incertus auctor in vita Caroli, & Monachus Engolismensis.

Cointius, p. 513.

Immeritò autem Dallæus ex his concludit, ab Episcopis Francofordiensibus omnem penitus rejectum imaginum cultum: cum etenim solummodo rejecerunt, quem falsò, & errore facti à Patribus II. Synodi Nicænæ definitum fuisse, nempe latriæ cultum, arbitrabantur. Hoc ipso sensu exponendi sunt, Hincmarus Remensis, Agobardus Lugdunensis, Jonas Aurelianensis, Dungalus, Vualafridus Strabo, quos nobis opponit Dallæus.

Atque hæc dicta sint de Mysterio Incarnationis Verbi divini, in quo exponendo si quid nobis incautis minùs rectum aut sanum excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.



F I N I S.





